
3 1761 09374860 6

ANAXIMANDER MILESIVS

SIVE

VETVSTISSIMA QVAEDAM RERVM VNIVERSITATIS CONCEPTIO RESTITVTA

SCRIPSIT

IOSEPHVS NEVHAEVSER

PHIL. DR. PHILOS. IN VNIVERSITATE BONNENSI PROF. ORD.

CVM VNA TABVLA

BONNAE

APVD MAX. COHEN ET FILIVM (FR. COHEN)

MDCCCLXXXIII

PRAEFATIO.

Quae hoc libro docentur, omnino diversa sunt ab iis, quae usque eo de eadem re credita et scripta sunt. Quare consentaneum videtur, de universa libri ratione pauca praemonere.

In antiquissima Graecorum philosophia, quae ipsius philosophiae continet primordia, id maxime certae cognitioni obstat, quod, quae de ea referuntur, et perpauca sunt et plerumque ita brevia ab omnique sententiarum nexu soluta, ut, quam habeant vim et ad quem cuiusque doctrinae locum referenda sint, saepe difficillimum sit cognitu. Sed tamen in iis philosophis, qui prae ceteris insignes sunt atque iuventorum et novitate et gravitate philosophiae progredienti quasi viam monstrarunt, veterum testimonia solent, ut par est, et plura esse et accuratiora. In horum philosophorum numero Anaximander quoque est, de quo quae tradita sunt, aliquo modo sufficere videntur, ut eius doctrina satis clare animo effingi possit. De quibus priusquam plura dicam, ex usu videtur esse, sententiam quandam generalem praemittere.

Itaque cum agitur de philosophis, quos certum est, non aliorum sed sua placita proposuisse, haec prima lex est, ut, quod quisque verbis docuerit, id eum putemus cogitatione etiam informatum habuisse. Quare nemo eorum putandus est aliquid docuisse, quod ita videatur a naturalibus cognoscendi legibus abhorrere, ut vix a quoquam cogitatione informari potuerit. In antiquissimis

autem philosophis aliud accedit. Cum enim nondum in rimandis notionibus sed toti in eo versarentur, ut mundi adspectabilis naturam et motus et mutationes cognoscerent, consentaneum est, eos naturaliter quasi non nisi talem rerum explicationem quaesivisse, quae *et ad rationis naturam et ad animi conspectum* accommodata esset. Quare meo quidem iudicio nulla eorum doctrina videri potest recte cognita esse, antequam eam cognoverimus *universam quandam mundi conceptionem esse, quae videatur et rationis et phantasiae legibus sufficere.* Vix opus est addere, haec conceptio qualis fuerit, non coniectura fingendum sed e testimoniis inveniendum esse.

Quod ad ipsa testimonia attinet, omnium gravissima certe ea sunt, quae apud Aristotelem reperiuntur, et quia is, praeterquam si forte quaedam ex ipsis philosophorum scriptis servata sunt, testis omnium antiquissimus est, et quia, quae ab eo de aliqua doctrina referuntur, ex accuratissima rei cognitione fluxerunt. Sed difficillimum saepe est cognoscere, quid de quoque philosopho referat; id quod pendet ab ea ratione, quam in memorandis antiquiorum philosophorum opinionibus sequitur. Etenim Aristoteles non more eorum, qui philosophiae scribunt historiam, priorum philosophorum opiniones separatim exponit, sed eas in sua ipsius doctrina exponenda adfert, eo consilio, ut quaestionem propositam ab omnibus partibus explanet, sibi ad eam solvendam viam muniat, suae doctrinae veritatem ostendat. Inde plura eveniunt incommoda. Primum enim Aristoteles saepissime ita priorum philosophorum sententias memorat, ut modo infinito sententias dicat *aliquorum, quorum* autem sint, non addat. Deinde plerumque non ipsa philosophorum verba sed sententias solum memorat, idque verbis et brevissimis et saepe etiam ad quaestionem, de qua agitur, accommodatis; et cum hac re arctissime cohaeret, quod eandem sententiam non semper eodem modo

refert, — propterea scilicet, quod eadem sententia cum aliis rebus coniuncta ultro quasi alia ratione accipitur, — et quod interdum etiam non ipsam philosophorum sententiam sed suam huius sententiae interpretationem proponit, prout res, de qua agitur, postulare videtur. Quae cum ita se habeant, ut omnibus, quae ab Aristotele de antiquiore philosophia referuntur, uti possimus, duo quaerenda sunt: primum, quatenus priorum philosophorum sententias ita memorat, ut eas infinite ac sine certarum personarum designatione aliquorum esse dicat, ad quem quaeque sententia philosophum pertineat; deinde, quatenus philosophorum doctrinas non ipsorum sed suis verbis refert, qualem cuiusque philosophi doctrinam putandus sit in animo informatam habuisse. Quas quidem quaestiones facile intellegitur ita inter se habere, ut simul tantum solvi possint.

Ad has igitur quaestiones etsi partim certe ab Aristotelis interpretibus respondetur, tamen, cum Aristoteles ipse fidissimus sui interpres sit, responsio quam maxime fieri potest ex ipso Aristotele petenda est. Ad quam rem adsequendam una tantum via est. Etenim primum ii colligendi sunt loci, quibus nominatim ei philosopho, de quo agitur, certa quaedam sententia tribuitur; deinde cum his componendi sunt omnes ii loci, quibus sententia refertur, quae illi priori aut omnino aut aliqua ex parte similis sit, et omnium maxime ii, quibus totum quoddam philosophorum genus memoratur, in quo certum sit eum etiam esse, de quo quaeritur. Cum hac priore operis parte coniunctam esse oportet alteram, ut unusquisque locus accurate explicetur, — in qua re propter Aristotelis breviloquentiam vel etiam quandam scribendi festinationem omnibus interpretationis subsidiis utendum est, — et ut omnes loci in uno conspectu positi diligentissime inter se comparentur. Hac autem via inita invenietur, multa ab Aristotele cum de aliorum philosophorum tum de Anaximandri doctrina referri, quae

antea latuerint, simulque dignosci poterit, quae ab Aristotele dicta ipsam cuiusque philosophi sententiam quaeque non nisi ipsius de hac sententia iudicium contineant. Atque ego quidem vereor, ut ullius philosophi antiquioris doctrina recte cognosci possit, nisi hoc modo omnia Aristotelis testimonia investigentur.

Sequuntur Aristotelis interpretes, a quibus solis fere memorantur etiam quaedam eorum, quae Theophrastus in historia de antiquioribus philosophis scripserat, in primis Alexander, Themistius, Simplicius, Philoponus. Possunt autem ea, quae de antiquioribus philosophis tradunt, bifariam dividi in ea, quae necessario fere adferunt ad explicandos tales Aristotelis locos, quibus is aperte quasdam antiquiorum sententias memorat, et in ea, quae sua quasi sponte nullaque explicandi necessitate coacti enarrant. Primum enim, ubi Aristoteles quandam priorum sententiam sine auctoris nomine memorat, ipsi, cuius haec sententia sit, addunt, et, ubi ille philosophi cuiusdam sententiam breviter tantum ac suis verbis indicat, hanc sententiam accuratius exponunt. Deinde autem saepius etiam, ut sententias ab Aristotele propositas e philosophiae historia illustrent, multa de antiquiorum philosophorum doctrinis adferunt, quae apud Aristotelem non reperiuntur. Atque haec omnia ad Anaximandrum quoque pertinent.

Sed iure quaeritur, num, quae ab iis de Anaximandri doctrina — nam de hac sola nunc iam loquar — praeter ea, quae ex Aristotele hauriri possunt, referuntur, a certa rei cognitione profecta an ratiocinatione coniecturave inventa sint, praesertim cum interdum de eadem re videantur diverso modo loqui, prout diversi Aristotelis loci explicandi sunt. De hac igitur quaestione ut recte iudicari possit, ad Aristotelis interpretes eadem adhibenda est diligentia atque ad ipsum Aristotelem. Namque omnes omnino loci, qui ad eius doctrinam pertinent, colligendi sunt, unusquisque eorum separatim explicandus, ita, ut pro

locorum natura subtilitas etiam grammatica adhibeatur, omnes denique diligentissime inter se comparandi. Quod qui fecerit, intelleget, unumquemque illorum virorum certam Anaximandri doctrinae notionem in animo informatam habuisse, quam non ex Aristotele demum effinxisset sed aliunde susceptam ad explicandum Aristotelem attulisset, quamque semper sequeretur, et omnes in hac notione plane consentire. Inde autem sequitur, ut et hanc notionem et quae praeterea de Animandro referunt, e fontibus hauserint antiquioribus, de quorum fide non dubitaretur. Qui fontes qui videantur esse, ex ipso libro patebit.

Non in animo est, omnia testimonia singillatim recensere. Sed praetermittere non possum Plutarchum, apud quem quaedam sunt, quae sola gravi cuidam Anaximandri doctrinae parti lucem adferant, et Placitorum scriptores, quorum breves narrationes cum aliis testimoniis coniunctae magni momenti sunt ad cognoscenda ea, quae in Anaximandri doctrina ad huius mundi descriptionem pertinent.

Denique addo, testimonia, quae de Anaximandro servata sunt, non eiusmodi esse, ut per se sola totam eius doctrinam referant; id quod vix quisquam exspectaverit. Sed postquam omnia testimonia collecta sunt et diligenter explicata, ea, quae iis continentur, in uno mentis conspectu ponenda sunt, ita ut mutuo sese collustrent, videndumque, *nonne necessario ex iis cogitatio oriatur alicuius totius, cuius ipsa partes sint et sine quo intellegi non possint.*

Hac igitur via ingressus quae invenerim, hoc libro exposui. Anaximandri doctrina, qualem adumbravi, *universam quandam rerum conceptionem* continet, grandem sane atque admirabilem, quae veritate quidem, neque vero ea, quam ostendit, ingenii vi atque audacia ulla alia inferior est. Ad illustrandas aliquas eius partes, velut eam, quae est de stellarum annulis eorumque in coelo dispositione, et eam, quae est de stellarum motibus

horumque motuum caussis, simul aliorum quorundam de hisce rebus doctrinas, usque eo, ut mihi quidem videtur, non satis intellectas, exposui, atque illic quidem Parmenidis et Anaximenis, hic Anaximenis, Anaxagorae, aliorum. Ut cum horum virorum tum Anaximandri de his rebus doctrinas, quam maxime fieri posset, oculis etiam subicerem, in fine libri figuras in tabula depictas adieci. Ex iis, quae de his Anaximandri doctrinae partibus disputavi, intellegitur, eum in astronomiae quoque historia insignem quendam locum tenere, immo huius scientiae quasi foras aperuisse. In universum autem si, quae hoc libro exposui, vera sunt, patet, de antiquiore Graecorum philosophia opinionem concipiendam esse aliquanto maiorem et Anaximandri tempore apud Graecos iam aliorum etiam scientiarum cultum haud mediocriter viguisse.

De Anaximandri vita nihil separatim addidi, quoniam de ea vix quidquam traditum est nisi: Anaximandrum Mileti Ol. XLII anno tertio, id est a. Ch. nat. anno DCX, natum et paullo post peractum sexagesimum quartum vitae annum mortuum esse; patre usum esse Praxiade; Thaletis discipulum fuisse. Quae ab eo referuntur inventa esse, ea in ipso libro suis quaeque locis memoravi. Quanto fuerit ingenio, ex ipsius doctrina patebit.

Si quis forte miretur, quod sermone usus sim Latino, in hac re consuetudinem secutus sum maiorum; quam cur ne nunc quidem, in talibus praesertim rebus, omnino deserendam esse putem, hoc loco non licet pluribus exponere.

Scribebam Bonnae, mense Februario, a. MDCCCLXXXIII.

CONSPECTVS RERVM.

LIBER PRIMVS.

DE GENERALI NATVRAE INFINITAE NOTIONE.

LIBER SECVNDVS.

DE NATVRAE INFINITAE ESSENTIA.

LIBER TERTIVS.

DE NATVRA INFINITA VNA OMNIVM RERVM CAVSSA.

LIBER QVARTVS.

DE HVIVS MVNDI DESCRIPTIONE ET RERVM SINGVLARVM ORIGINE.

ERRATA QVAEDAM

QVAE ANTE LIBRI LECTIONEM CORRIGI VELIM.

P. 39, versu 13, not. pro vectigium lege vestigium;

„ 109, versu ultimo pro ignem et aquam lege ignem et aerem;

„ 126, versu 7 pro eum cecessario lege cum necessario;

„ 249, versu 24 verba „sine dubio et ad lineam et e transverso" delenda sunt.

De Anaximandro Milesio scripserunt quidem multi, neque tamen ita, ut res videri possit absoluta esse. Nonnulla enim perobscura sunt; alia eiusmodi, ut facilius falsa esse intellegas, quam quae eorum loco pro veris habenda sint; de ipsis autem gravissimis doctrinae partibus sententiae omnino contrariae sunt, ita ut inter se conciliari non possint utque, utram sequaris, nescias. In tanta rerum incertitudine non facile quisquam acquieverit, praesertim cum, quae de huius viri doctrina memoriae prodita sunt, tantam ingenii vim atque audaciam, tantam aciem atque subtilitatem prae se ferant, ut dubitare non possis eum in numero eorum ponere, qui sententiarum et novitate et gravitate hominum ingenia maximo opere commoverint et in novas cogitandi vias deduxerint. Caussa autem magnae illius dissensionis in eo potissimum posita est, quod multa eorum, quae de Anaximandro dicuntur, non demonstrationibus sed coniecturis nituntur, quae persuadendi vi destitutae sunt. Est autem in hisce rebus una solum vera demonstratio, ea, quae ab historiae testimoniis proficiscitur; quae ex aliis locis petuntur argumenta, velut e generalibus quibusdam legibus, quibus cognitionis humanae progressio naturaliter regatur, ea historiae testimonia iuvare quidem atque supplere, neque autem per se sola eorum loco

esse possunt; quoniam, quibus legibus cognitionis humanae progressio teneatur, ipsis historiae testimoniis cognoscendum est. Quare ego quidem, quae a veteribus scriptoribus, maxime ab Aristotele et Theophrasto, de Anaximandro traderentur, denuo diligenter examinanda esse putavi; in qua re facienda quid aut invenerim aut invenisse mihi videar, hoc libello proponam, atque ita quidem, ut, quae vere demonstrata esse videantur et quae non nisi probabili coniectura nitantur, accurate separentur. Invenientur quidem multa, de quibus nulla est dissensio; sed non potui omittere, quia et arctissime cohaerent cum reliquis et quia libellum ex sese ipsum volui intellegi posse.

I.

DE GENERALI NATVRAE INFINITAE NOTIONE.

1. Anaximander in numero eorum est, qui unum solum rerum principium posuerunt, quod per se solum omnes rerum caussas, materialem dico (utendum enim est vocabulo apud philosophos satis trito) et genitricem, in se cohiberet; num etiam in sese unum ac simplex esse putaverit, postea quaerendum erit. Hoc autem unum rerum principium voluit esse id, quod esset infinitum, quod *τὸ ἄπειρον* appellat. Res plane constat ex Aristotele, qui Phys. III, 4.[1]), postquam infinitum docuit necessario principii vim habere, sic sententiam concludit: „*διὸ ... οὐ ταύτης* (id est, *τοῦ ἀπείρου*, de quo paullo ante *ἀρχῆς* vocabulum adhibitum erat) *ἀρχή, ἀλλ' αὕτη τῶν ἄλλων εἶναι δοκεῖ καὶ περιέχειν ἅπαντα καὶ πάντα κυβερνᾶν, ὥς φασιν ὅσοι μὴ ποιοῦσι παρὰ τὸ ἄπειρον ἄλλας αἰτίας, οἷον νοῦν ἢ φιλίαν, καὶ τοῦτ' εἶναι τὸ θεῖον· ἀθάνατον γὰρ καὶ ἀνώλεθρον, ὥς φησιν ὁ Ἀναξίμανδρος καὶ οἱ πλεῖστοι τῶν φυσιολόγων*". Quibus verbis aperte duo continentur, primum, ab Anaximandro infinitum poni omnium rerum principium, deinde, si respexeris ad verba, „*ὥς φασιν ὅσοι μὴ ποιοῦσι παρὰ τὸ ἄπειρον ἄλλας αἰτίας, οἷον νοῦν καὶ φιλίαν*", ita poni omnium rerum principium, ut unum omnes rerum caussas, et materialem et genitricem, contineat. Anaximandrum unum solum statuere principium, ex quo per quendam ipsius motum omnes res generentur, Aristoteles etiam Phys. I, 4[2])

---

1) 203^b 10.

2) 187^a 12—21.

certis verbis ostendit; de quo loco aeque atque de aliis ad eandem rem pertinentibus infra accuratius disserendum erit.

Consentiunt omnes, qui postea de Anaximandri principio tradiderunt, quorum testimonia deinceps adscribentur. Sed est apud eos quaedam testimoniorum differentia; cum enim ad unum omnes dicant, Anaximandrum rerum principium ponere *τὸ ἄπειρον*, qua ratione velit esse principium, certe non iisdem verbis significant; quae quidem verborum differentia propterea non neglegenda videtur esse, quia ex ea concludere licet, qualis et quanta apud quemque Anaximandri fuerit cognitio. Omnium optime ipsum Anaximandri sententiam significare videntur, quae Eusebius ex Plutarchi Stromatis rettulit[1]): „*Ἀναξίμανδρον . . τὸ ἄπειρον φάναι τὴν πᾶσαν αἰτίαν ἔχειν τῆς τοῦ παντὸς γενέσεως καὶ φθορᾶς*", quae plane conveniunt cum iis, quae paullo ante ex Aristotele didicimus, infinitum Anaximandri per se solum omnes rerum caussas continere. Non verbis quidem verum sententia omnino congruunt Simplicius[2]), Hippolytus[3]), Diogenes Laertius[4]), qui, eodem, ut videtur, fonte aut certe rivulis ex eodem fonte deductis usi, rem ita exprimunt, ut ab Anaximandro infinitum *ἀρχὴν καὶ στοιχεῖον τῶν ὄντων* poni dicant. Horum enim duorum vocabulorum coniunctione videntur significare, infinitum Anaximandri principium esse et ex quo omnia gignantur tamquam materia subiecta, et

---

1) Euseb. Praep. Ev. I, 8. 2.

2) Simplic. Phys. 6 a post med.: „*τῶν δὲ ἓν καὶ κινούμενον καὶ ἄπειρον λεγόντων Ἀναξίμανδρος . . . ἀρχήν τε καὶ στοιχεῖον εἴρηκε τῶν ὄντων τὸ ἄπειρον*".

3) Hippolyt. Refut. I, 6: „*οὗτος ἀρχὴν ἔφη τῶν ὄντων φύσιν τινὰ τοῦ ἀπείρου, ἐξ ἧς γίνεσθαι τοὺς οὐρανοὺς καὶ τοὺς ἐν αὐτοῖς κόσμους* (sic Ritter pro vulg. *κόσμον*)"; et paullo post, duabus sententiis interiectis, „*οὗτος μὲν ἀρχὴν καὶ στοιχεῖον εἴρηκε τῶν ὄντων τὸ ἄπειρον . . .*"

4) Diog. Laert. I, 6: „*οὗτος ἔφασκεν ἀρχὴν καὶ στοιχεῖον τὸ ἄπειρον.*"

cuius motu atque effectu gignantur. Namque *ἀρχή*, quae in toto hoc genere vox generalissima est et ad *στοιχεῖον* se habet ut genus ad aliquam generis speciem, significat quidem principium in universum ideoque, ut quamvis aliam principii speciem, sic etiam *στοιχεῖον* significare potest. Quodsi autem '*ἀρχὴ καὶ στοιχεῖον*' coniunguntur, vix dubium potest esse, quin haec diverso adhibeantur intellectu. Atque hinc iam patet, cum *στοιχεῖον* aperte significet naturam subiectam, e qua res gignantur in quamque resolvantur, *ἀρχὴν* aliam quandam caussae speciem significare, quae quidem hoc loco esse non potest nisi quoddam motus principium in ipsa natura subiecta insitum, quo efficiente ex ea res gignantur. Secuti autem in hac distinctione Aristotelem sumus, qui primus horum vocabulorum significationes accuratius exposuit et usu firmavit[1]).

Ab his diversi Pseudo-Plutarchus[2]) et iisdem verbis

---

1) Vide Aristot. Metaph. V, c. 1 et 3. Brevissime rationem, qua *ἀρχὴ* et *στοιχεῖον* inter se differant, indicat Metaph. XII, 4. 1070^b 22, hisce verbis: „*ἐπεὶ δὲ οὐ μόνον τὰ ἐνυπάρχοντα αἴτια, ἀλλὰ καὶ τῶν ἐκτὸς οἷον τὸ κινοῦν, δῆλον, ὅτι ἕτερον ἀρχὴ καὶ στοιχεῖον · αἴτια δ' ἄμφω · καὶ εἰς ταῦτα διαιρεῖται ἡ ἀρχή · τὸ δὲ ὡς κινοῦν ἢ ἱστὰν ἀρχή τις καὶ οὐσία.*“ Eadem distinctio adhibetur ibid. 10. 1075^b 3, ubi, de Empedoclis principiis disserens, ait: „*αὐτὴ δὲ* (*ἡ φιλία* intellegitur) *ἀρχὴ καὶ ὡς κινοῦσα, συνάγει γάρ, καὶ ὡς ὕλη, μόριον γὰρ τοῦ μίγματος. εἰ δὴ καὶ τῷ αὐτῷ συμβέβηκεν καὶ ὡς ὕλῃ ἀρχῇ εἶναι καὶ ὡς κινοῦντι, ἀλλὰ τό γε εἶναι ἄλλο.*“ Et si Metaph. I, 3. 983^b 6, de diversis principii generibus disserens, ait: „*τῶν δὴ πρώτων φιλοσοφησάντων οἱ πλεῖστοι τὰς ἐν ὕλης εἴδει μόνας ᾠήθησαν ἀρχὰς εἶναι πάντων · ἐξ οὗ γὰρ ἔστιν ἅπαντα τὰ ὄντα καὶ ἐξ οὗ γίγνεται πρώτου καὶ εἰς ὃ φθείρεται τελευταῖον, . . . τοῦτο στοιχεῖον καὶ ταύτην ἀρχήν φασιν εἶναι τῶν ὄντων*“, addita vox *ἀρχὴ* certe non idem valet atque *στοιχεῖον*, sed aliam caussae speciem significat.

2) Plut. Plac. I, 3: „*Ἀναξίμανδρος δὲ ὁ Μιλήσιός φησι τῶν ὄντων τὴν ἀρχὴν εἶναι τὸ ἄπειρον, ἐκ γὰρ τούτου πάντα γίνεσθαι καὶ εἰς τοῦτο πάντα φθείρεσθαι· διὸ καὶ γεννᾶσθαι ἀπείρους κόσμους καὶ πάλιν φθείρεσθαι εἰς τὸ ἐξ ου γίνεται.*“

utens Stobaeus[1]), pariter rerum principium ab Anaximandro *τὸ ἄπειρον* dici referentes, ad significandum principium solo *ἀρχῆς* vocabulo utuntur, nulla alia voce adiecta, hocque vocabulum non nisi de caussa materiali intellegunt. Quare Anaximandrum vituperant, quod rerum principium in sola materia posuerit caussam autem efficientem omnino omiserit[2]). Quae quidem vituperatio, qualis ab illis proponitur, argumento esse potest, eius auctorem, quisquis fuit, ipsam Anaximandri rationem non iam cognovisse. Namque Anaximander caussam moventem non omisit sed in ipsa natura subiecta, id est, in infinito illo inesse censuit, ut iam vidimus et postea clarius videbimus; et si Aristoteles[3]) dicit, primos philosophos totum rerum principium in natura subiecta posuisse, neglecta caussa moventi, nihil aliud dicit, nisi ab illis philosophis caussam moventem nondum per se a caussa materiali separari; siquidem in Anaximandri infinito motum generatorem inesse ipse satis aperte docet. Adnumerandus his Cicero[4]) quoque est, qui, cum de Anaximandro loquens dicat: „is enim infinitatem naturae dixit esse, e qua omnia gignerentur", ita de Anaximandri principio loquitur, quasi nihil sit praeter naturam subiectam; qui quidem propterea etiam vituperandus est, quod *τὸ ἄπειρον* imprudentius non *infinitam naturam* sed *infinitatem naturae* interpretatur.

2. Cum de *ἀρχῆς* vocabulo dixerimus, de eodem statim alia succurrit quaestio, quam non licet praetermittere. Sunt enim, qui Anaximandrum primum ad significandum rerum

---

1) Stob. I, 10. p. 292. Cf. praeterea Galen. philos. hist. c. 5. p. 243. ed. K. „— *εἶναι μὲν ἀρχὴν ὑλικὴν ἅπαντες δεδώκασιν· .... Ἀναξίμανδρος δὲ ἄπειρον.*"

2) Plut. l. l. „*ἁμαρτάνει οὖν, τὴν μὲν ὕλην ἀποφαινόμενος, τὸ δὲ ποιοῦν αἴτιον ἀναιρῶν· τὸ γὰρ ἄπειρον οὐδὲν ἄλλο ἢ ὕλη ἐστιν.*" Apud Stob. l. l. „*ἁμαρτάνει — ἀναιρῶν*" desunt.

3) Metaph. I, 3.

4) Cic. Acad. II, 37.

principium ἀρχῆς vocabulum adhibuisse hocque vocabulum in philosophiam introduxisse putent. Atque primus quidem, quod sciam, Bruckerus hanc sententiam, non quidem suo sed Pseudo-Origenis (Hippolyti) nomine, protulit, hisce verbis: „Hoc infinitum primum esse principium dixit; *vocemque* ἀρχὴν primum in hoc sensu accepisse, ut caussam rerum indicaret, refert Pseudo-Origenes“[1]). Postea plures eandem sententiam amplexi sunt, partim ita, ut veri simile dicerent esse, velut Schleiermacher[2]) et Zeller[3]), partim ita, ut pro certo adfirmarent, quemadmodum Brandis[4]) et Ueberweg[5]). Negat atque quidem, ut solet, paullo confidentius, Teichmüller[6]); verum in eodem libro[7]) sententiam mutat atque quod antea negavit, non minus confidenter adfirmat. Neutri vero argumentis idoneis sententiam probaverunt.

Quae cum ita sint, res paullo accuratius videtur examinanda esse, quoniam et, ut Aristotelis verbis utar, „*ἔχει φιλοσοφίαν ἡ σκέψις*“, et, quamvis parva videatur ac levis, tamen magni est momenti. Namque cum omnis appellatio iudicium quoddam contineat de ipsa eius rei, quae nomine quodam appellatur, natura ac proprietate, consentaneum est, eum, qui primus in aliqua disciplina rei cuidam nomen imposuerit, quo haec disciplina iam ut suo ac proprio utatur, primum etiam huius rei notionem clare ac distincte conceptam habuisse; nominis igitur prima impositio cum clara notionis conceptione coniuncta est. Atque hanc ob caussam cum in reliquarum disciplinarum tum in philosophiae historia plurimum interest scire, quis vocabulum quoddam postea usitatum primus introduxerit, quoniam inde

1) Tom. I, p. 481.

2) Werke, zur Philosophie IV, 1. p. 31.

3) Geschichte der Griech. Philos. I, p. 193, edit 3.

4) Handbuch der Griech. und Röm. Philos. I, p. 127.

5) Grundriss der Geschichte der Philos. I, §. 13.

6) Studien zur Geschichte der Begriffe, p. 48.

7) Ibid. p. 560 sq.

simul cognoscitur, quis primus notionem illo vocabulo significatam accurate mente informaverit; in qua re maxime eorum, qui in aliqua disciplina versati sunt, ingenium cernitur. Quod si tenemus, eum, qui primus ad summum rerum principium significandum ἀρχῆς vocabulo usus sit, recte iudicabimus ipsam quoque summi principii notionem talem concepisse, qualis hoc vocabulo significatur; iudicabimus igitur, eum ad cognoscendam summi principii naturam ac vim cogitatione a caducis mundi rebus adscendisse ad ipsum harum rerum initium ibique mente naturam quandam informavisse, quae omnes rerum et generationis et dispositionis caussas in se cohiberet, ipsa autem ante se nullam caussam haberet, quae igitur iure eorum ἀρχὴ dici posset.

Num igitur re vera Anaximander primus ad significandum rerum principium ἀρχῆς vocabulum introduxit? Tres sunt veterum loci, a quibus potissimum rei diiudicatio pendet, duo Simplicii, tertius Hippolyti; quae praeterea adferuntur aut adferri possunt, adiuvare fortasse demonstrationem possunt, neque autem per se sola quidquam demonstrant.

Proficiscendum videtur esse a primo Simplicii loco[1]), quo is, accurata diversorum philosophorum divisione adhibita, consulto Anaximandri doctrinam exponit, Theophrastum, ut videtur, secutus. Hoc igitur loco haec leguntur: „τῶν δὲ ἓν καὶ κινούμενον καὶ ἄπειρον λεγόντων Ἀναξίμανδρος μὲν Πραξιάδου Μιλήσιος Θαλοῦ γενόμενος διάδοχος καὶ μαθήτης, ἀρχήν τε καὶ στοιχεῖον εἴρηκε τῶν ὄντων τὸ ἄπειρον, πρῶτος τοῦτο τοὔνομα κομίσας τῆς ἀρχῆς“. Num igitur hoc loco Anaximander dicitur primus ipsum ἀρχῆς vocabulum induxisse? Rei diiudicatio tota posita est in ea quaestione, quo referendum sit ‘τοῦτο τοὔνομα’, utrum pertineat ad ‘τὸ ἄπειρον’, quod proxime antecedit, an

1) Simplic. Phys. p. 6 a post m.

coniungendum sit cum sequenti ʻτῆς ἀρχῆςʼ. Atque notum est, pronomen ʻτοῦτοʼ communi sermonis graeci usu referri solere ad id, quod praecesserit, ʻτόδεʼ vero ad id, quod sequatur, quamquam usus non ita constans est, ut non passim etiam, maxime, puto, apud poetas, utraque vox utroque modo adhibeatur[1]). Itaque primum, si τοῦτο refertur ad aliquid, quod praecessit, si duo sunt, ad quae referri possit, referendum est ad id, quod aut loco aut cogitatione aut etiam utroque propius est, de eo autem, quod aliqua harum rationum remotius est, adhibendum est ἐκεῖνο[2]). Iam vero nostro loco duo quidem praecesserunt, ad quae ʻτοῦτο τοὔνομαʼ referri possit, ʻἀρχή τε καὶ στοιχεῖονʼ et ʻτὸ ἄπειρονʼ; atqui horum τὸ ἄπειρον patet et loco et cogitatione propius esse; ergo τοῦτο τοὔνομα ad τὸ ἄπειρον referendum est; namque si scriptor ἀρχὴν intellegi voluisset, certe dicturus fuisset ʻἐκεῖνο τό ὄνομαʼ. Possit aliquis obicere, etiamsi τοῦτο τοὔνομα, si sola ratio grammatica respiciatur, vix referri possit nisi ad τὸ ἄπειρον, tamen Simplicium adpositione genitivi τῆς ἀρχῆς omni ambiguitati satis consuluisse. At si hoc statuimus, genitivus τῆς ἀρχῆς est adpositio ad τοῦτο τοὔνομα, qua incertior huius nominis ratio ad certae cuiusdam rei significationem restringitur; sed si hac ratione genitivus ad nomen substantivum adponitur, ante eum illius nominis articulus solet repeti; dicendum igitur fuisset ʻτοῦτο τοὔνομα κομίσας τὸ τῆς ἀρχῆςʼ[3]). Quodsi vero sumpseris, τοῦτο τοὔνομα non ad quidquam praecedens, sed statim ad sequentem genitivum τῆς ἀρχῆς referri, ita ut ʻipsum ἀρχῆς nomenʼ intellegatur, rursus genitivus adpositus eam habebit vim, ut τοῦτο τοὔνομα ad significationem τῆς ἀρχῆς restringatur. At proxime vidimus, si haec esset genitivi vis, ante eum articulum nominis, ad

---

1) Cf. Mathiae Gramm. graec. ampl. §. 470.

2) Cf. ibid. §. 470 et §. 471.

3) Vide Stallbaum ad Plat. Gorg. 455 D.; Phileb. 14 B. Cf. Mathiae Gr. gr. ampl. §. 278, Not. 1.

quod pertineret, repeti solere, quem quidem haud facile quemquam censeo Graecum in simili caussa omissurum fuisse. Quare, quoniam articuli repetitio deest, verba 'τοῦτο τοὔνομα' non ita ad genitivum 'τῆς ἀρχῆς' referri videntur, ut ipsum ἀρχῆς nomen intellegatur. Addo, Simplicium, si hoc voluisset, ipsa cogitatione cogente procul dubio 'αὐτὸ τὸ ὄνομα τὸ τῆς ἀρχῆς' dicturum fuisse[1]). Denique memorandum est, si τοῦτο τοὔνομα hoc modo ad genitivum τῆς ἀρχῆς referatur, verba „πρῶτος τοῦτο τοὔνομα κομίσας τῆς ἀρχῆς" vix aliter intellegi posse nisi ita, ut Anaximander dicatur primus ipsum ἀρχῆς vocabulum non solum in philosophiam ad significandum summum rerum principium, verum etiam in ipsum graecum sermonem induxisse, antea omnino non adhibitum, id est, primum ipsum hoc vocabulum finxisse. Id autem aperte falsum est, cum apud Homerum et Hesiodum huius vocabuli usus frequentissimus sit. Quodsi autem τοῦτο τοὔνομα refertur ad τὸ ἄπειρον, per se id solum significatur, Anaximandrum vocem τὸ ἄπειρον primum induxisse ad significandum rerum principium, neque vero primum etiam in ipsum sermonem induxisse; sed ne tum quidem, si hoc simul significari putaveris, quidquam dicitur, quod aperte falsum sit; nam quantum ego quidem sciam, vox 'ἄπειρον' ante Anaximandrum non invenitur, et idcirco saltem incertum est, num ante eum sit adhibitum.

Quae si probabiliter disputata sunt, concedendum erit, verba τοῦτο τοὔνομα referri non posse nisi ad τὸ ἄπειρον, quod et loco et cogitatione proxime antecedit. Hoc autem si verum est, sequitur, ut Simplicius — vel potius Theophrastus — hoc loco Anaximandrum non vocem ἀρχὴν sed vocem τὸ ἄπειρον primum induxisse dicat, atque ita

1) Haec iam scripta erant, cum cognovi, Usnerum (Analecta Theophrastea) re vera αὐτὸ pro τοῦτο scripsisse, ac rectissime quidem, si τοὔνομα illo modo ad genitivum τῆς ἀρχῆς refertur.

quidem induxisse, ut primus hac voce 'τὴν ἀρχὴν', id est, summum rerum principium nuncuparet; namque, num etiam ipsam hanc vocem primus formaverit atque in Graecum sermonem induxerit, ex ipsis Simplicii verbis intellegi non posse vidimus. Quid autem inde sequatur, quod Anaximander primus summum rerum principium τοῦ ἀπείρου vocabulo appellaverit, postea accuratius explicabitur.

Transimus ad locum Hippolyti[1]), qui sic legitur: „οὗτος (Ἀναξίμανδρος) μὲν ἀρχὴν καὶ στοιχεῖον εἴρηκε τῶν ὄντων τὸ ἄπειρον, πρῶτος τοὔνομα καλέσας τῆς ἀρχῆς". Quo loco verba 'πρῶτος τοὔνομα καλέσας τῆς ἀρχῆς', si per se sola, ut scripta sunt, considerantur, haud facile aliter intellegi poterunt nisi ita, ut Anaximander dicatur primus vocem ἀρχὴν adhibuisse atque quidem non solum primus adhibuisse ad significandum summum verum principium, verum etiam ipsam vocem finxisse et in sermonem induxisse[2]). Sed quaeritur, quanti aestimanda sit huius loci fides, quae plures ob caussas admodum dubia est. Primum enim, quod Anaximander simpliciter dicitur primus vocem ἀρχὴν adhibuisse, id paullo ante omnino falsum esse cognovimus. Deinde si ea est loci sententia, quam solam in verbis inesse posse diximus, omnino desideratur repetitio articuli τὸ ante genitivum τῆς ἀρχῆς, quem in tali genitivi significatione repeti solere ostendimus. Tum, id quod gravissimum est, si hunc Hippolyti locum cum loco Simplicii, de quo modo tractavimus, comparamus, tanta in iis et verborum et verborum ordinis apparet consensio, ut dubitari nequeat, quin ex eodem fonte fluxerint; sola enim differentia in eo posita est, quod apud Hippolytum ante vocem τοὔνομα deest pronomen τοῦτο, quod apud Simplicium

---

1) Refut. haeres. I, 6.

2) Bruckerus sine ulla caussa verborum sententiam contrahit, cum Pseudo-Origenem referre dicat Anaximandrum vocem ἀρχὴν primum in hoc sensu accepisse, ut caussam rerum significaret. cf. supra p. 7.

invenitur, et quod apud illum *καλέσας* legitur pro Simplicii *κομίσας*[1]). Quodsi autem ex eodem fonte fluxerunt, ut diiudicari possit, uter in ea re, de qua differunt, sequendus sit, quaerendum est, uter eorum in huius fontis usu diligentior fuisse magisque ipsam eius speciem referre existimandus sit. Is autem sine dubio est Simplicius. Hippolytum enim ipsa, quae ab eo referuntur, produnt, ex fonte suo festinanter tantum insignes quasdam sententias arripuisse, ratione earum et continuatione neglecta[2]). Simplicius vero, ut ex ipso satis patet, toto eo loco, cuius is, quem attulimus, parvula quaedam pars est, consulto id agit, ut, accurata doctrinarum divisione adhibita, quae cuiusque philosophi doctrina quaeque a reliquis differentia sit, exponat; atque ut id efficeret, non unum solum sed plures auctores consuluit, inter se comparavit, differentias notavit, cuius sententia vera putanda esset, propositis rationibus diiudicavit[3]). Communis autem ille fons sine dubio est

---

1) Summa locorum consensio apparet, si inter se opponuntur in hunc modum:

verba Simplicii:	verba Hippolyti:
„*Ἀναξίμανδρος μὲν Πραξιάδου Μιλήσιος . . . ἀρχήν τε καὶ στοιχεῖον εἴρηκε τῶν ὄντων τὸ ἄπειρον, πρῶτος τοῦτο τοὔνομα κομίσας τῆς ἀρχῆς.*“	„*ουτος* (nomen paullo ante indicatum erat) *μὲν ἀρχὴν καὶ στοιχεῖον εἴρηκε τῶν ὄντων τὸ ἄπειρον, πρῶτος τοὔνομα καλέσας τῆς ἀρχῆς.*“

2) Sufficit, uno exemplo rem probavisse. Cum initio dixerit, „*οὗτος ἀρχὴν ἔφη τῶν ὄντων φύσιν τινὰ τοῦ ἀπείρου κτλ.*“, duabus sententiis interiectis ait: „*οὗτος μὲν ἀρχὴν καὶ στοιχεῖον εἴρηκε τῶν ὄντων τὸ ἄπειρον κτλ.*“; in quibus eiusdem sententiae repetitio, quae praeterea sine ulla coniunctione grammatica induciter, (namque in repetitione certe dicendum erat: *οὗτος μὲν οὖν*) festinantiam in scribendo ostendit.

3) Iam statim initio, p. 5b extr. et 6a init., de Xenophanis doctrina disserens praeter Theophrastum Nicolaum Damascenum et Alexandrum Aphrod. adfert, hisque refutatis illum probat. Rursus p. 6a extr. et p. 6b init. Theophrasti de Diogene Apolloniate testimonium ex ipsis Diogenis libris verum esse ostendit, diversam

Theophrastus, atque ita quidem, ut Simplicius ex ipso hauserit, de Hippolyto vero dubitari possit, utrum ex ipso Theophrasto an ex alio quodam scriptore illum sequenti sua sumpserit[1]). Cum igitur maior Simplicii diligentia et hanc ob caussam maior etiam fides sit quam Hippolyti, si de qua re inter se dissentiunt, ille testis gravior ac certior putandus est. Quare pronomen illud *τοῦτο* ante *τοὔνομα*, quod apud Hippolytum deest, apud Simplicium vero legitur, existimari oportet ab hoc ex ipso illo fonte communi receptum, ab illo autem omissum esse, sive ipse primus omisit sive a scriptore, quem sequebatur, iam erat omissum, sive postea demum librariorum culpa ex Hippolyti libris evanuit. Atque si ita rem se habere statuimus, duae etiam illae difficultates, quas initio memoravimus, facile solvuntur; namque articulus '*τὸ*' ante '*τῆς ἀρχῆς*' non repetitur, quia in fonte illo deerat et ob loci sententiam deesse debebat; is autem error, quod Anaximander dicitur primus ipsum *ἀρχῆς* vocabulum adhibuisse, non nisi ex fontis illius mutilatione ortus est. Sequitur, ut Hippolyti testimonium de ea re, de qua nunc agitur, prorsus inane habendum sit.

Pervenimus denique ad alterum Simplicii locum, qui legitur in commentario ad Aristot. Phys. I, 4[2]). Hic enim Simplicius, postquam exposuit, alterum physicorum genus

---

Damasceni opinionem reicit; cf. p. 32 a post med. P. 6 b circa med. suam de Platonis principiis sententiam Theophrasto et Alexandro opponit et ex Platonis libris defendit.

1) Quem potissimum Simplicius auctorem secutus sit, inde maxime intellegi potest, quod, cum alias sententiae suae fontem non indicet, ubi de re aliqua graviore diversorum auctorum opiniones exponit, reliquorum opinionibus semper Theophrasti opinionem opponit hancque ut suam defendit. Cf. not. praec. Hinc enim iure potest concludi, eum in iis quoque, in quibus auctorem non nominat, Theophrastum maxime secutum esse.

2) Simplic. Phys. p. 32 b, parte sup.

res ex natura subiecta (*ἐκ τοῦ ὑποκειμένου*) generari velle quadam ipsius commutatione, alterum contrariorum secretione, addit; „... *ἐνούσας γὰρ τὰς ἐναντιότητας ἐν τῷ ὑποκειμένῳ ἀπείρῳ* ... *ἐκκρίνεσθαί φησιν Ἀναξίμανδρος, πρῶτος αὐτὸς ἀρχὴν ὀνομάσας τὸ ὑποκείμενον*". Cuius quidem loci si consideramus rationem grammaticam, statim duplex occurrit interpretatio. Namque primum ita intellegi potest, ut '*ἀρχὴν*' pertineat ad praedicatum '*ὀνομάσας*', '*τὸ ὑποκείμενον*' autem sit obiectum, sive, quod hoc loco idem est, (facile enim sententia ita mutatur, ut casus obliqui vertantur in rectos) subiectum, cui Anaximander primus nomen *ἀρχῆς* imposuerit; deinde ita, ut '*τὸ ὑποκείμενον*' pertineat ad praedicatum, vox '*ἀρχὴν*' autem rationem habeat subiecti, quod ille primus dixerit *τὸ ὑποκείμενον*.

Utraque interpretatio per se aeque probabilis est. Primo quidem obtutu ea, quam priore loco posuimus, simplicior et ad quotidianum loquendi et cogitandi usum videtur accommodatior esse, et propter articulum ante '*ὑποκείμενον*' positum, omissum autem ante '*ἀρχήν*', et quia *τὸ ὑποκείμενον*, quippe quod significet rem per se constantem, et *ἀρχή*, quippe quae non rem per se constantem sed potius rei per se constantis vim quandam ac proprietatem significet, ita inter se habent, ut illud sua ipsius natura subiecti, hoc autem praedicati rationem habere videatur. Verum altera quoque interpretatio et cum graeci sermonis usu et cum naturali ratione cogitandi omnino convenit.

Primum enim, quamvis articulus ante praedicatum rarior sit, propter ipsam praedicati rationem, quippe quod plerumque non totum sed aliqua solum sua parte intellegatur, necessario tamen ponitur, si notio, quae praedicato continetur, non commune aliquid significat, quod solum aliqua sua parte neque autem toto suo ambitu subiecto conveniat, verum si significat unum aliquid omnibusque numeris definitum, quod totum subiecto contineatur,

sive est notio rei singularis, quae per se una ac definita est et de uno solum atque de hoc quidem tota praedicatur, sive notio generalis sic accepta, ut, quod ea significatur, per excellentiam, id est, non in species divisum, sed unum aliquid omnibus numeris absolutum totamque notionis vim atque quasi ambitum in sese comprehendens intellegatur, quod totum neque autem aliqua solum specie enuntiationis subiecto contineatur. Quare, si Aristoteles in libris Metaphysicis ait, „*τοῦτο γὰρ* (intellegitur *ζωὴ καὶ αἰὼν συνεχής*) *ὁ θεός*"[1]), indicat, summum deum unum esse totumque contineri ea re, quae subiecti locum obtinet; si dixisset *θεὸς* sine articulo, dei notio haberi posset pro notione communi, quae non tota sed aliqua solum parte intellegenda esset. Et si ibidem[2]) dicit, „*ἐκεῖνος δὲ* (*ὁ θεὸς*) *ἡ ἐνέργεια*", *ἐνέργεια* intellegitur omnibus numeris absoluta unaque omnem notionis potestatem in se cohibens sive *ἐνέργεια* per excellentiam, quae tota neque autem solum aliqua parte deo contineatur; si dixisset, „*ἐκεῖνος δὲ ἐνέργεια*" sine articulo, intellegi posset, non ipsam *ἐνέργειαν* totam atque in sese perfectam, sed solum aliquam eius speciem de deo praedicari. In universum autem tota caussa uno exemplo illustratur, si consideraveris, quae sit sententiarum differentia, si dicas, „*ἡ δικαιοσύνη ἐστὶν ἀρετή*", et si dicas, „*ἡ δικαιοσύνη ἐστὶν ἡ ἀρετή*"[3]). Quod si ad nostrum

---

1) Metaph. XII, 7. 1072 b 30.

2) 1072 b 27.

3) Quanto opere hi duo loquendi modi inter se differant, Aristoteles Anal. pr. I, 40. 49b 10 breviter animadvertit hisce verbis: „. . *οὐ ταὐτόν ἐστι τὸ εἶναι τὴν ἡδονὴν ἀγαθὸν καὶ τὸ εἶναι τὴν ἡδονὴν τὸ ἀγαθόν*". Quod exemplum cum instar omnium esse possit, pauca tantum addo. Plat. Symp. 205 D: „. . . *ἡ τῶν ἀγαθῶν ἐπιθυμία καὶ τοῦ εὐδαιμονεῖν ὁ μέγιστός τε καὶ δολερὸς ἔρως παντί*". Gorg. 491 E: „*τοῦτ' ἐστὶ τὸ κατὰ φύσιν καλὸν καὶ δίκαιον*"; et paullo ante: „*τοὺς ἠλιθίους λέγεις τοὺς σώφρονας*". Cf. ad h. l. Stallbaum, et praeterea Mathiae Gr. gr. ampl. § 265 not.

locum referimus, facile patet, *τὸ ὑποκείμενον* esse aliquid unum et totum, sive ita unum ut rem singularem, sive ut genus omnes species amplectens, hocque totum intellegi id, cuius nomine ab Anaximandro principium sit appellatum.

Quod autem attinet ad articuli omissionem ante vocem '*ἀρχήν*', duae sunt caussae, cur articulus ante subiectum omitti possit. Altera est, si subiectum est notio generalis haecque omnino infinite accipitur, ita ut nec ipsum genus per excellentiam, tamquam unum aliquid et absolutum, nec certa aliqua generis species, sed *quaelibet* eius species intellegatur[1]). Altera posita esse videtur in ipsa vocabulorum quorumdam significatione, talium videlicet, quibus quod significetur, ita unum sit atque definitum, ut articuli adpositione non opus sit, praeterquam si forte alias ob caussas postulari videatur; de quibus accuratius disserere non huius est loci[2]). In quorum vocabulorum numero in primis sunt etiam voces '*τελευτή*' et '*ἀρχή*', haec sive de tempore sive de caussa adhibetur[3]). Atque *ἀρχὴν* quidem

---

1) In magna exemplorum copia in uno Platonis exemplo acquiesco, Rep. VI, 505 B: „. . *τοῖς μὲν πολλοῖς ἡδονὴ δοκεῖ εἶναι τὸ ἀγαθόν, τοῖς δὲ κομψοτέροις φρόνησις*"; et paullo post: „*οὐκ ἔχουσι δεῖξαι, ἥ τις φρόνησις*"; quo loco ipsa interrogatio „*ἥ τις φρόνησις*" indicat, *φρόνησιν* sine articulo positam significavisse quamvis *φρονήσεως* speciem. Ibidem 506 B iterum dicitur: „*πότερον ἐπιστήμην τὸ ἀγαθὸν φὴς ἢ ἡδονήν;*" Hoc modo etiam Aristoteles Metaph. XII, 7. 1072 b 16 ait: „*ἐπεὶ καὶ ἡ ἡδονὴ ἐνέργεια τούτου*", hoc est: huius *ἐνέργεια* ipsa voluptas est in se completa.

2) Cf. Mathiae l. l. § 264, 5.

3) Cf. Krüger ad Xenoph. Anab. I, 1, 1. Ut appareat, quam usitata sit ante *ἀρχὴν* et *τελευτὴν* articuli omissio, satis erit, unum attulisse Platonis locum, Rep. VI, 510 B, ubi Plato, duas illas *τοῦ νοητοῦ* partes expositurus, ait: „. . *τὸ μὲν αὐτοῦ . . . ψυχὴ ζητεῖν ἀναγκάζεται ἐξ ὑποθέσεως, οὐκ ἐπ' ἀρχὴν πορευομένη ἀλλ' ἐπὶ τελευτήν, τὸ δ' αὖ ἕτερον ἐπ' ἀρχὴν ἀνυπόθετον ἐξ ὑποθέσεως ἰοῦσα* . ." Simili sententia ibid. 511 A et D dicitur „*ἐπ' ἀρχὴν ἰέναι*" et „*ἐπ'*

ipse quoque Simplicius locis, quorum ratio eadem fere est atque eius, de quo nunc agimus, saepe sine articulo ponit, velut, ubi primum de Anaximandro disserit[1]) „Ἀναξίμανδρος“, inquit, „ἀρχήν τε καὶ στοιχεῖον εἴρηκε τῶν ὄντων τὸ ἄπειρον; quamquam saepius etiam articulo utitur. Illi autem auctores, qui brevia illa ʻphilosophorum placitaʼ conscripserunt, Pseudo-Plutarchus, Stobaeus, Hippolytus, Eusebius, pariterque Diogenes Laertius, ubi, in qua quisque re summum principium posuerit, breviter indicant, semper fere vocem ʻἀρχὴνʼ eamque quidem subiecti ratione utentem, sine articulo adhibent, nisi ob praecedentem genitivum articulus postulatur[2]). Ex hisce omnibus autem conspicuum est, in verbis „πρῶτος αὐτὸς ἀρχὴν ὀνομάσας τὸ ὑποκείμενον“ graeci sermonis usum omnino non obstare,

ἀρχὴν ἀνελθεῖν“ pariterque ibid. B „ἐπὶ τελευτὴν καταβαίνειν“. Quod paullo ante, ibid. B, dicitur „ἐπὶ τὴν τοῦ παντὸς ἀρχὴν ἰέναι“, id ab interposito genitivo pendet.

1) Phys. p. 6 a post med.

2) Cf. Plut. Plac. I, 3: „Θαλῆς ἀρχὴν τῶν ὄντων ἀπεφήνατο τὸ ὕδωρ .... Ἀναξιμένης ... ἀρχὴν τῶν ὄντων ἀέρα ἀπεφήνατο ... Ἀναξαγόρας .. ἀρχὰς τῶν ὄντων τὰς ὁμοιομερείας ἀπεφήνατο ... Ἡράκλειτος ... τὸ πῦρ κτλ.“ Hippol. Refut. I, 1, de Thalete: „οὗτος ἔφη ἀρχὴν τοῦ παντὸς εἶναι καὶ τέλος τό ὕδωρ.“ I, 6, de Anaximandro: „οὗτος ἀρχὴν ἔφη τῶν ὄντων φύσιν τινὰ τοῦ ἀπείρου“, et brevi post: „οὗτος μὲν ἀρχὴν καὶ στοιχεῖον εἴρηκε τῶν ὄντων τὸ ἄπειρον“. Euseb. Praep. Ev. I, 8, 1: „Θαλῆτα ... φασὶν ἀρχὴν τῶν ὄντων ὑποστήσασθαι τὸ ὕδωρ“. Ibid. 9: ʻἈρίστιππος .. τέλος αγαθῶν τὴν ἡδονήν.ʼ Diog. Laert. I, 27, de Thalete: „ἀρχὴν τῶν πάντων ὕδωρ ὑπεστήσατο“. II, 1, de Anaximandro: „οὗτος ἔφασκεν ἀρχὴν καὶ στοιχεῖον τὸ ἄπειρον“. Ibid. 3, de Anaximene: „οὗτος ἀρχὴν ἀέρα καὶ τὸ ἄπειρον“. Sin autem genitivus, quo ἀρχὴ definiatur, praecedit, articulum addunt; velut Plut. Plac. I, 3: „Ἀναξίμανδρος .. φησὶ τῶν ὄντων τὴν ἀρχὴν εἶναι τὸ ἄπειρον“. Hippol. I, 3, de Empedocle: „οὗτος τὴν τοῦ παντὸς ἀρχὴν νεῖκος καὶ φιλίαν ἔφη.“ Ibid. 8, de Anaxagora: οὗτος ἔφη τὴν τοῦ παντὸς ἀρχὴν νοῦν καὶ ὕλην.“ Euseb. Praep. Ev. I, 8, 3: „Ἀναξιμένην δέ φασι τὴν τῶν ὅλων ἀρχὴν τὸν αέρα εἰπεῖν.“

quin 'ἀρχὴν' subiecti, 'τὸ ὑποκείμενον' vero praedicati rationem habeat.

Verum haec interpretatio plane etiam cum cogitandi usu ac ratione consentit. Recte quidem videtur contendi posse, τὸ ὑποκείμενον et ἀρχὴν ita inter se habere, ut illud per se rationem subiecti, haec rationem praedicati habeat. Sed duplex distinguenda est subiecti ratio — loquor autem de subiecto logico et grammatico, non metaphysico —. Altera ratione subiectum est id, quod ipsum per se subiecti natura utitur, hoc est, quod ad ea, quae de eo praedicantur, sic se habet, ut ipsius sint aut universa essentia, aut genus, aut differentia, aut quaedam proprietates atque attributiones, aut accidentia; atque hac quidem ratione nostro loco τὸ ὑποκείμενον se habet ad ἀρχήν, quippe quae illius vis quaedam atque proprietas sit. Altera ratione subiectum est id, a quo primo proficiscitur cogitatio de quoque primo, quid sit, quaeritur, quod quidem potest esse tale, ut non tam quaeratur, quae ipsi conveniant, quam, quid sit id, cui conveniat ipsum. Atque tum accidit, ut, quod sua ipsius natura eius subiectum sit, in cogitatione et sermone de eo praedicetur. Sic is, qui forte boni notionem animo informatam habet, vel qui album colorem conspicit, quaerere potest de re, cui haec notio vel cui hic color conveniat; quam simulatque sibi videtur cognovisse, iudicat et dicit: „τὸ ἀγαθόν ἐστιν ὁ θεός", vel „hoc album est nix". Ex ipsis autem exemplis patet, in tali subiecto semper, atque ipsis quidem cogitandi legibus cogentibus, infinito quodam modo aliquid cogitari, quo illud videatur posse subiectum esse. Prius illud dicere possumus *subiectum logicum*, hoc, quoniam a quadam animi condicione pendet, *psychologicum*, vel etiam, Aristotelem imitantes, illud *subiectum simpliciter*, hoc *subiectum per accidens* [1]). Atque hac posteriore ratione patet nostro loco

1) Aristot. Anal. post. I, 22. 83ᵃ 1: „ἔστι γὰρ εἰπεῖν ἀληθῶς, τὸ λευκὸν βαδίζειν καὶ τὸ μέγα ἐκεῖνο ξύλον εἶναι, καὶ πάλιν, τὸ ξύλον

vocem ἀρχὴν posse subiectum esse, de quo τὸ ὑποκείμενον praedicetur.

His disputatis iam apertum videtur esse, utramque loci interpretationem, et eam, qua τὸ ὑποκείμενον, et eam, qua ἀρχὴ subiectum esse dicitur, et ad graeci sermonis usum et ad naturalem cogitandi rationem accommodatam esse. Verum loci intellectus magno opere diversus efficitur, prout aut illam aut hanc probaveris. Namque si prior interpretatio accipitur, haec efficitur sententia, Anaximandrum, de naturae subiectae vi ac notione cogitantem, primum cognovisse, eam summum esse rerum principium, et hanc ob caussam primum ἀρχῆς nomine appellavisse. Si alteram probaveris, sententia est haec, Anaximandrum, a notione summi cuiusdam principii profectum et quaerentem de re, qua forte hoc principium posset contineri, primum invenisse, hanc rem esse non posse nisi eam naturam, quae omnibus rebus subiecta esset, et hanc ob caussam primum illud principium ipso τοῦ ὑποκειμένου nomine appellavisse. Illic in cogitatione prior est notio τοῦ ὑποκειμένου et quaeritur de eius vi ac notione; hic prior in cogitatione est notio principii et quaeritur de re, qua contineatur.

Sed utra interpretatio probabilior iudicanda est? Meo quidem iudicio posterior sola vera est. Haec enim primum, ut hoc loco tales solum caussas adferam, quae ex ipso Simplicio petita sint, sola accommodata est ad ipsam totius loci rationem, quae ea est, ut de summo rerum principio, cuius notio in tota disputatione prima est, quaeratur, in quanam re a singulis philosophis ponatur. Deinde sola convenit cum priore Simplicii loco, quo, ut vidimus, Anaximander dicitur primus summum rerum principium in eo posuisse,

μέγα εἶναι καὶ τὸν ἄνθρωπον βαδίζειν, κτλ."; et inferius v. 14: „εἰ δὴ δεῖ νομοθετῆσαι, ἔστω τὸ οὕτω λέγειν κατηγορεῖν, τὸ δ' ἐκείνως ἤτοι μηδαμῶς κατηγορεῖν, ἢ κατηγορεῖν μὲν μὴ ἁπλῶς, κατὰ συμβεβηκὸς δὲ κατηγορεῖν."

quod esset infinitum, et ipso *τοῦ ἀπείρου* nomine appellavisse; quod quidem *ἄπειρον* re idem esse apparet atque *τὸ ὑποκείμενον.* Verum etiam si quis priorem interpretationem censuerit praeferendam esse, nullo modo efficitur, ut Anaximander primus ad significandum rerum principium vocem *ἀρχὴν* adhibuerit. Namque verbis, „*πρῶτος ἀρχὴν ὠνόμασε τὸ ὑποκείμενον*", si *τὸ ὑποκείμενον* est subiectum, omnino non significatur, Anaximandrum primum ipsam vocem *ἀρχὴν* aut ipsam vocem *ὑποκείμενον* adhibuisse, sed primum vocem *ἀρχὴν* ad *τὸ ὑποκείμενον* rettulisse hocque illa voce appellavisse; quod quam ob caussam fecerit, hic nondum quaerimus. Sed haec quoque sententia quandam differentiam continet, quae in hac disputatione non levis est. Quae quidem differentia inde pendet, utrum vox *ἀρχὴ* an *τὸ ὑποκείμενον* potiorem sententiae vim contineat, hoc est, utrum illa Anaximandri novatio ad vocem *ἀρχὴν* pertineat, quippe quam ille ad aliam rem rettulerit quam philosophi priores, an ad *τὸ ὑποκείμενον*, quippe de quo ille aliam notionem et vocem praedicaverit quam reliqui. Cum enim Anaximander dicatur *primus* vocabulum *ἀρχὴν* ad *τὸ ὑποκείμενον* rettulisse hacque ipsa re a prioribus philosophis distinguatur, id dupliciter intellegi potest, primum ita, ut in *ἀρχῆς* quidem vocabulo et notione cum prioribus consentire, eo autem ab iis differre dicatur, quod primus hoc *ἀρχῆς* vocabulum ad *τὸ ὑποκείμενον* rettulerit, cum illi hoc vocabulum non ad *τὸ ὑποκείμενον,* sed fortasse ad aliam quandam rem rettulissent; deinde ita, ut cum reliquis in opinione quidem *τοῦ ὑποκείμενου* consentire, eo autem ab iis dissentire dicatur, quod primus *τὸ ὑποκείμενον* appellaverit *ἀρχήν* (propterea scilicet, quod primus *ἀρχὴν* esse cognovisset), cum reliqui non ita appellavissent sed alias fortasse de eo notiones et voces adhibuissent. Patet autem ex iis, quae ad probandam alteram illam loci interpretationem attulimus, verba illa non nisi priore modo intellegi posse, ita ut Anaximander dicatur

ἀρχῆς et notionem et vocem primus ad τὸ ὑποκείμενον rettulisse, cum priores non ad τὸ ὑποκείμενον sed ad alias fortasse res rettulissent; atque inde sequitur, ut ea loci interpretatio, de qua nunc diximus, cum illa altera re omnino consentiat.

Iam igitur, ut, quae disputavimus, breviter complectamur, nullo veterum testimonio probatur, Anaximandrum primum ad significandum rerum principium vocem 'ἀρχὴν' induxisse. Constat vero e Simplicio vel potius e Theophrasto, eum primum summum rerum principium τοῦ ἀπείρου nomine, et, si nostra secundi Simplicii loci interpretatio vera est, τοῦ ὑποκειμένου etiam nomine appellavisse, sive, ut idem aliis verbis dicamus, Anaximandrum primum docuisse, summum rerum principium idem esse atque τὸ ἄπειρον et idem atque τὸ ὑποκείμενον. Quid ex hisce de universa Anaximandri ratione sequatur, itemque quae eius τοῦ ὑποκειμένου notio sit, postea explicandum erit. Id autem iam hoc loco dicere possumus ex iis patere, Anaximandrum, ab opinione summi cuiusdam rerum principii profectum de huiusque vi ac notione quaerentem primum cognovisse, summum rerum principium esse non posse nisi id, quod esset infinitum, ipsum autem totum consistere in natura rebus subiecta[1]); primum igitur docuisse (duae enim illae sententiae coniungendae sunt), summum rerum principium consistere in natura ipsis subiecta hancque, ut re vera posset principium esse, infinitam esse oportere, — sive rerum principium esse τὸ ὑποκείμενον ἄπειρον[2]).

Haec postquam ex solis veterum testimoniis collegimus, iam ex usu videtur esse, etiam alias quasdam

1) Re certe Thales etiam rerum principium idem esse putavit atque naturam ipsis subiectam, nec tamen ita, ut iam claram huius naturae notionem haberet, siquidem Anaximander recte primus dicitur rerum principium appellavisse τὸ ὑποκείμενον.

2) Simplicius, Phys. 32 b part. sup. Anaximandri principium nominat „τὸ ὑποκείμενον ἄπειρον“.

rationes a generalioribus quaestionibus repetitas addere, quibus, quae disputavimus, per se omnino probabilia esse, ostendatur. Primum igitur quod Anaximander referri dicitur primus vocem ‘ἀρχὴν’ ad significandum rerum principium induxisse, per se improbabile est. Namque vox ἀρχὴ naturali sua significatione ita principii notionem continet, ut ultro se menti simul cum hac notione offere debuerit; quare vix credibile est, quemquam veterum scriptorum quaesivisse, aut si quaesivisset, inventurum fuisse, quis primus illam vocem hac significatione adhibuisset. Deinde opinio summi cuiusdam rerum principii necessitate quadam naturali iam ante philosophiae doctrinas in mentibus inhaerebat; ea vigebat in religione, vigebet in theogoniis et cosmogoniis. Ab hac summi cuiusdam rerum principii opinione proficiscebatur etiam philosophia ipsaque in eo maxime versabatur, ut de illo principio quaereret, quale esset et in qua re consisteret. Quare iis, qui de philosophiae historia scripserunt, in primis grave videri debebat referre, quale quisque rerum principium esse putaverit et in qua re posuerit. Cum his autem ea, quae antea disputavimus, omnino consentiunt.

Fusius de hac re disputavimus, primum, ne opinionem tantum videremur proferre, deinde, quia, quamvis levis videatur esse, tamen magnum habet usum ad cognoscendas res graviores; id quod mox apparebit.

3. Sequitur, ut de rationibus videatur quaerendum esse, quibus commotus Anaximander summum rerum principium esse voluerit id, quod esset infinitum. Atque Pseudo-Plutarchus et Stobaeus eum referunt rerum principium dixisse propterea infinitum esse oportere, ne unquam ea, quae esset, rerum generatio deficeret[1]). Eadem ratio verbis

---

1) Plut. Plac., I, 3: „λέγει οὖν, διὰ τί ἄπειρόν ἐστιν· ἵνα μηδὲν ἐλλείπῃ ἡ γένεσις ἡ ὑφισταμένη.“ Et iisdem fere verbis Stob. I, 10, p. 292 et Euseb. Praep. Ev. XIV, 14, 2.

paullo diversis a Simplicio quoque refertur[1]). Sed absurdum fere videtur credere, Anaximandrum hac sola ratione induci potuisse, ut summum rerum principium diceret esse infinitum. Tota enim posita est in opinione, rerum generationem, qualis nunc cernatur, esse oportere sempiternam; quam quidem opinionem quamvis fieri possit ut Anaximander ob aliquam caussam habuerit eamque non ex ipsius doctrina ortam, tamen haud facile ei, quippe viro acuto, satis certa ac firma videri poterat, ut ob eam solam summi principii naturam definiret. Quomodo autem res se habeat, plane patere videtur ex Aristotele[2]); is enim eo loco, quo, ob quas rationes esse aliquid infinitum credatur, exponit, eam quoque adfert, quod ita solum generatio et corruptio rerum nunquam sit defectura, si id, unde, quae fiant, avellantur (*ἀφαιρεῖται*), infinitum sit; — quo quidem loco Anaximandrum intellegi, vel ob illud Simplicii et Pseudo-Plutarchi testimonium certum est. Quare, si Aristoteli fides habenda est, Anaximander illa ratione omnino non usus est, ut rerum principium probaret infinitum esse, sed potius ut esse aliquod infinitum ostenderet[3]).

---

1) Simplic. Comment. Coel. 237^a 38 sq. ed. Carsten: „... *ἄπειρον δὲ πρῶτος ὑπέθετο, ἵνα ἔχῃ χρῆσθαι πρὸς τὰς γενέσεις ἀφθόνως*“.

2) Phys. III, 4. 203^b 18: „*ἔτι* (*ἡ πίστις τοῦ ἀπείρου*) *τῷ οὕτως ἂν μόνως μὴ ὑπολείπειν γένεσιν καὶ φθοράν, εἰ ἄπειρον εἴη ὅθεν ἀφαιρεῖται τὸ γιγνόμενον*“. Et ibid. 8. 208^a 8 (ubi aliorum rationes refelluntur): „*οὔτε γὰρ ἵνα ἡ γένεσις μὴ ἐπιλείπῃ, ἀναγκαῖον ἐνεργείᾳ ἄπειρον εἶναι σῶμα αἰσθητόν· ἀνδέχεται γὰρ τὴν θατέρου φθορὰν θατέρου εἶναι γένεσιν, πεπερασμένου ὄντος τοῦ παντός*“.

3) Addi possit, cum Aristoteles in referenda hac ratione dicat, infinitum esse oportere id, a quo res avellantur (*ἀφαιρεῖται*), hanc ipsam avellendi vel secernendi notionem et vocem iam proprietatem quandam Anaximandri doctrinae continere, ita ut magis ad posteriorem quandam huius doctrinae partem quam ad constituendum summum principium pertinere videatur. Sed hoc levius est, quia fieri potest, ut Anaximander, totam suam doctrinam prospiciens,

Praeter hanc unam rationem nulla alia a quoquam scriptore memoratur, quae quidem certis verbis Anaximandro tribuatur. Quare, cum non probabile sit, Anaximandrum, quippe qui primus infinitatem summi principii docuisset, sine rationibus gravissimis et ad persuadendum aptissimis ad hanc sententiam pervenisse, quae autem hae rationes fuerint, e certis historiae testimoniis non appareat, iam alia indagandi via videtur utendum esse.

Proficiscimur inde, quod antea vidimus ab Anaximandro primo summum rerum principium appellatum esse *τὸ ἄπειρον*. Namque cum haec res sumpta sit ex eo Simplicii loco, quo is consulto id agit, ut ipsam summam Anaximandri doctrinam exponat, suspicari licet, ei prae ceteris singularem quandam in hac doctrina vim ac significationem a Simplicio tribui; et hanc ob caussam iure concludimus, ea etiam, quae hac re contineantur, id est, quae eam necessario antecedant et sine quibus ipsa non possit vera esse, ad eandem doctrinam referenda esse. — Itaque rei cuiusdam appellatio, ut antea iam significavimus, in universum continet iudicium de ipsa huius rei natura ac notione, omnisque eius vis ea est, ut rei natura ac notio contineri dicatur eo, quod nomine imposito exprimitur. Quare qui *primus* rem quandam nomine appellat antea de hac re non adhibito, is certe *primus* etiam huius rei naturam ac notionem cognovit aut sibi visus est cognoscere eam esse, quae hoc nomine significaretur. Immo vero, quoniam nova rei appellatio apertissima novae sententiae prolatio atque adseveratio est, quae non fit sine magna quadam veritatis fiducia, illam eius cognitionem vel maxime claram et firma persuasione munitam esse oportet. Ergo, cum Anaximander primus dicatur summum rerum principium appellavisse *τὸ ἄπειρον*, efficitur, ut primus intel-

---

iam ipso initio aliqua sententia usus sit, quae postea demum e totius doctrinae continuatione ac nexu sequeretur.

lexerit et certo sibi persuaserit, summum rerum principium contineri non posse nisi eo, quod esset infinitum. Hoc autem si sibi persuasit, persuadere autem sibi non potuit sine rationibus ad persuadendum idoneis, iam quaeritur, hae rationes quae fuerint.

De qua quidem re equidem sic existimo, eas maxime ex ipsa summi principii notione repetitas fuisse. Namque omnino veri simile videtur esse, eam Anaximandrum secutum esse philosophandi rationem, ut *esse* aliquod summum rerum principium ipsa veritate cogente certum esse putaret; ut ab hoc initio profectus totus versaretur in ea quaestione, quale oporteret esse id, in quo summi principii vis ac notio cerneretur; ut denique ad hanc rem cognoscendam iis potissimum uteretur, quae ipsa summi principii notione contineri viderentur. Id enim primum cum eo consentit, quod refertur primus rerum principium appellavisse *τὸ ἄπειρον*, siquidem ipsa huius enuntiationis forma, ut antea monuimus, indicatur, eum a notione principii, quippe quae prima esset in cogitatione, progressum esse ad quaestionem rei, in qua haec notio cerneretur. Deinde vero illa philosophandi ratio propter ipsum naturae ordinem sola videtur esse, qua Anaximander uti potuerit; cum enim in ipsis philosophiae initiis constitutus esset et idcirco accuratiore rerum naturae cognitione careret, vix habebat, quibus ad cognoscendum rerum principium uti posset, praeter ipsam menti iam insitam principii notionem.

Quod ad singula attinet argumenta, quibus ad sententiam probandam usus sit, equidem non dubito, quin, quae ab Aristotele Phys. III, 4[1]) adferuntur, aut omnia aut pleraque ad Anaximandrum pertineant. Quod ut pateat, diligentiore loci interpretatione opus est. — Itaque totus locus ex duabus partibus constat; priore ostenditur, infinitum, si quidem sit, quoniam nec fortuitum esse possit nec ex aliquo

---

1) 203^{b} 4—28.

principio ortum, necessario ipsum principium esse; altera exponitur, quibus rationibus opinio, esse aliquid actu infinitum, nitatur. Hunc igitur locum si diligenter examinaveris, primum reperies, sententias ibi prolatas, etiamsi Aristoteles tamquam suas proferat, tamen non ipsius Aristotelis sed aliorum philosophorum esse, qui ante ipsum de infiniti notione disputaverint. Namque, ut primum universe de totius loci consilio loquar, ipso initio Aristoteles omnes, qui infinitum aliquid ponant, huic principii vim tribuere contendit[1]); quibus quidem verbis aperte, se non suam sed aliorum sententiam proponere, indicat. Quodsi autem haec est sententia aliorum, propter ipsam cogitationis continuationem consentaneum est, eas etiam, quae in sequentibus huius sententiae adferuntur rationes, non ipsius Aristotelis sed eorum esse, qui hanc ipsam sententiam proposuerint. Quare etsi Aristoteles has rationes tamquam suas proponit, tamen iure eas putabis ab illis esse adhibitas, quamquam fortasse quaedam adiecit, quibus clariores faceret. Plurima vero eiusdem rei eaque certissima invenies indicia, si singula quaeque accuratius examinaveris.

Atque primum quidem verba, quibus probatur, infinitum non posse esse nisi principium: „*ἅπαντα γὰρ ἀρχὴ ἢ ἐξ ἀρχῆς, τοῦ δ' ἀπείρου οὐκ ἔστιν ἀρχή, εἴη γὰρ ἂν αὐτοῦ πέρας*[2])“, fallaciam quae dicitur homonymiae videntur continere. Namque in propositione: „quidquid est, aut principium est aut ex principio ortum“, vox *ἀρχὴ* (principium) aperte *caussae* significatione adhibita est; in adsumptione vero: „at infiniti non est principium“, *ἀρχὴ* sine dubio de *magnitudinis initio* intellegitur, id quod satis patet ex addita contrariae opinionis consequentia: „*εἴη γὰρ ἂν αὐτοῦ πέρας*“, siquidem *πέρας* proprie magnitudinis terminum significat[3]).

---

1) L. l. 203b 4: „*εὐλόγως δὲ καὶ ἀρχὴν αὐτὴν τιθέασι πάντες*“.

2) Ibid. III, 4. 203b 6.

3) Teste Simplicio veteres quoque Aristotelis interpretes hoc loco paralogismum agnoverunt et suspicati sunt, Aristotelem hoc

Vix autem credibile est, Aristotelem eiusmodi paralogismum commissurum fuisse, si suam ipsius sententiam exposuisset. Tollitur vero paralogismus, si statueris, principium (*ἀρχὴν*) in utraque propositione nihil aliud intellegi nisi naturam subiectam sive *τὸ ὑποκείμενον*, quod res ex ipso ortas amplectatur et idcirco magnitudine superet; tum enim principium sua ipsius notione simul et caussa rerum et magnitudinis initium atque finis est, tumque sequitur, ut, quod habeat principium, non possit infinitum esse. Quodsi autem quaeritur, ecquis hancce principii notionem habuerit, statim menti occurrit Anaximander; hunc enim e Simplicio iam scimus summum rerum principium non solum *τοῦ ἀπείρου*, verum etiam *τοῦ ὑποκειμένου* nomine appellavisse; unde sequitur, ut ipsam principii vim ac notionem in eo posuerit, quod esset natura omnibus rebus subiecta[1]); hunc partim iam vidimus partim postea accuratius videbimus summi principii rationem ad res ex eo ortas sic definire, ut hae ex illo secernantur vel avellantur[2]), illud autem non totum in hasce res abeat, sed ipsum manens omnes res („*πάντα*“[3]) vel „*πάντας τοὺς κόσμους*[4])“ undique amplectatur.

In ea quoque, quae statim sequitur, sententia[5]) cogitatio parum recte procedit; namque posterior eius pars a priore omnino discrepat. Priore enim parte: „*ἔτι δὲ καὶ ἀγένητον καὶ ἄφθαρτον ὡς ἀρχή τις οὖσα*“, proponitur, infi-

---

loco *πιθανῶς* tantum, hoc est apte tantum ad persuadendum, neque vero ad veritatem docendam loqui. Simplicius ipse, illorum opinionem improbans, Alexandri interpretationem sequitur, quae mihi quidem artificiosior esse quam verior videtur. Vide Simplic. Phys. p. 106[b] fin. et 107[a] init.

1) Cf. supra p. 21.

2) Aristot. Phys. III, 4. 203[b] 18. Vid. supra p. 22 et 23.

3) Aristot. ib. 203[b] 11.

4) Hippol. Refut. I, 6.

5) Aristot. Phys. III, 4. 203[b] 7.

nitum nec ortum unquam esse nec posse corrumpi, huiusque rei rationem eam esse, quod infinitum principium quoddam sit. Posteriore vero parte: „*τὸ γὰρ γενόμενον ἀνάγκη τέλος λαβεῖν καὶ τελευτὴ πάσης ἐστὶ φθορᾶς*“, propositi illius demonstratio non, quemadmodum promissum erat, ex natura principii ad infinitum pertinentis, sed ex ipsa infiniti notione repetitur. Etenim ratiocinationis, qua demonstratio perficitur, propositio est haec: quidquid gignitur et corrumpitur, necessario terminos (intellege, magnitudinis) habet (namque quod gignitur — intellegitur autem res corporea —, id a magnitudinis primo quodam initio fieri incipit et, simulatque genitum est, certos magnitudinis suae terminos attigit; et quod corrumpitur, id magnitudine diminuitur, et, simulatque totum corruptum est, ad extremum magnitudinis finem pervenit); adsumptio autem, ab Aristotele quidem omissa, ex tota vero sententia addenda, est haec: infinitum vero, quoniam infinitum est, non habet terminos (magnitudinis); e quibus propositionibus sequitur conclusio: ergo infinitum nec ortum est nec potest corrumpi; quam quidem conclusionem ex ipsa infiniti notione petitam esse, ex adsumptione intellegitur. Iam vero si demonstrationem inchoatum usque ad finem persequi volumus, ipsi illi conclusioni haec subiungenda erunt: quod nec ortum est nec potest corrumpi, id, quoniam non est ex ullo principio[1]), ipsum oportet principium esse; ergo infinitum est principium. Patet igitur, Aristotelem, cum priore sententiae parte proposuerit, inde, quod infinitum principii naturam haberet, probare, infinitum nec ortum esse nec posse corrumpi, posteriore sententiae parte, propositione omnino mutata, ex ipsa infiniti notione demonstrare, infinitum esse principium; — quae sane mira est sententiae inconcinnitas. Quodsi posteriorem sententiae partem cum priore volumus concinere, prima illa adsumptio mutanda

---

1) Aristot. l. l. 203b 6; vid. supra p. 26.

est totaque demonstratio in hunc modum constituenda: quod gignitur et corrumpitur, finem habet; principium autem non habet finem; ergo principium nec gignitur nec corrumpitur; infinitum autem est principium; ergo nec gignitur nec potest corrumpi. Sed quamvis haec adsumptio: principium non habet finem, quam pro illa prima posuimus, vera sit, tamen Aristoteles toto loco nulla ratione, principium esse *infinitum*, verum contra, infinitum esse *principium*, probavit. Atque in hoc ipso totius loci argumentum versatur, ut ostendatur, infinitum, si quidem sit, necessario esse principium; ab hoc disputatio incipit ad hocque post eam loci partem, de qua agimus, revertitur; quare certum videtur esse, hanc quoque loci partem ad eiusdem rei demonstrationem pertinere et idcirco eam, quam proposuimus, interpretationem solam veram esse[1]). — Loci inconcinnitas sic facillime explicari videtur, si posueris, Aristotelem alius cuiusdam philosophi, atque paullo quidem festinantius, sententiam referre, qui non, ut Aristoteles, a notione *infiniti*, sed a notione *summi cuiusdam rerum principii* profectus sit quique quaerens, qualem oporteret esse eam rem, ad quam principii notio referri posset, in hunc fere modum disputaverit, summum rerum principium non posse esse nisi id, quod nec ortum unquam esset nec posset corrumpi, tale autem non esse nisi infinitum, quod, quoniam omnino expers finium esset, et ortum et interitum excluderet.

Praeter haec argumenta ex interiore disputationis comparatione petita sunt alia quaedam indicia, quibus apertius etiam, Aristotelem hoc loco aliorum tantum sententias referre, ostendatur. Primum in caussis, quibus *τὸ ἄπειρον* principium esse ostenditur, hanc quoque adfert,

---

1) Hanc loci interpretationem Simplicius etiam, Phys. 107 a parte inf., proponit, de partium discrepantia nihil monens, quippe quam non videatur animadvertisse. Discrepantia tolleretur, si Aristoteles pro „*ὡς ἀρχή τις οὖσα*“ scripsisset „*ὥστε ἀρχή τις εἶναι*“.

quod videatur „περιέχειν ἅπαντα καὶ πάντα κυβερνᾶν“[1]); postea autem absurdum esse ait, „τὸ περιέχον ποιεῖν αὐτὸ (τὸ ἄπειρον), ἀλλὰ μὴ τὸ περιεχόμενον“[2]). Porro altera loci parte inter rationes, ob quas aliquid infinitum esse credatur, hanc quoque memorat, quod ita solum nunquam defectura sit rerum generatio, si infinitum sit id, a quo res avellantur[3]); quam quidem postea docet inanem esse[4]); pariterque duas alias rationes, quas hoc loco proponit, postea refutat[5]). Tum semel certe Anaximandrum sententiae alicuius auctorem nominatim indicat[6]), de qua re mox accuratius dicetur. Denique accedit, quod antecedenti etiam capitis parte totus in eo versatur, ut, quemadmodum solet, priorum philosophorum opiniones exponat, et capite demum sequenti ad suam doctrinam exponendam se convertit.

Quodsi igitur toto hoc loco aliorum sententiae referuntur, quaeritur, ad quem quaeque philosophum pertineat. Atque ego quidem, ut ipso disputationis initio dixi, omnes fere Anaximandri esse existimo. Primum enim omnino probabile est, Aristotelem in primis eum respexisse philosophum, qui primus infiniti notionem diserte ac plane in philosophiam introduxisset. Deinde semel certe Anaximandrum, praeter hunc autem nullum alium, nominatim adfert, siquidem post verba: „καὶ τοῦτο (τὸ ἄπειρον) εἶναι (δοκεῖ) τὸ θεῖον“, addit: „ἀθάνατον γὰρ καὶ ἀνώλεθρον, ὥς φησιν Ἀναξίμανδρος κτλ.“[7]). Quamvis autem hoc loco, quod quidem aperte dicatur, ad Anaximandrum nihil referatur praeter illa ipsa verba postremo laudata, tamen ea quoque, quae proxime antecedit sententia: „(τὸ ἄπειρον δοκεῖ)

1) Phys. III, 4. 203^{b} 11.
2) Ib. 7. 208^{a} 3.
3) Ib. 4 203^{b} 18.
4) Ib. 8. 208^{a} 8.
5) Ib. 4. 203^{b} 20 sq. et 8. 208^{a} 11 sq.
6) Ib. 4. 203^{b} 13.
7) Ibid. 4. 203^{b} 13.

περιέχειν ἅπαντα καὶ πάντα κυβερνᾶν“[1]), sine ulla dubitatione ad eundem pertinet; id enim intellegitur e verbis adiunctis: „*ὡς φασὶν ὅσοι μὴ ποιοῦσι παρὰ τὸ ἄπειρον ἄλλας αἰτίας, οἷον νοῦν ἢ φιλίαν*“, in quorum numero est etiam Anaximander, et praeterea probatur cum aliis similibus Aristotelis locis, quos ad Anaximandrum spectare videbimus, tum aliquo Hippolyti loco, quo, quae hic ab Aristotele sine auctoris nomine dicuntur, in ipsis Anaximandri placitis referuntur[2]). Quodsi autem haec sententia Anaximandri est, ea, quae hac etiam prior est: „*ἔτι δὲ καὶ ἀγένητον καὶ ἄφθαρτον κτλ.*“[3]), vix poterit ad eum non pertinere; namque non solum in sermonis forma nihil est, quod illam magis quam hanc ad Anaximandrum referre iubeat, verum etiam cum sequenti sententia: „*ἀθάνατον γὰρ καὶ ἀνώλεθρον*“, quam aperte Anaximandro tribui vidimus, ea necessitudine coniuncta est, ut rationem contineat, ex qua illa sequatur. Eodem modo ea sententia, a qua disputatio incipit[4]), ad tertiam: „*διὸ .. οὐ ταύτης ἀρχὴ κτλ.*“[5]), se habet. Itaque vix dubitari poterit, quin prior loci pars tota fere, si non verbis, at sententiis tamen ad Anaximandrum pertineat. Sed in altera etiam loci parte, qua rationes, ob quas e s s e aliquid infinitum credatur, exponuntur, eam rationem, qua principii infinitatem ad generationis sempiternitatem necessariam esse contenditur[6]), Anaximandri esse iam vidimus. Praeterea ea ratio, quae petita est a cogitatione quosvis magnitudinis fines transgredienti, et ab Ari-

---

1) Ibid. 203^b 11.

2) Hippol. Refut. I, 6: „*ταύτην* (*τὴν τοῦ ἀπείρου φύσιν*) *δ᾽ἀΐδιον εἶναι καὶ ἀγήρω* (haec respondent Aristotelis verbis „*ἀθάνατον καὶ ἀνώλεθρον*“), *ἣν καὶ π ά ν τ α ς π ε ρ ι έ χ ε ι ν τοὺς κόσμους*“.

3) Phys. III, 4. 203^b 7; vide supra p. 27.

4) Ibid. 203^b 4; vide supra p. 26.

5) Ibid. 203^b 10.

6) Ibid. 203^b 18; vide supra p. 22 et 23.

stotele omnibus communis esse dicitur[1]) et, ut postea apparebit, ad Anaximandri doctrinam omnino accommodata est.

His expositis eo revertimur, unde digressi sumus. Quaerebatur, quibus rationibus commotus Anaximander summum rerum principium voluisset esse id, quod esset infinitum. Postquam veri simillimum esse invenimus, eum Aristotelis locum, de quo hucusque disputavimus, ad Anaximandrum pertinere, iam illam quaestionem solvere universamque Anaximandri de hac re sententiam sic fere adumbrare posse nobis videmur. Anaximander igitur, a summi cuiusdam rerum principii opinione profectus, primum de eius vi ac notione quaerens cognovit, rerum principium idem esse atque *τὸ ὑποκείμενον* sive naturam omnibus rebus subiectam, quae eas et ex sese generaret et in se contineret atque undique amplecteretur (*περιέχειν ἅπαντα καὶ πάντα κυβερνᾶν*). Quaerens deinde, quale esse oporteret id, quod hoc modo summum rerum principium esse posset, sibi persuasit, id esse non posse nisi naturam quandam infinitam, his fere, opinor, duobus usus argumentis ex ipsa summi principii notione petitis. Unum argumentum atque id quidem, ut videtur, priore loco positum — namque et sua ipsius ratione alterum praecedit et ab Aristotele etiam priore loco ponitur[2]) — est hocce: quod omnium rerum principium est, hoc est, quod et omnes res ex sese gignit et genitas continet atque amplectitur sive circumcludit, (ita enim vocem *περιέχειν* intellegendam esse, infra apparebit;) id non potest ipsum ex ullo principio esse; tale autem non est nisi infinitum; hoc enim solum, quoniam infinitum est, et omnes res continere atque circumcludere, nec ipsum ab alia re contineri potest, quandoquidem, si ab alia re contineretur, ab hac finiretur („*εἴη γὰρ ἂν αὐτοῦ πέρας*“), nec igitur esset

1) Ibid. 203ᵇ 23.

2) Ibid. 203ᵇ 4 sq.

infinitum[1]). Alterum argumentum hoc est: quod omnium rerum principium est, id nec ortum esse nec interire potest, sed immortale esse oportet et omnis corruptionis expers[2]); tale autem rursus non est nisi infinitum; quod enim oritur et corrumpitur, id magnitudinis suae initium et finem habet, infinitum autem omnino finibus caret[3]). Hoc unum addo, me in adhibita argumentandi ratione omnino Aristotelem secutum esse, qui secundum ea, quae antea de Aristotelis loco, quo illa argumenta referuntur, disputata sunt, in universum certe ipsam Anaximandri disserendi rationem exprimere videtur.

Cum igitur Anaximander his rationibus sibi persuaderet, summum rerum principium non contineri nisi infinito, ne hanc quidem quaestionem, utrum esset aliquod infinitum nec ne, omisit; id quod inde patet, quod Aristoteles inter rationes, ob quas esse aliquod infinitum credatur, unam memorat, quam e Simplicio et Placitorum scriptoribus scimus ab Anaximandro esse adhibitam. Quae quidem ratio sic refertur, esse oportere aliquod infinitum, quia ea solum condicione fieri possit, ut rerum generatio nunquam deficiat, si infinitum sit id, a quo, quae fiant, avellantur[4]). De ea Anaximandri opinione, qua haec ratio nititur, alio loco dicetur. Neque tamen Anaximander hac sola ratione usus est; — quod enim sola a Simplicio et Placitorum scriptoribus memoratur, id inde videtur effectum esse, quod Anaximandri omnino propria est; — sed meo certe iudicio eam quoque adhibuit atque primus quidem adhibuit, quae a cogitationis sive phantasiae (*νοήσεως*) natura petita est, quae ab Aristotele eodem loco sic proponitur: quia cogi-

1) Aristot. l. l.; cf. supra p. 26.

2) Ibid. 203b 7 et 13: „*ἔτι δὲ καὶ ἀγένητον καὶ ἄφθαρτον ὡς ἀρχή τις οὖσα*“ ... „*ἀθάνατον γὰρ καὶ ἀνώλεθρον, ὥς φησὶν ὁ Ἀναξίμανδρος* . .“ cf. Hippol. Refut. I, 6 et supra p. 27 sq.

3) Vide supra p. 28.

4) Vide supra p. 22 et 23.

tatio quosvis magnitudinis fines transgrediatur et nunquam ad quidquam ultimum perveniat, propterea re ipsa quoque credi infinitam extra mundum extensionem esse et corpus infinitum et innumerabiles mundos[1]). Quam quidem rationem ad Anaximandrum quoque pertinere, primum inde concludi oportet, quod Aristoteles eam dicit omnium gravissimam esse et omnibus philosophis communem; namque omnino incredibile est, Aristotelem de infinito disputantem opinionem quandam dicturum fuisse omnibus esse communem, nisi eam ad illum quoque pertinere scivisset, qui primus infiniti notionem induxisset; tum inde, quod, quae ab Aristotele ad hanc rationem adiunguntur, infinita naturae corporeae extra mundum extensio et innumerabiles mundi, cum Anaximandri doctrina, ut deinceps ostendetur, omnino conveniunt. Num eam quoque rationem adhibuerit, quam Aristoteles eodem loco sic refert: omne corpus, quod finitum sit, finiri ab alio et hoc rursus ab alio, et hinc effici, ut totum oporteat esse infinitum, nec adfirmaverim nec negaverim, quoniam omnino desunt, quibus huius rei diiudicatio nitatur.

Iam vero obici possit, in tota hac de infinito disputatione maiorem cerni artem disserendi, quam quae Anaximandro, quippe in philosophiae initiis constituto, posse videatur tribui. Quae sententia cum duas contineat quaestiones, quarum altera ad solum Anaximandrum pertinet, altera generalis est, de utraque seorsum dicendum est.

Atque de Anaximandro quidem satis multa sunt, quibus, insignem quandam in hoc viro fuisse cogitationis vim ac subtilitatem, luculenter ostendatur. Qui primus ausus sit terram fulcro orbare eamque in medio mundo pensilem

1) Aristot. Phys. III, 4. 203^{b} 22: „*μάλιστα δὲ καὶ κυριώτατον, ὃ τὴν κοινὴν ποιεῖ ἀπορίαν πᾶσιν· διὰ γὰρ τὸ ἐν τῇ νοήσει μὴ ὑπολείπειν καὶ ὁ ἀριθμὸς δοκεῖ ἄπειρος εἶναι καὶ τὰ μαθηματικὰ μεγέθη καὶ τὸ ἔξω τοῦ οὐρανοῦ· ἀπείρου δὲ ὄντος τοῦ ἔξω καὶ σῶμα ἄπειρον εἶναι δοκεῖ καὶ κόσμοι*“.

dicere, quod propter parem undique distantiam non haberet quo caderet, in contrarias autem partes simul ferri non posset[1]; qui primus viderit, infinitam illam naturam corpoream non posse esse unum ex elementis, propterea quod futurum esset, ut ea definita sua qualitate contrariae cuiusvis qualitatis ortum prohiberet[2], eum patet et solitum fuisse, ipsam cuiusque rei notionem acriter contemplari quidque ex quaque sequeretur, diligenter investigare, et in hac re facienda magno ingenii acumine et perspicacitate excelluisse; ab eo patet etiam illam disserendi rationem non alienam esse, qua antea et esse aliquod infinitum et hoc summum rerum principium esse demonstrari vidimus.

Quod autem ad alteram illius sententiae partem attinet, tam remotae philosophiae aetati tantam artem dialecticam non convenire, id pluribus rationibus refellitur. Primum adferri Xenophanis exemplum potest, in quo notum est insignem fuisse disserendi artem, non eam quidem disciplina excultam, sed ex ipsa cogitationis natura profectam, qui, quamquam Anaximandri aetate paullo est inferior, tamen nullo magistro usus est, nisi forte Anaximandri doctrinam cognoverat[3]. Deinde ne hoc quidem memoratu indignum videtur esse, quod Theophrastus, teste Simplicio, ante Thalem iam alios philosophos putavit fuisse, qui propter maiorem illius gloriam in oblivionem cecidissent[4]. Denique, id quod gravissimum est, dialectica quaedam ars ita ad ipsam philosophiae notionem pertinet, ut ipsum philosophiae ini-

---

1) Aristot. Coel. II, 13. 295b 10 sq.

2) Aristot. Phys. III, 5. 204b 22 sq., quem locum ad Anaximandrum pertinere postea videbimus.

3) Haec est sententia Friderici Michelis, Philosophie Platons. p. 70 et 74, quae per se quidem non improbabilis est.

4) Simplic. Phys. p. 6 a med.: „*Θαλῆς δὲ πρῶτος παραδέδοται τὴν περὶ φύσεως ἱστορίαν τοῖς Ἕλλησιν ἐκφῆναι, π ο λ λ ῶ ν μ έ ν κ α ὶ ἄ λ λ ω ν π ρ ο γ ε γ ο ν ό τ ω ν, ὡ ς κ α ὶ Θ ε ο φ ρ ά σ τ ῳ δ ο κ ε ῖ, αὐτὸς δὲ πολὺ διενεγκὼν ἐκείνων, ὡς ἀποκρύψαι πάντας τοὺς πρὸ αὐτοῦ*“.

tium in eo videatur positum esse, quod mens, vagis phantasiae imaginibus omissis, accuratas rerum notiones concipere atque examinare, hisque ducibus naturali quadam disserendi facultate rerum naturam cogitatione comprehendere incipiat. In universum autem is locus, qui versatur in quaestione, quid ad quamque philosophiae aetatem accommodatum sit, per se solus, ut alio loco iam diximus, admodum lubricus et incertus est; siquidem, quae quaque aetate philosophiae condicio sit, nisi incertas opiniones sequi volemus, historiae testimoniis cognoscendum, neque autem sine his ob generales quasdam rationes sumendum est.

4. Postquam de rationibus, quibus commotus Anaximander summum rerum principium in eo posuisset, quod esset infinitum, expositum est, iam de ipso infinito quaerendum est, quale mente informatum habuerit. Dividitur autem hic locus in duas quaestiones. Cum enim infiniti notio omnino in genere quantitatis sit[1]), haec autem et in magnitudine extensionis, sive spatii sive temporis, et in magnitudine numeri et in magnitudine virium sive efficientiae cernatur[2]), primum quaeritur, qua ratione Anaximander infinitum intellexerit. Atque de hac quidem quaestione apertum est, Anaximandrum infinitum primum ac proprie omnino intellexisse de infinita extensione, ea, quae cernitur in spatio. Id enim primum sequitur ex ea ratione, qua ab eo, summum rerum principium esse infinitum, probari vidimus. Namque si ostendit, summum principium esse infinitum, huiusque rei argumentum adfert, quod infinitum solum non possit in subiecto esse, a quo circumcludatur, — *εἴη γὰρ ἂν αὐτοῦ πέρας* —[3]), id ita solum intellegi

1) Aristot. Phys. I, 2. 185 a 33: „*τὸ γὰρ ἄπειρον ἐν τῷ ποσῷ, οὐσίαν δὲ ἄπειρον εἶναι ἢ ποιότητα ἢ πάθος οὐκ ἐνδέχεται εἰ μὴ κατα συμβεβηκός, εἰ ἅμα καὶ ποσὰ ἄττα εἶεν· ὁ γὰρ τοῦ ἀπείρου λόγος τῷ ποσῷ προσχρῆται.*“

2) Cf. Aristot. Categor. c. 6. Metaph. V, c. 13.

3) Vid. supra p. 26 et 31.

potest, si infinitum accipitur extensione infinitum. Si quis autem dicat, in hac demonstratione Anaximandrum non aperte nominari, eadem sententia inde quoque efficitur, quod eum scimus infinitum dixisse omnes res vel omnes mundos *amplecti* (περιέχειν ἅπαντα, ut Aristoteles, sive περιέχειν πάντας τοὺς κόσμους, ut Hippolytus ait); in quibus verbis amplectendi vocabulum non de amplexu, ut ita dicam, *intellegibili*, quemadmodum genus amplecti dicimus species ipsi subiectas, sed de amplexu *corporali* intellegendum esse, ita ut idem significet atque ab omnibus partibus cingere atque circumcludere, id et ex tota Aristotelis de hac re disputatione cognoscitur, et postea ex ipsa Anaximandri doctrina magis etiam patebit. Pariter, si infinitum nec ortum unquam esse nec posse corrumpi eo demonstrat, quod, quidquid gignatur et intereat, magnitudinis initium et finem habeat, infinitum autem finis omnino expers sit[1]), hinc rursus patet, infinitum intellegi id, quod extensione sit infinitum. Idem deinde sequitur ex eo, quod Aristoteles omnes — in his autem certe Anaximander quoque est —, qui infinitum quoddam esse voluerint, hac potissimum ratione usos esse dicit, quod cogitatio quosvis magnitudinis fines transgrediatur, hacque ratione ductos credidisse, ipsam vim corpoream extra mundum infinita magnitudine se extendere[2]). Denique tota Aristotelis disputatione, qua veterum physicorum de infinito opiniones refert et refellit, infinitum de infinita extensione intellegitur[3]).

Cum autem duo sint, in quibus infinita extensio cernatur, spatium et tempus, Anaximander summi principii infinitatem ita proprie de infinita per spatium exten-

---

1) Vid. supra p. 27 et 31.

2) Vid. supra p. 33.

3) Satis erit, unum attulisse locum Phys. III. 4. 204ª 1: „μάλιστα δὲ φυσικοῦ ἐστὶ σκέψασθαι, εἰ ἔστι μέγεθος αἰσθητὸν ἄπειρον“.

sione intellegit, ut ex hac demum temporis infinitatem vel potius aeternitatem demonstrare studeat. Namque si illam Aristotelis de infinito disputationem recte iudicavimus ad Anaximandrum pertinere, is ad probandam infiniti principii aeternitatem hac fere ratiocinatione usus est: infinitum nec genitum unquam nec unquam periturum esse; quidquid enim gigneretur et periret, id magnitudinis initium et finem habere; infinitum autem magnitudinis finibus omnino carere[1]). — Memoratu autem dignissimum est et ad Anaximandri doctrinam cognoscendam in primis grave, quod, si verum spectamus, ab infinito temporis vim omnino segregavit eiusque loco ipsam aeternitatem ei tribuit. Etenim si infinitum nec genitum nec unquam periturum esse dixit, si aeternum dixit et nunquam senescens (*ἀΐδιον καὶ ἀγήρω*)[2]), si immortale et expers omnis corruptionis (*ἀθάνατον καὶ ἀνώλεθρων*)[3]), si igitur non solum ortum et interitum, verum etiam quodvis mutationis genus ab eo removit, hoc ipso ab eo id removit, quo solo temporis notio conficitur. Itaque, si infinito aeternitatem tribuit, tempus autem ab eo segregavit, ipsum tempus ponere non potuit nisi in natura rerum finitarum et caducarum, id est, in natura mundorum, qui continuo quodam motu ex infinito illo orirentur et rursus interirent. Hoc autem Anaximandrum non re tantum sed clara cogitatione fecisse, luculenter probatur aliquo Hippolyti loco, quo Anaximander dicitur temporis notionem in eo posuisse, quod rerum generatio et duratio et interitus certis terminis definita essent[4]). Qui quidem locus, ut hoc obiter moneam, rursus documento esse potest, recte a nobis totam illam Aristotelis de infinito disputationem ad Anaximandrum esse relatam. Itaque, quemadmodum Anaximan-

---

1) Vid. supra p. 27 sq. et 31.

2) Hippol. Refut. I, 6.

3) Aristot. III, 4. 203 b 13; vid. supra p. 30.

4) Hippol. l. l.: „*λέγει δὲ χρόνον ὡς ὡρισμένης τῆς γενέσεως καὶ τῆς οὐσίας καὶ τῆς φθορᾶς.*“

der in infinito mundos posuit finitos, ita in infiniti aeternitate finita posuit tempora ad finitos illos mundos adiuncta[1]).

Deinde, cum infinitum dupliciter intellegi possit, primum ita, ut sit ipsa infinitas per se constans, tum ita, ut sit res quaedam, cuius infinitas quaedam attributio vel proprietas sit, — infiniti enim notio, ut ipsum vocabulum ostendit, composita est e notione infinitatis et notione eius, de quo infinitatis notio praedicetur, sive id huius notionis subiectum logicum tantum est sive etiam metaphysicum, et hanc ob caussam omne recte dicitur infinitum, de quo infinitatis notio praedicatur; praedicatur autem primum de ipsa infinitate, quippe ut ipsa eius essentia, et quoniam de ea praedicatur, ipsa infinitas est aliquid infinitum; praedicatur deinde de quavis re, quae per se ab ipsa infinitate diversa quidem sit, eam autem ita in sese habeat, ut haec eius quaedam attributio vel proprietas sit — cum igitur infinitum duplici ratione intellegi possit, quaeritur, utra ratione ab Anaximandro intellegatur. Indubiis autem rationibus constat, Anaximandrum infinitum non ipsam infi-

1) Veram Anaximandri sententiam non attigit Teichmüller, „Studien zur Geschichte der Begriffe" p. 55 sq., quippe qui dicat, primam summi principii attributionem esse infinitatem temporis sive aeternitatem, extensionis autem infinitatem principio tribui quidem, sed hanc infinitatem ab Anaximandro non tota sua notione sed ita cogitatam esse, ut non minus finita etiam videri debeat. Quod autem Anaximandri infinitum etiam ad qualitatis categoriam refert et iis opponit, quae qualitatibus definita sint, quod igitur infinitum putat id etiam intellegi, quod qualitatibus non sit definitum, id totum commenticium est, siquidem nec ipsum vocabulum hanc explicationem admittit (Cf. Aristot. Phys. I, 2. 185 ^{a} 33, quem locum supra p. 36. not. 1 adscripsimus), nec eius in Anaximandri doctrina ullum reperitur vectigium. Absurdum autem plane est, quod E. Roeth (Abendl. Philos. II, 1, p. 139) contendit, Anaximandrum infinitum spatium et infinitum tempus duas putavisse res seorsum constantes, pariter aeternas et incorruptibiles.

nitatem tanquam rem per se constantem, sed naturam quandam infinita magnitudine in omnes partes extensam intellexisse. Id enim vel inde certum est, quod Aristoteles omnes physicos dicit infinito subicere aliam quandam naturam, quae sit infinita, sive haec sit unum ex elementis, veluti aqua aut aer, sive natura quaedam inter haec media interiecta[1]). Quam quidem naturam mediam postea videbimus Anaximandri esse.

Haec autem natura non est materia ea ratione accepta, qua Plato et magis etiam Aristoteles materiae notionem informaverant[2]). Namque si Aristoteles omnes ait infinito materiae loco uti[3]), id quidem verum est ea parte, quatenus omnes res ex sese generat iisque subiecta est; ipsi enim iam vidimus summum rerum principium ab Anaximandro appellatum esse *τὸ ὑποκείμενον*; sed inde non sequitur, ut materia pura sit nihilque aliud quam materia, quemadmodum Placitorum scriptores, illa fortasse Aristotelis verba falso interpretati, opinati sunt[4]). Neque ea opinio vera est, quae illam naturam ab Anaximandro ita intellegi putat, ut sit ipsum ens generali notione conceptum et ab aliis quibusvis attributionibus seiunctum[5]). Namque est quidem ipsum ens sive ens absolutum, quale Anaximander mente informavit; sed non continet notionem ipsius entis, quatenus id per se sola cogitatione concipitur a quavis alia attributione, quae quidem a sensibus petita sit,

---

1) Phys. III, 4. 203 a 16: „*οἱ δὲ περὶ φύσεως ἅπαντες ἀεὶ ὑποτιθέασιν ἑτέραν τινὰ φύσιν τῷ ἀπείρῳ τῶν λεγομένων, στοιχείων, οἷον ὕδωρ ἢ ἀέρα, ἢ τὸ μεταξὺ τούτων.*“

2) Id recte vidit Fr. Michelis, Die Philosophie Platons p. 68 quamquam generaliter tantum nec vero historiae testimoniis probavit.

3) Phys. III, 7. 208 a 2: „ *φαίνονται δὲ πάντες καὶ οἱ ἄλλοι ὡς ὕλῃ χρώμενοι τῷ ἀπείρῳ.*“

4) Plut. Plac. I. 3: „*τὸ γὰρ ἄπειρον οὐδὲν ἄλλο ἢ ὕλη ἐστίν.*“ Pariter Stobaeus.

5) Hanc opinionem defendit Fr. Michelis l. l.

seiunctum. Sed natura illa infinita est natura quaedam corporea, actu infinite extensa, non cogitatione solum sed sensibus percipienda (σῶμα αἰσθητόν), sive actu percipitur sive potest tantum percipi; id enim adhuc incertum est. Res iam inde concludenda est, quod Aristoteles, ut paullo ante indicavimus, ab omnibus physicis infinito subici dicit aliam quandam naturam, sive unum ex elementis sive naturam quandam inter haec mediam. Sed praeterea demonstratur pluribus Aristotelis locis, quorum alteri separatim ad Anaximandrum, alteri ad omnes physicos veteres pertinent. Omnium gravissimus, quo res perficitur, est hicce. Aristoteles, ut antea vidimus[1]), in rationibus, propter quas esse infinitum crederetur, eam quoque attulit, quod ita solum rerum generatio nunquam defectura esset, si infinitum esset id, a quo, quae fierent, avellerentur. Quam rationem postea[2]) his verbis refellit: „οὔτε γὰρ ἵνα ἡ γένεσις μὴ ἐπιλείπῃ, ἀναγκαῖον ἐνεργείᾳ ἄπειρον εἶναι σῶμα αἰσθητόν, κτλ.“ Iam vero e Simplicio et Placitorum scriptoribus cognovimus[3]), hanc rationem propriam esse Anaximandri. Ergo si Aristoteles ait, ex hac ratione non sequi, ut sit corpus quoddam sensile actu infinitum, concludendum est, Anaximandrum infinitum intellexisse naturam quandam corpoream sensilem, infinita magnitudine extensam, per se non potentia solum sed actu consistentem, nisi Aristotelem volumus, cum haec scriberet, omnino de nullo philosopho cogitavisse. Addendus statim alius locus est, quo Aristoteles, contra eorum disputans opiniones, qui corpus quoddam infinitum sensile ponant, postquam contendit, nec compositum esse posse hoc corpus infinitum nec simplex, in numero eorum, qui simplex quoddam corpus infinitum

---

1) Vide supra p. 33 et 23, 1.

2) Phys. III, 8. 208ª 8.

3) Vide supra p. 22.

statuant, separatim eos quoque memorat, qui hoc ab elementis, quae dicuntur, diversum (*παρὰ τὰ στοιχεῖα*) esse velint, et addit, tale quoddam corpus sensile esse non posse[1]); quo loco Anaximandrum significari, postea clarius patebit. Porro Aristoteles, ut saepius iam diximus, omnes, qui quidem infinitum aliquod ponant, eam ob causam, quod mentis cogitatio quosvis magnitudinis fines transgrediatur, credere ait, infinitam quandam extra mundum esse naturam corpoream[2]); quod cur ad Anaximandrum quoque referendum esset, supra exposuimus[3]). Denique Aristoteles, ubi veterum physicorum de infinito opiniones refellit, semper ita loquitur, ut infinitum corpus sensile dicat esse non posse[4]); unde sequitur, ut illi omnes infinitum in infinita quadam natura corporea sensili posuisse putandi sint. Omnis autem dubitatio tolletur, si eam ipsam rem accuratius cognoverimus, cui Anaximander infinitatem tribuerit.

Itaque, ut, quae disputavimus, brevibus complectamur, Anaximandri infinitum sic animo informandum est, ut sit

---

1) Phys. III, 5. 204 b 3 sq.; ibid. v. 22: „*ἀλλὰ μὴν οὐδὲ ἓν καὶ ἁπλοῦν εἶναι ἐνδέχεται τὸ ἄπειρον σῶμα, οὔτε ὡς λέγουσί τινες τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα, ἐξ οὗ ταῦτα γεννῶσιν, οὔθ' ἁπλῶς. εἰσὶ γάρ τινες οἳ τοῦτο ποιοῦσι τὸ ἄπειρον, ἀλλ' οὐκ ἀέρα ἢ ὕδωρ . .*“ V. 29: „*ἀδύνατον δ' εἶναι τοιοῦτον, οὐχ ὅτι ἄπειρον . . ., ἀλλ' ὅτι οὐκ ἔστι τοιοῦτον σῶμα αἰσθητὸν παρὰ τὰ στοιχεῖα.*“ Cf. 205 a 26: „*οὐθεὶς τὸ ἓν καὶ ἄπειρον πῦρ ἐποίησεν οὐδὲ γῆν τῶν φυσιολόγων, ἀλλ' ἢ ὕδωρ ἢ ἀέρα ἢ τὸ μεταξὺ αὐτῶν.*“

2) Vid. supra p. 33.

3) Vide ibid.

4) Phys. III, 4. 204 a 1: „*μάλιστα δὲ φυσικοῦ ἐστὶ σκέψασθαι, εἰ ἔστι μέγιθος αἰσθητὸν ἄπειρον.*“ Ib. 5. 205 a 7: „*δεῖ δὲ κατὰ παντὸς ἐκ τῶνδε σκοπεῖν, εἰ ἐνδέχεται η οὐκ ἐνδέχεται εἶναι σῶμα ἄπειρον αἰσθητόν.*“ Ib. 206 b 22: „*εἴπερ μή ἐστι κατὰ συμβεβηκὸς ἐντελεχείᾳ ἄπειρον, ὥσπερ φασὶν οἱ φυσιολόγοι τὸ ἔξω σῶμα τοῦ κόσμου, οὗ ἡ οὐσία ἢ ἀὴρ ἢ ἄλλο τι τοιοῦτον. ἀλλ' εἰ μὴ οἷόν τε εἶναι ἐντελεχείᾳ σῶμα αἰσθητὸν οὕτω κτλ.*“

natura quaedam corporea infinita magnitudine in omnes partes extensa, non potentia sed actu constans, aeterna nullique corruptionis generi obnoxia, innumerabiles mundos finitos atque caducos ex sese generans — num deinceps solum an etiam simul, nondum apertum est — cosque ab omnibus partibus amplectens atque circumcludens.

II.

DE NATURAE INFINITAE ESSENTIA.

1. Iam pervenimus ad quaestionem omnium gravissimam, in qua maxime virorum doctorum controversiae versantur, quam Anaximander ipsam infinitae illius naturae essentiam esse voluerit. Ad quam quaestionem solvendam utile vel etiam necessarium videtur esse paucis praemittere, qua ratione rerum multitudinem e summo principio oriri existimaverit.

De hac igitur re Anaximandri ea est opinio, rerum multitudinem ex infinita illa natura non aliqua ipsius commutatione, veluti condensatione et rarefactione, sed eo gigni, quod ex ea contraria secernantur ipsi insita. Id enim sine ulla dubitatione constat luculento Aristotelis testimonio, qui eos physicos, a quibus unum tantum rerum principium idque corporeum ponatur, bifariam ita distinguit, ut alteros ex illo uno principio omnes res condensatione et rarefactione, alteros contrariorum secretione generare dicat, hancque posteriorem doctrinam nominatim ad Anaximandrum referat[1]). Atque idem re-

---

1) Phys. I, 4. 187^a 12: „ὡς δὲ οἱ φυσικοὶ λέγουσι (sc. ἓν τὸ ὂν εἶναι) δύο τρόποι εἰσίν· οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα τὸ ὑποκείμενον, ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο, ὅ ἐστι πυρὸς μὲν πυκνότερον ἀέρος δὲ λεπτότερον, τἆλλα γεννῶσι πυκνότητι καὶ μανότητι πολλὰ ποιοῦντες . . . . οἱ δ' ἐκ τοῦ ἑνὸς ἐνούσας τὰς ἐναντιότητας ἐκκρίνεσθαι, ὥσπερ Ἀναξίμανδρός φησιν . .“ Qui locus ea parte, quatenus ad nostram quaestionem pertinet, dilucidus est; quae praeterea insunt difficultates, postea explicabantur.

ferunt et Aristotelis interpretes, Simplicius, praeter Aristotelem sine dubio Theophrastum etiam secutus [1]), Alexander Aphrodisiensis [2]), Themistius [3]), Philoponus [4]), et Plutarchus in Stromatis [5]). Quae contrariorum secretio qua ratione intellegenda sit, qua fiat caussa moventi, quomodo ad ipsum principium se habeat, posteriore loco accuratius quaeretur, quoniam hoc loco plura etiam desunt ad rem explicandam necessaria.

His praemissis ad quaestionem propositam revertimur. Cum igitur res ex infinito generari viderimus secretione contrariorum ipsi insitorum, necessario quaeritur, haec contraria Anaximander utrum actu in infinito inesse an potentia putaverit; — utendum enim est actus et potentiae notionibus, quamquam Anaximandro certe omnino ignotis, quia iis facillime ea, de quibus agitur, exprimi possunt. Iam vero utraque ratio habet, quo videatur probari posse;

1) Simplic. Phys. p. 6 a, parte inf.: „*οὗτος δὲ οὐκ ἀλλοιουμένου τοῦ στοιχείου τὴν γένεσιν ποιεῖ, ἀλλ' ἀποκρινομένων τῶν ἐναντίων διὰ τῆς ἀϊδίου κινήσεως.*“ Pariter p. 32 b, parte sup.: „*ἕτερος δὲ τρόπος καθ' ὃν οὐκέτι τὴν μεταβολὴν τῆς ὕλης αἰτιῶνται οὔτε κατ' ἀλλοίωσιν τοῦ ὑποκειμένου τὰς γενέσεις ἀποδιδόασιν, ἀλλὰ κατ' ἔκκρισιν· ἐνούσας γὰρ τὰς ἐναντιότητας ἐν τῷ ὑποκειμένῳ ἀπείρῳ . . . ἐκκρίνεσθαί φησιν Ἀναξίμανδρος.*“

2) Alexandrum idem rettulisse, concludi potest ex Simplic. Phys. p. 32 a circa med.; hoc enim loco cum Simplicius, quid Alexander de essentia naturae infinitae Anaximandri senserit, referat eiusque sententiam probet, si eum de generationis ratione aliter sentire invenisset, certe non tacuisset.

3) Themist. Phys. I, 4. p. 124, 21 ed. Spengel: „*οὗτος* (*Ἀναξίμανδρος* intellegitur) *δὲ οὐκέτι ἀλλοιώσει χρῆται πρὸς τὴν γένεσιν τῶν ἐφεξῆς, ἀλλ' ἐκκρίνεσθαί φησιν ἐξ ἀπείρου τοῦ στοιχείου τὰς ἐναντιότητας ἐνυπαρχούσας.*“

4) Schol. Aristot. Brandis. 334 b 39.

5) Plut. Strom. apud Euseb. Praep. Ev. I, 8, 3: „(*τὸ ἄπειρον*) *ἐξ οὗ δή φησι τούς τε οὐρανοὺς ἀποκέκρισθαι κτλ.*“; — et paullo post: „*φησὶ δὲ τὸ ἐκ τοῦ ἀϊδίου γόνιμον θερμοῦ τε καὶ ψυχροῦ κατὰ τὴν γένεσιν τοῦδε τοῦ κόσμου ἀποκριθῆναι κτλ.*“

atque hanc ob caussam duae de infiniti essentia opiniones sunt plane contrariae, quarum altera priorem, altera posteriorem rationem amplectitur. Priore opinione Anaximandri infinitum est mixtio, omnium rerum elementa contrariis qualitatibus distincta actu continens, similis illi Anaxagorae homoeomeriarum mixtioni, vel etiam ei, quam Empedocles docuit; altera opinione est natura quaedam simplex, quam esse oportet aut naturam quandam corpoream propria sua qualitate utentem, aut materiam quavis qualitate definita carentem. De utraque opinione separatim agendum est, atque primum quidem de ea, quam priore loco posuimus.

2. Itaque ea opinio, qua Anaximandri infinitum contraria actu continere ideoque mixtio e diversis rerum elementis composita esse putatur, quam recentioribus temporibus primus proposuit Henricus Ritter et solam cum certissimis veterum testimoniis convenire censuit[1]), ita ut Anaximandrum in numerum physicorum, quos mechanicos dicere consuevimus, referret, quamque postea plures etiam alii secuti sunt[2]), meo quidem iudicio omnino reicienda est. Namque non solum nullis indubiis testimoniis probatur, verum etiam certissimis argumentis refellitur. Non dubium quidem est, quin iam inter veteres fuerint, qui hanc sententiam sequerentur; diserte pronuntiatur a Philopono[3]), et ab aliis quoque satis aperte significatur[4]); sed inde non

1) Geschichte der alten Philosophie tom. I, p. 283, ed. 2.

2) Veluti Teichmüller, Studien zur Geschichte der Begriffe p. 5 et 58, aliique, quos recensere non opus est.

3) Philoponus in comment. ad Aristot. Phys. I, 4. 187 a 20: *„οἱ δ' ἐκ τοῦ ἑνὸς ἐνούσας τὰς ἐναντιότητας ἐκκρίνουσιν, οἷον Ἀναξίμανδρος. ἐνυπάρχειν γὰρ ἔλεγεν ἐν τῷ μεταξύ, ὅπερ ἦν κατ' αὐτὸν στοιχεῖον, τὰ ἐναντία κατ' ἐνέργειαν."*

4) Augustin. Civ. D. VIII, 2: „Non enim (Anaximander) ex una re, sicut Thales ex humore, sed ex suis principiis quasque res nasci putavit." — Idem etiam uno Simplicii loco significatur, Phys. p. 91 b sub finem: *„οἱ δὲ πολλὰ μὲν ὑπάρχοντα δὲ ἐκκρίνεσθαι ἔλεγον, τὴν γένεσιν ἀναιροῦντες, ὡς Ἀναξίμανδρος καὶ Ἀναξαγόρας."*

sequitur, ut vera sit, nisi graviorum testium auctoritas accesserit. Tales autem testes ipsum Theophrastum et Aristotelem volunt esse, quorum quae ad sententiam illam probandam adferuntur testimonia, iam accuratius consideranda sunt.

Atque Theophrasti quidem testimonium contineri putant quodam Simplicii loco [1]), quem totum, ut facilius possit examinari, adscribam. Itaque Simplicius, postquam loco proxime antecedenti de eorum doctrina disseruit, qui unum tantum principium ponerent interiore quodam sui motu omnes res ex sese propignens, in hisque prae ceteris Anaximandrum quoque memoravit, iam ad eos se convertit, qui infinita rerum elementa eaque quidem qualitatibus suis contraria et omnino immutabilia ponant, et idcirco rerum generationem nihil esse velint nisi horum elementorum quandam „*σύγκρισιν καὶ διάκρισιν*", huiusque sententiae primum auctorem dicit Anaxagoram. Cuius doctrinam postquam summatim exposuit, sic pergit: „*λέγει γοῦν Ἀναξαγόρας, ὅτι ἐν παντὶ παντὸς μοῖρα ἔνεστι, καὶ ὅτῳ πλεῖστα ἔνι ταῦτα, ἐνδηλότατα ἓν ἕκαστον εἶναι * καὶ ἦν* [2]), *καὶ ταῦτά φησιν ὁ Θεόφραστος παραπλησίως τῷ Ἀναξιμάνδρῳ λέγειν Ἀναξάγοραν. ἐκεῖνος γάρ φησιν ἐν τῇ διακρίσει τοῦ ἀπείρου τὰ συγγενῆ φέρεσθαι πρὸς ἄλληλα, καὶ ὅ τι μὲν ἐν τῷ παντὶ χρυσὸς ἦν, γίνεσθαι χρυσόν, ὅ τι δὲ γῆ, γῆν, ὁμοίως δὲ καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον, ὡς οὐ γινομένων ἀλλ' ἐνυπαρχόντων πρότερον. τῆς δὲ κινήσεως καὶ τῆς γενέσεως αἴτιον ἐπέστησε τὸν νοῦν ὁ Ἀναξαγόρας, ὑφ' οὗ διακρινόμενα τούς τε κόσμους καὶ τὴν τῶν ἄλλων φύσιν ἐγέννησαν. καὶ οὕτω μέν, φησί, λαμβανόντων δόξειεν ἂν ὁ Ἀναξαγόρας τὰς μὲν ὑλικὰς ἀρχὰς ἀπείρους ποιεῖν, τὴν δὲ τῆς κινήσεως καὶ γενέσεως αἰτίαν μίαν τὸν*

---

1) Simplic. Phys. p. 6 b parte inf.

2) Legendum videtur „*ἕκαστόν ἐστι καὶ ἦν*", comparato Simplic. p. 33 b.

νοῦν. εἰ δέ τις τὴν μίξιν τῶν πάντων ὑπολάβοι μίαν εἶναι φύσιν ἀόριστον καὶ κατ' εἶδος καὶ κατὰ μέγεθος, συμβαίνοι δύο τὰς ἀρχὰς αὐτὸν λέγειν, τὴν τοῦ ἀπείρου φύσιν καὶ τὸν νοῦν, ὥστε φαίνεται [φαίνεσθαι?] τὰ σωματικὰ στοιχεῖα παραπλησίως ποιῶν Ἀναξιμάνδρῳ."

Num igitur hoc loco Anaximander infinitum existimavisse dicitur mixtionem e diversis rerum elementis compositam, atque ab ipso quidem Theophrasto dicitur? Responsio inde pendet, in verbis „ἐκεῖνος γάρ φησιν κτλ." pronomen 'ἐκεῖνος' utrum ad Anaxagorae an ad Anaximandri nomen referendum sit. Atque mixtionis quidem patroni ad Anaximandri nomen contendunt pertinere, utpote quod in sermone sit remotius[1]). At primum ἐκεῖνος, si duo praecedunt nomina, ad quae referri possit, persaepe etiam refertur ad id, quod proxime antecedit, atque hoc tum fit, si id nomen, quod loco est propinquius, cogitatione remotius est[2]). Nostro autem loco primo obtutu apparet, cogitatione Anaxagorae notionem remotiorem, Anaximandri propinquiorem esse; namque tum demum, postquam Simplicius diutius de Anaxagora cogitavit et dixit, menti eius occurrit Anaximander, cum quo ille possit comparari. Manifestum igitur est, per graeci sermonis usum certe non minus licere, pronomen ἐκεῖνος ad Anaxagoram quam ad Anaximandrum referre; quare, ad utrum sit referendum, ex universa loci sententia tantum cognosci poterit. Ex hac autem omnino sequi videtur, ut referri non possit nisi ad Anaxagoram. Namque primum omnia, quae inde a verbis „ἐκεῖνος γάρ φησιν" usque ad „ὑπαρχόντων πρότερον" ille „ἐκεῖνος" docuisse dicitur, ita ipsis verbis congruunt cum illis, quae paullo ante ipse Simplicius de Anaxagorae doctrina ex-

1) Vide Ritter l. l. p. 283 Not. 3. Teichmüller l. l. p. 59*.

2) Res satis nota est. Cf. Stallbaum ad Plat. Phaedr. 232 D, qui plura huius usus exempla congessit, et Matthiae Gr. Gr. ampl. §. 471, 10. Cf. etiam Zeller, Philosophie der Griechen etc. I, p. 195, 5 ed. 3.

posuit quaeque omnibus veterum testimoniis huius propria sunt, ut, si ad Anaximandrum pertinerent, is vix ab Anaxagora differret utque hanc ipsam ob caussam mirum sane videri deberet, quod nullus alius neque in Anaxagorae neque in Anaximandri doctrina exponenda tantae similitudinis mentionem fecisset. Quodsi autem quis dixerit, in verbis „*ἐν τῇ διακρίσει τοῦ ἀπείρου*“ vocabulum ‘*τοῦ ἀπείρου*’ referri non posse ad Anaxagoram, respondendum est, et ab Aristotele et ab ipso Simplicio illam etiam Anaxagorae homoeomeriarum mixtionem simpliciter *τὸ ἄπειρον* appellari[1]). Deinde verba „*καὶ οὕτως μὲν λαμβανόντων κτλ.*“, quae ipsa per se opinionem quandam de Anaxagorae doctrina proxime prolatam respiciunt, ita solum intellegi possunt, si, quae proxime antecesserunt, quandam Anaxagorae doctrinae expositionem continent[2]). Atque his simul responsum ei quoque est, qui forte putaverit, iis, quae ad illum *ἐκεῖνον* referuntur, non tam ipsam Anaximandri doctrinam quam quandam huius doctrinae interpretationem contineri. Denique, id quod omnium gravissimum est, si sententia prolata, *τὸ ἄπειρον* esse elementorum compositionem, ad Anaximandrum refertur, omnino pugnat cum verbis ipsius Theophrasti in loci fine prolatis, quippe qui Anaxagoram ita solum Anaximandri similem esse dicat, si illius mixtio non vera mixtio, sed „*μία τις φύσις ἀόριστος*“ intellegatur. — Quodsi quaeritur, quae in toto loco ad Theophrastum pertineant, aperte ultima solum sententia: „*καὶ οὕτως μέν, φησί, κτλ.*“, ad eum re-

---

1) Aristot. Phys. III, 5. 305b 1: „*Ἀναξαγόρας δ' ἀτόπως λέγει περὶ τῆς τοῦ ἀπείρου μονῆς· στηρίζειν γὰρ αὐτὸ αὑτό φησι τὸ ἄπειρον.*“ Similiter Simplic. Phys. 112b med.

2) Cf. etiam Zeller, l. l. p. 185, 5. Idem rectissime etiam monet, Simplicium verba, „*τῆς δὲ κινήσεως κτλ.*“ alio modo collocaturum fuisse, si Anaxagoram illi ‘*ἐκείνῳ*’ opponere voluisset. Nam certe dicturus fuisset „*Ἀναξαγόρας δὲ κτλ.*“

fertur[1]). Quae antecedunt inde a verbis „ἐκεῖνος γὰρ κτλ.“, possunt quidem e Theophrasto sumpta esse; sed Simplicius ea omnino ut sua profert atque eo quidem consilio profert, ut ad Theophrasti sententiam intellegendam praeparet[2]).

Gravius autem esse videtur Aristotelis testimonium, qui uno Metaphysicorum loco Anaximandri principium simpliciter mixtionem appellat. Agens enim de rerum corporearum principiis[3]) primum dicit, omnia fieri e natura quadam subiecta, quae id, quod fiat, simul et sit et non sit, atque sit quidem potentia, non sit autem actu[4]); tumque, paucis veterum physicorum de hac re opiniones recensens, addit[5]): atque talis natura est „τὸ Ἀναξαγόρου ἕν, (βέλτιον γὰρ ἢ ὁμοῦ πάντα) καὶ Ἐμπεδοκλέους τὸ μῖγμα καὶ Ἀναξιμάνδρου.“ Dubitari quidem de loci integritate possit, hanc ipsam ob caussam, quod ad Anaximandrum referatur mixtio, nullo alio loco ei ab Aristotele tributa[6]). Sed cum in libris omnino nulla reperiatur dissensio, accipiendus locus est, qualis legitur, ergoque concedendum, Anaximandri principium hoc loco aperte appellari mixtionem. Verum hoc postquam concessimus, statim in mentem venit locus Theophrasti, de quo modo disputavimus, quo ille Anaximandri infinitum dicit „μίαν φύσιν ἀόριστον

---

1) Hanc Simplicius etiam p. 33 a, post med. iisdem verbis refert et ex Theophrasti Historia naturali petitam esse dicit.

2) Quod Fr. Lütze „Ueber das Apeiron Anaximanders“ p. 69 Anm. 4, pronomen 'ἐκεῖνος' ad Theophrastum referendum esse dicit, id ita cum grammatica loci ratione pugnat, ut alia refutatione non opus sit. Idem valet de explicatione grammatica verborum „καὶ ταῦτά φησιν κτλ.“, si nimirum explicatio dicenda est.

3) Metaph. XII, 2. 1069^b 3 sq.

4) Ibid. v. 18.

5) Ibid. v. 20.

6) Lütze l. l. p. 54 locum sic mutandum esse conicit: „καὶ τοῦτ' ἐστὶ τὸ Ἀναξιμάνδρου ἓν καὶ Ἐμπεδοκλέους τὸ μῖγμα καὶ Ἀναξαγόρου“; de qua quidem mutatione non puto eum cuiquam persuasurum esse.

καὶ κατ' εἶδος καὶ κατὰ μέγεθος". Qui duo loci si inter se comparantur, protenus apparet, eos inter se omnino contrarios esse et idcirco non simul posse veros esse, sed se invicem refellere. Quare cum in hac re par fere Aristotelis et Theophrasti sit auctoritas, iam unicuique data est optio, utrum putet sequendum esse, nisi forte aliquis modus reperiatur, quo inter se possint conciliari. Ea autem solum condicione videntur inter se conciliari posse, si statueris, iis non ipsam Anaximandri doctrinam sed quasdam Aristotelis et Theophrasti huius doctrinae interpretationes contineri; quod qua ratione intellegendum sit, mox accuratius dicetur. Quaeritur igitur in primis, num sint, quibus ita statuere cogamur.

Atque primum quidem Aristoteles non nisi hoc uno loco Anaximandri principium mixtionem appellat, cum reliquis locis omnibus, ut postea demonstrabitur, naturam quandam simplicem, ab elementis, quae vocantur, diversam atque mediam inter duo contraria elementa interiectam, propria sua qualitate utentem dicat. Deinde notissimum est, Aristotelem in aestimandis philosophis prioribus sic versari solere, ut de eorum principiis ex suis principiis iudicet illaque ad sua principia reducere studeat[1]. Sic Anaxagorae homoeomeriarum mixtionem ostendit, si recte cogitetur, nihil aliud esse quam „*τὸ ἀόριστον πρὶν ὁρισθῆναι καὶ μετασχεῖν εἴδους τινός*"[2], hoc est, quam materiam informem; hacque mixtionis illius interpretatione eo loco, de quo agimus, simpliciter utitur, cum „*τὸ Ἀναξαγόρου ἕν*" dicat. Pari igitur ratione fieri potest, ut Aristoteles eo, quod Anaximandri infinitum mixtionem appellat, non ipsam Anaximandri doctrinam, sed suam quandam huius doctrinae interpretationem, suum quoddam

---

1) Cf. Metaph. I, 4. 485^a 4 sq.; 5. 986^b 4; 8. 989^a 30 sq.; 10 893^a 11 sq.; III, 1002^b 27.

2) Ibid. I 8. 989^b 30 sq., in primis 989^b 16.

de ea iudicium indicaverit. Re vera autem ita rem se habere, certis argumentis videtur probari posse. Anaximander ipso Aristotele teste, quemadmodum antea iam indicavimus et postea demonstrabimus, infinitum suum principium esse voluit naturam quandam corpoream ab elementis diversam atque mediam inter duo contraria elementa interiectam, propria quadam qualitate utentem. Talem autem quandam naturam esse posse Aristoteles omnino negat. A sua enim de elementis doctrina profectus sic fere disputat: omni corpori simplici sive elemento — tale autem est Anaximandri principium — utriusque generis contrariarum qualitatum necessario alteramutram convenire, esse igitur necessario aut siccum aut humidum simulque aut frigidum aut calidum; — haec enim sunt duo illa prima contrariarum qualitatum genera —. Quare non esse naturam quandam simplicem inter duo elementa, velut aquam et aerem, mediam et ab utroque qualitate sua diversam. Namque simulatque ponatur qualitatem habere qualitati aeris, id est, calori, contrariam, statim effici, ut frigida et idcirco aqua sit; simulatque autem ponatur qualitatem habere qualitati aquae, id est, frigiditati, contrariam, rursus effici, ut calida et idcirco aer sit; effici igitur, ut necessario aut unum aut alterum ipsorum illorum elementorum, neque autem media inter ipsa interiecta sit[1]). Quodsi autem naturam illam velimus qualitate sua

---

1) Tota haec disputatio sumpta est ex duobus Aristotelis locis, quos ad Anaximandrum pertinere et ab Alexandro Aphrodisiensi (cf. Alexand. ad Metaph. I, 5. 987^{a} 2, p. 34, 2 Bonitz) pariterque a Philopono (comment. ad h. l. p. 46 a, post med. et b part. sup.) contenditur, et postea ex ipso Aristotele demonstrabitur. Loci autem sunt hi. Generat. Corrupt. II, 1. 328^{b} 33: „*τούτων (τῶν αἰσθητῶν σωμάτων) δὲ τὴν ὑποκειμένην ὕλην οἱ μέν φασιν εἶναι μίαν, οἷον ἀέρα τιθέντες ἢ πῦρ ἤ τι μεταξὺ τούτων, σῶμά τε ὂν καὶ χωριστόν.*“ Ibid. 329^{a} 8: „*ἀλλ' οἱ μὲν ποιοῦντες μίαν ὕλην παρὰ τὰ εἰρημένα, ταύτην δὲ σωματικὴν καὶ χωριστήν, ἁμαρτάνουσιν.*

utriusque elementi qualitati contrariam esse, hanc eius qualitatem iam nihil aliud esse quam utriusque qualitatis privationem sive absentiam; atque inde effici, ut illa natura, quippe omnis definitae qualitatis expers, omnino esse non possit res quaedam per se constans (*οὐκ ἐνδέχεται μονοῦσθαι*), sed ut nihil sit quam materia[1]). Hac igitur disputatione Aristoteles demonstravit, Anaximandri principium — hoc enim significari, non potest incertum videri[2]) — esse non posse naturam quandam simplicem a reliquis elementis diversam ac propria quadam qualitate utentem; sin autem velimus eam a reliquis elementis diversam esse, eam esse non posse nisi materiam definita quavis qualitate carentem, vel, ut Theophrasti verbis utamur, esse non posse nisi „*φύσιν ἀόριστον κατ' εἶδος*". Atque omnino veri simile est, hanc Aristo-

---

ἀδύνατον γὰρ ἄνευ ἐναντιώσεως εἶναι τὸ σῶμα τοῦτο αἰσθητὸν ὄν· ἢ γὰρ κοῦφον ἢ βαρὺ ἢ ψυχρὸν ἢ θερμὸν ἀνάγκη εἶναι τὸ ἄπειρον τοῦτο, ὅ λέγουσί τινες εἶναι τὴν ἀρχήν."

1) Aristot. Ibid. II, 5. 332ª 20: „*οὐ μὴν οὐδ' ἄλλο τί γε παρὰ ταῦτα* [*τὰ στοιχεῖα δύναται ἁπάντων ὕλη εἶναι*], *οἷον μέσον τι ἀέρος καὶ ὕδατος ἢ ἀέρος καὶ πυρός, ἀέρος μὲν παχύτερον καὶ πυρός, τῶν δὲ λεπτότερον· ἔσται γὰρ ἀὴρ καὶ πῦρ ἐκεῖνο μετ' ἐναντιότητος· ἀλλὰ στέρησις τὸ ἕτερον τῶν ἐναντίων· ὥστ' οὐκ ἐνδέχεται μονοῦσθαι ἐκεῖνο οὐδέποτε, ὥσπερ φασί τινες τὸ ἄπειρον καὶ τὸ περιέχον.*" Quo loco Anaximandrum intellegi, si quidem illo priore loco intellegitur, per se patet; idem vero, praeterquam quod a Philopono (p. 53 b parte inf.) aperte dicitur, insuper etiam vel maxime probatur vocabulis „*τὸ ἄπειρον καὶ περιέχον*", quae iam antea ab Aristotele de Anaximandri principio adhiberi vidimus. — Non esse naturam quandam sensilem ab elementis diversam Aristoteles eo quoque demonstrat, quod sensibus omnino non appareat, hoc modo, Phys. III, 5. 204ᵇ 32: „. . *οὐκ ἔστι τοιοῦτον σῶμα αἰσθητὸν παρὰ τὰ στοιχεῖα. ἅπαντα γὰρ ἐξ οὗ ἐστί, καὶ διαλύεται εἰς τοῦτο, ὥστε ἦν ἂν ἐνταῦθα παρὰ ἀέρα καὶ πῦρ καὶ γῆν καὶ ὕδωρ· φαίνεται δ' οὐδέν*".

2) Vide duas notas proxime antecedentes.

telis disputationem fontem esse, e quo Theophrastus illam suam de Anaximandri principio sententiam hauserit. Atque haec est prima principii illius interpretatio.

Sed est praeterea alia quaedam interpretatio, quae necessario fere sequitur ex Aristotelis doctrina de contrariorum mixtione et orienti ex hac mixtione eo, quod inter contraria medium sit. Est enim, ut rem quam paucissimis absolvam, insigne quoddam Aristotelis placitum, in unoquoque genere duo esse prima contraria[1]) — haec contraria autem sunt primum qualitates contrariae, quae sunt generis primae differentiae, tum res contrariis his qualitatibus informatae, quae sunt generis primae species[2]) —, quaeque in quoque genere inter haec contraria interiecta sint media, sive unum tantum sit sive plura, contrariorum mixtione oriri[3]) (non misceri ipsas qualitates contrarias sed res sive elementa contrariis qualitatibus informata, vix opus est commemorare), veluti in genere coloris prima contraria sint album et nigrum, ex horumque

---

1) Sufficiet, paucos tantum locos attulisse. Phys. I, 6. 189^b 25: „ἀεὶ γὰρ ἐν ἑνὶ γένει μία ἐναντίωσίς ἐστιν.“ Metaph. X, 4. 1055^a 4: „ἔστι τις μεγίστη διαφορά, καὶ ταύτην λέγω ἐναντίωσιν.“ Quod postquam demonstratum est, additur v. 19: „τούτων δὲ ὄντων φανερόν, ὅτι οὐκ ἐνδέχεται ἑνὶ πλείω ἐναντία εἶναι.“

2) Metaph. X, 7. 1057^b 4 sq.

3) Ibid. 1057^a 18: „ἐπεὶ δὲ τῶν ἐναντίων ἐνδέχεται εἶναί τι μεταξὺ καὶ ἐνίων ἔστιν, ἀνάγκη ἐκ τῶν ἐναντίων εἶναι τὰ μεταξύ.“ Ibid. 1057^b 3: „ἀνάγκη αὐτὰ (τὰ μεταξὺ) συγκεῖσθαι ἐκ τούτων τῶν ἐναντίων.“ Ibid. v. 23: „ἐκ δὲ τῶν ἐναντίων γίνεταί τι, ὥστ’ ἔσται μεταβολὴ εἰς τοῦτο πρὶν ἢ εἰς αὐτά· ἑκατέρου γὰρ καὶ ἧττον ἔσται καὶ μᾶλλον· μεταξὺ ἄρα ἔσται καὶ τοῦτο τῶν ἐναντίων. καὶ τἆλλα ἄρα πάντα σύνθετα τὰ μεταξύ . . . ἐπεὶ δ’ οὐκ ἔστιν ἕτερα πρότερα ὁμογενῆ τῶν ἐναντίων, ἅπαντ’ ἂν ἐκ τῶν ἐναντίων εἴη τὰ μεταξύ“. Phys. I, 5. 188^b 23: „τὰ δὲ μεταξὺ ἐκ τῶν ἐναντίων ἐστίν, οἷον χρώματα ἐκ λευκοῦ καὶ μέλανος· ὥστε πάντ’ ἂν εἴη τὰ φύσει γινόμενα ἢ ἐναντία ἢ ἐξ ἐναντίων.“

mixtione reliqui colores oriantur[1]; atque in universum mixtionem non esse nisi contrariorum[2]), ipsamque in eo consistere, quod contraria elementa in mixtione potentia quidem suam qualitatem sive formam retineant, actu autem unam quandam efficiant rem, cuius qualitas inter mixtorum elementorum qualitates media interiecta sit[3]).

Haec igitur cum Aristotelis sit de mixtione contrariorum doctrina, vix fieri potest, ut eam ad Anaximandri principium, quippe quod sciret esse naturam quandam inter contraria elementa mediam, non adhibuerit. Quodsi autem adhibuisse statuimus et simul priorem disputationem respicimus, totam Aristotelis de hoc principio ratiocinationem hanc fere oportet fuisse: „si ponitur esse quandam naturam corpoream ab elementis diversam mediamque inter duo contraria elementa interiectam, sua quadam utentem qnalitate a contrariorum elementorum qualitatibus diversa, ea non natura quaedam simplex, sed solum *elementorum contrariorum mixtio esse potest*; sin autem non conceditur, eam esse mixtionem, sed tenetur, esse naturam simplicem ab elementis diversam, non potest sua quadam ac propria uti qualitate, sed esse non potest nisi *materia qualibet qualitate definita carens*; atque inde sequitur, ut illam naturam oporteat esse aut mixtionem e

---

1) De Sensu et Sensili 3. 439^b 19; Metaph. X, 7. 1057^a 8; 5. 1056^a 26.

2) Gen. et Corrupt. I, 10. 328^a 31: „φανερὸν οὖν, ὅτι ταῦτ' ἐστὶ μικτά, ὅσα ἐναντίωσιν ἔχει τῶν τοιούτων· ταῦτα γὰρ δὴ ὑπ' ἀλλήλων ἐστὶ παθητικά“.

3) Ibid. 327^b 23: „... ἐνδέχεται τὰ μιχθέντα εἶναί πως καὶ μὴ εἶναι, ἐνεργείᾳ μὲν ἑτέρου ὄντος τοῦ γεγονότος ἐξ αὐτῶν, δυνάμει δέ ἑκατέρου ἅπερ ἦσαν πρὶν μιχθῆναι, καὶ οὐκ ἀπολωλότα.“ Ibid. 328^b 22: „ἡ δὲ μίξις τῶν μικτῶν ἀλλοιωθέντων ἕνωσις“. 328^a 29: „μεταβάλλει μὲν ἑκάτερον εἰς τὸ κρατοῦν ἐκ τῆς αὑτοῦ φύσεως, οὐ γίνεται δὲ θάτερον, ἀλλὰ μεταξὺ καὶ κοινόν“.

contrariis elementis compositam aut materiam cuiusvis qualitatis definitae expertem."

Iam vero patet, utrumque pariter et refutari et probari posse. Ad prius enim disiunctionis membrum refellendum ex ipsa Anaximandri sententia adsumi potest: at non est mixtio, sed natura quaedam simplex; ac tum sequitur: ergo est expers qualitatis materia sive „φύσις ἀόριστος κατ' εἶδος". Atque hac interpretatione usum esse vidimus Theophrastum. Ad refellendum alterum membrum pariter ex Anaximandri sententia adsumi potest: at non est materia qualitatis expers, sed sua quadam utitur qualitate definita; ac tum concluditur: ergo est mixtio. Atque hanc interpretationem ipse Aristoteles adhibuit eo Metaphysicorum loco, a quo tota haec disputatio initium cepit.

Quod autem Aristoteles hoc loco pro ipso Anaximandri principio suam huius principii interpretationem posuerit, pariter atque in Anaxagora, id non potest mirum videri. Namque hoc loco non id agit, ut ipsas veterum physicorum doctrinas exponat, sed ut raptim quasi ostendat, apud omnes iam aliquo modo suum materiae principium inveniri. Accedit, quod, postquam „Ἐμπεδοκλέους τὸ μῖγμα" memoravit, ad significandum Anaximandri principium mixtionis notio ultro menti se offerebat. Maxime autem tota nostra disputatio confirmatur eo, quod hac solum ratione discrepantia inter illos Theophrasti et Aristotelis locos plane explicatur ac solvitur. Ab illa autem Aristotelis interpretatione omnino originem etiam duxisse videtur opinio, Anaximandri infinitam esse mixtionem, cuius opinionis vestigia quaedam apud posteriores scriptores invenimus [1]).

Est vero alius etiam Aristotelis locus, quo Anaximandrum ita cum Anaxagora et Empedocle coniungere putatur, ut illi eandem fere atque his de summo principio doctrinam

---

1) Vide supra p. 46 ibique not. 3 et 4.

tribuere censendus sit[1]). Qui quidem locus legitur Phys. I, 4[2]), ubi, postquam exposuit, eorum physicorum, qui unum tantum rerum principium idque corporeum ponerent, alteros ex illo principio res generari velle condensatione et rarefactione, sic pergit: „*οἱ δ' ἐκ τοῦ ἑνὸς ἐνούσας τὰς ἐναντιότητας ἐκκρίνεσθαι, ὥσπερ Ἀναξίμανδρός φησιν. καὶ ὅσοι δ' ἓν καὶ πολλά φασιν εἶναι, ὥσπερ Ἐμπεδοκλῆς καὶ Ἀναξαγόρας· ἐκ τοῦ μίγματος γὰρ καὶ οὗτοι ἐκκρίνουσι τἆλλα*“. Sed tantum abest, ut Aristoteles hoc loco Anaximandri principium Anaxagorae et Empedoclis principiis simile esse dicat, ut iis etiam omnino opponat.

Id primum aperte ipsa forma sermonis indicatur. Namque in verbis „*καὶ ὅσοι δὲ κτλ.*“ ‘*καὶ — δὲ*’ non est particula coniunctiva, sed adversativa, qua notio interposita (hoc loco *ὅσοι*) antecedenti cuidam notioni opponitur; et idcirco „*καὶ ὅσοι δὲ κτλ.*“ non significat „et in universum omnes qui —“, quod si Aristoteles voluisset, dicturus fuisset „*καὶ ὅσοι δή*“, — sed significat „e t v e r o e t i a m omnes qui —“[3]). Itaque Empedocles et Anaxagoras, quippe qui principium dicant u n u m e t m u l t a esse, ipsa sermonis forma Anaximandro opponuntur. Idem vero etiam e rebus patet, de quibus agitur. Aristoteles enim aperte Empedoclem et Anaxagoram cum Anaximandro eo consentire dicit, quod utrique ex principio singulas res secretione con-

---

1) Ritter Geschichte der alten Philos. I, p. 283, 3; Ueberweg Grundriss etc. I, §. 13; alii.

2) Phys. I, 4. 187ᵃ 20.

3) Cf. Plat. Phileb. 13 A: „*τὸ μὲν οὖν μὴ οὐχ ἡδέα εἶναι τὰ ἡδέα λόγος οὐδεὶς ἀμφισβητεῖ· κακὰ δὲ ὄντ' αὐτῶν τὰ πολλὰ καὶ ἀγαθὰ δὲ ... ὅμως πάντα σὺ προσαγορεύεις ἀγαθά*“. Theaet. 171 E: „*... περὶ τὰ ὑγιαινὰ καὶ νοσώδη ἐθελῆσαι ἂν φάναι μὴ πᾶν γύναιον καὶ παιδίον καὶ θηρίον δὲ ἱκανὸν εἶναι ἰᾶσθαι ... ἀλλὰ ἐνταῦθα δὴ ἄλλον ἄλλου διαφέρειν*“. Praeterea Leg. II, 665 B; Crit. 51 A, et Stallbaum ad locos laudatos; Xenoph. Anab. I, 1, 2 ibique Krüger, et ibid. V, 10, 10. Interdum *καὶ — δὲ* verti potest ‘immo vero etiam’.

trariorum fieri velint, ergoque differentiam, qua inter se opponantur, in ipsius principii natura ponit. Quare, cum Empedoclis et Anaxagorae principium unum et multa esse dicat, sequitur, ut Anaximandri principium non unum et multa sed unum solum esse censeat; atque ita de utrorumque principiis sentiens hunc „ἐκ τοῦ ἑνός", illos autem „ἐκ τοῦ μίγματος" (μῖγμα enim est quaedam πολλῶν ἕνωσις) reliqua secernere dicit. Si quis autem dixerit, huic explicationi obstare in sententia: „ἐκ τοῦ μίγματος γὰρ κτλ.", verba „καὶ οὗτοι", quibus indicetur, Empedoclem et Anaxagoram adiungi alii cuidam — is autem est Anaximander — qui idem sentiat, respondeo, verba „καὶ οὗτοι" admodum suspecta videri. Namque et desunt in Cod. F praetereaque in duabus vetustissimis versionibus latinis, in versione Argyropyli[1]), et ea qua usus est Thomas Aquinas[2]), et parum conveniunt cum aperta loci sententia. Quare omnino veri simile est, ea a quodam, qui Anaximandri rationem non satis perspiceret, addita esse. Sin autem genuina esse putaveris, certe non ad „ἐκ τοῦ μίγματος", verum ad „ἐκκρίνουσι" referenda erunt, quoniam Empedocles et Anaxagoras ea solum ratione cum Anaximandro comparantur, quod res singulas ex principio contrariorum secretione generari statuant. Praeterea autem nexus, quo verba „οἱ δ'ἐκ τοῦ ἑνὸς κτλ." cum praecedenti loci parte coniuncta sunt, omnino demonstrant, Aristotelis sententia Anaximandri principium naturam quandam unam ac simplicem esse. De qua re plura dicere omitto, quoniam postea de toto hoc loco, quippe qui in quaestione de Anaximandri principio omnium longe gravissimus sit, separatim agendum erit.

Apparuit igitur, nullam esse nec Aristotelis nec Theophrasti locum, quo probari possit, Anaximandri principium

---

1) Argyropylus sic vertit: „ex ipsa namque congerie cetera segregant".

2) Versio haec est: „ex commistione namque segregant alia."

mixtionem esse rerum actu in eo constantium. Idem autem ex aliqua etiam ipsius Anaximandri sententia sequitur. Cum enim infinitum dicat omnes res amplecti et gubernare[1]), id ita tantum intellegi potest, si infinitum est natura quaedam una et simplex, ubique sui similis. Namque si est mixtio e diversis rebus sive elementis composita, si, ut aliqui putant, in rerum secretione totum quasi absumitur[2]), res ex ipso ortas nec corporali nec intellegibili ratione poterit amplecti et gubernare; non corporali ratione, quoniam non extrinsecus res circumcludit; nec vero etiam ratione intellegibili, quoniam iam non est aliquid unum, quod per omnes res pertineat easque contineat, sed totum abiit in res singulas, quae se tangunt quidem neque autem ullo vinculo per omnes permeanti coniunguntur. Sin autem in secretione rerum solum aliqua sua parte absumitur, res ex ipso ortas extrinsecus quidem amplectetur, sed ita solum eas poterit gubernare, ut eas amplexu suo ac vi coerceat. Neque autem credibile est, Anaximandrum tantum repugnantiam omnino non animadversurum fuisse.

Ad eundem locum pertinet, quod recte monet Zellerus, ad efficiendam rerum secretionem requiri caussam quandam moventem, veluti Anaxagorae mentem vel Empedoclis amorem et discordiam; talem autem caussam moventem Anaximander non agnoscit[3]). Denique addi potest, ad philosophiae aetatem tam priscam magis accommodatum videri, summum rerum principium in natura quadam una

---

1) Aristot. Phys. III, 4. 203^b 10: „. . *αὐτὴ τῶν ἄλλων εἶναι δοκεῖ (ἀρχὴ) καὶ περιέχειν ἅπαντα καὶ πάντα κυβερνᾶν*“, quem locum ad Anaximandrum pertinere supra p. 31 demonstravimus.

2) Cf. Teichmüller l. l. p. 56.

3) Aristot. Phys. III, 4. 203^b 10: „*οὐ ταύτης* (intellegitur *τὸ ἄπειρον*) *ἀρχή, ἀλλ' αὐτὴ τῶν ἄλλων εἶναι δοκεῖ καὶ περιέχειν ἅπαντα καὶ πάντα κυβερνᾶν, ὥς φασιν ὅσοι μὴ ποιοῦσι παρὰ τὸ ἄπειρον ἄλλας αἰτίας, οἷον νοῦν ἢ φιλίαν· καὶ τοῦτ' εἶναι τὸ θεῖον· ἀθάνατον γὰρ καὶ ἀνώλεθρον, ὥς φησιν ὁ Ἀναξίμανδρος*“.

et simplici quam in plurium rerum mixtione ponere; haec enim res quamquam, ut antea monuimus[1]), per se nihil probat, tamen, ubi ad historiae testimonia accedit, fidem eorum auget.

3. Cum igitur videatur demonstratum esse, infinitum Anaximandri non esse mixtionem e diversis rebus compositam, nihil restat, nisi ut natura quaedam simplex sit; hoc enim erat alterum primae divisionis membrum[2]). Sed si est natura quaedam simplex, rursus quaeritur, hanc Anaximander utrum esse voluerit rem quandam propria sua qualitate utentem, an materiam cuiusvis qualitatis definitae expertem[3]). Ad quam quaestionem quamquam iam ita respondimus, ut priorem Anaximandri sententiam esse ostenderemus[4]), tamen id nunc iam certis veterum testimoniis est demonstrandum. Incipiendum autem rursus ab Aristotele est.

Aristoteles igitur pluribus locis veteres physicos, qui id quod est (τὸ ὄν) ea ratione unum ponant, quod principium omnibus rebus subiectum unum et id quidem corporeum esse velint, in duo distribuit genera, alterum eorum, qui unum e tribus elementis, id est, aut aquam aut aerem aut ignem — namque terra ipso Aristotele teste a nullo philosopho rerum principium positum est[5]) —, alterum eorum, qui naturam quandam corpoream ab elementis diversam summum rerum principium ponant. Quattuor autem sunt res, in quarum quaestionibus de illis disputat, primum in recensione eorum, qui ipsum id quod est vel summum omnium principium unum solum esse velint; deinde in disputatione de elementis, ea parte, qua quaerit, utrum

1) Vide supra p. 1; 21; 36.
2) V. p. 46.
3) V. ibid.
4) V. p. 51 sq.
5) Metaph. I, 8. 988^{b} 30 et 989^{a} 5.

unum solum sit omnium corporum elementum an plura; tum in disputatione de materia, ea parte, qua quaerit, utrum una solum et ipsorum quattuor elementorum et reliquorum corporum materia sit an plures; denique in disputatione de infinito, ea parte, qua, quibus rebus a singulis philosophis infinitas tribuatur, exponit. Unde, ut hoc breviter iniciam, iam potest prospici, naturam illam ab elementis diversam ab iis, qui eam statuant, intellegi ipsum id quod est vel unum omnium rerum principium, hocque unum principium illorum sententia ad singulas res ita se habere, ut unum omnium elementum sit, id est, ut, quemadmodum quattuor illa quae vulgo dicuntur elementa, substantia quaedam sit corporea, e qua et ipsa illa quattuor elementa et reliqua corpora nascantur, utque hanc ob caussam ratione illorum elementorum reliquorumque corporum naturam habeat materiae omnibus subiectae; hocque unum omnium rerum principium ab illis statui esse infinitum. Sed iam ipsi Aristotelis loci adferendi sunt, quos ita indicabimus, ut simul, quae quoque loco sententiarum sit series, appareat.

Itaque primum, ut a loco prae ceteris gravi incipiamus, in primo Physicorum libro, ibi, ubi de iis disputat, qui id quod est unum esse velint, physicos quoque memorat eos, qui id quod est unum dicant esse, nec vero forma sive notione, quemadmodum Eleatae, sed subiecto, id est, eo, quod unum omnibus rebus principium idque quidem corporeum subiectum sit, hosque eo in duas partes distribuit, quod alteri unum e tribus elementis, alteri naturam quandam ab his diversam, densiorem quidem igne, aere autem subtiliorem illud principium statuant[1]). Huic

1) Phys. I, 4. 187ª 12: „ὡς δὲ οἱ φυσικοὶ λέγουσι (τὸ ὂν ἓν εἶναι), δύο τρόποι εἰσίν· οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα τὸ ὑποκείμενον, ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο ὅ ἐστι πυρὸς μὲν πυκνότερον ἀέρος δὲ λεπτότερον, τἆλλα γεννῶσι πυκνότητι καὶ μανότητι

omnino similis est locus in primo Metaphysicorum libro, quo, postquam exposuit, quomodo priorum philosophorum decreta ad sua illa quattuor principia se haberent, eos vituperat, qui omnia (*τὸ πᾶν*) ita statuant unum esse, ut unum quandam naturam eamque quidem corpoream omnibus rebus subiectam esse dicant, quae per se sola, nullo alio caussarum genere accedente, omnem rerum multitudinem generet[1]). Quos postquam generaliter refellit, addit, hoc vitio teneri et eos, qui aquam aut aerem aut ignem, et eos, qui aliam quandam naturam aere densiorem aqua autem subtiliorem omnibus rebus subiectam esse dicant[2]).

Deinde in tertio libro de Coelo, quo Aristoteles consulto de notione, numero, origine agit elementorum, postquam notionem elementorum explicavit (c. 3), et ostendit, elementa non esse posse numero infinita (c. 4), ad eam convertitur quaestionem, utrum plura sint an unum solum, in hacque quaestione eos, qui unum solum esse velint, quadrifariam distinguit dicens, quosdam philosophos unum solum elementum statuere, atque alios quidem aquam, alios aerem, alios ignem, alios naturam quandam aqua subtiliorem, aere autem densiorem, quae, utpote infinita, amplectatur omnes coelos[3]). Quibus

---

πολλὰ ποιοῦντες, . . . οἱ δ' ἐκ τοῦ ἑνὸς κτλ."; de quo loco infra seorsum agetur.

1) Metaph. I, 8. 988^b 22: „*ὅσοι μὲν οὖν ἕν τε τὸ πᾶν καὶ μίαν τινὰ φύσιν ὡς ὕλην τιθέασι, καὶ ταύτην σωματικὴν καὶ μέγεθος ἔχουσαν κτλ.*"

2) Ibid. 989^a 12: „*κατὰ τοῦτον τὸν λόγον οὔτ' εἴ τις τούτων τι λέγει, πλὴν πυρός, οὔτ' εἴ τις ἀέρος μὲν πυκνότερον τοῦτο τίθησιν ὕδατος δὲ λεπτότερον, οὐκ ὀρθῶς ἂν λέγοι.*"

3) Coel. III, 303^b 10: „*ἔνιοι γὰρ ἓν μόνον ὑποτίθενται, καὶ τοῦτο οἱ μὲν ὕδωρ, οἱ δ' ἀέρα, οἱ δὲ πῦρ, οἱ δ' ὕδατος μὲν λεπτότερον ἀέρος δὲ πυκνότερον, ὃ περιέχειν φασὶ πάντας τοὺς οὐρανούς, ἄπειρον ὄν.*"

dictis addit, quicunque aut aquam aut aerem aut naturam quandam aqua subtiliorem aere autem densiorem unum omnium elementum ponant idque facientes (εἶτα) ex hoc reliqua condensatione et rarefactione efficiant, eos hac ipsa doctrina statuere aliquid, quod ipso illo elemento prius sit, quoniam, illo generationis modo posito, id quod subtilius sit, simplicius etiam ideoque prius oporteat esse eo, quod sit densius, propterea, quod hoc ex illo concretione fiat et in illud dissolutione resolvatur; eos autem, qui ignem ponant, non hac quidem sed aliis implicari difficultatibus[1]).

Tum duo illa physicorum genera memorat, ubi de materiae notione disputat atque quidem tribus maxime locis. Primus locus est in primo Metaphysicorum libro, eo, quem antea laudavimus, paullo anterior, quo, priorum philosophorum decreta cum quattuor suis principiis comparans, id quod in materia positum sit principium iam ab omnibus prioribus philosophis aliquo modo agnitum esse dicit, et a Platone, Pythagoreis, Empedocle, Anaxagora, et ab iis, qui aut aerem vel ignem vel aquam aut naturam quandam igne densiorem aere autem subtiliorem — namque etiam tale aliquid a quibusdam primum positum esse elementum — rebus subiciant[2]); posteriores autem, eos, qui aut unum ex illis elementis aut hanc naturam mediam ponant, ab illis prioribus eo differre, quod

---

1) Ibid. 303^b 13 (continuo post verba proxime laudata): „ὅσοι μὲν οὖν τὸ ἓν τοῦτο ποιοῦσιν ὕδωρ ἢ ἀέρα ἢ ὕδατος μὲν λεπτότερος ἀέρος δὲ πυκνότερον, εἶτ' ἐκ τούτου πυκνότητι καὶ μανότητι τἆλλα γεννῶσιν, οὗτοι λανθάνουσιν αὐτοὶ αὑτοὺς ἄλλο τι πρότερον τοῦ στοιχείου ποιοῦντες.“ . . 304^a 7: ὅσοι δὲ πῦρ ὑποτίθενται τὸ στοιχεῖον, τοῦτο μὲν διαφεύγουσιν, ἄλλα δὲ αὐτοῖς ἀναγκαῖον ἄλογα συμβαίνειν.“

2) Metaph. I, 7 988^a 28: „οὗτοί τε δὴ πάντες τῆς τοιαύτης αἰτίας ἡμμένοι εἰσί, καὶ ἔτι ὅσοι ἀέρα ἢ πῦρ ἢ ὕδωρ ἢ πυρὸς μὲν πυκνότερον ἀέρος δὲ λεπτότερον· καὶ γὰρ τοιοῦτόν τινες εἰρήκασιν εἶναι τὸ πρῶτον στοιχεῖον.“

praeter naturam rebus subiectam nullum quattuor illorum principiorum attigerit[1]).

Alter locus est in primo Physicorum libro, ea parte, qua Aristoteles ipsam materiae notionem explicat. Hic enim in ea disputatione, qua ad explicandam rerum generationem et corruptionem necessarium esse docet ponere naturam quandam, quae qualitatibus contrariis, quarum vicissitudine omnis generatio contineatur, subiecta sit, ipsa autem per se his qualitatibus careat, ad illustrandam hanc sententiam eorum adfert doctrinam, qui omnia statuant unam quandam naturam esse, veluti aquam aut ignem aut naturam inter haec mediam (*τὸ μεταξὺ τούτων*, id est *ὕδατος καὶ πυρός*), addens etiam, ad veritatem propiores esse eos, qui non unum ex elementis, quippe quae ipsa alterautra qualitatum contrariarum utantur, verum naturam illam mediam rebus subiectam esse velint[2]).

Tertius locus, isque omnium longe et copiosissimus et gravissimus, est in altero de Generatione et Corruptione libro, ubi Aristoteles de elementorum materia quaerit, utrum una sit an plures. De hac igitur quaestione priorum philosophorum opiniones recensens quosdam ait docere, materiam omnibus elementis subiectam unam esse, veluti eos, qui aerem eam ponant vel ignem, aut naturam quandam inter haec mediam (*τὸ μεταξὺ τούτων*), quae quidem natura ipsa corpus quoddam sit per se constans (*σῶμά τε ὂν καὶ χωριστόν*)[3]). Cum autem ipse quo-

---

1) Ibid. 988_a 32: „*οὗτοι μὲν οὖν ταύτης τῆς αἰτίας ἥψαντο μόνον, ἕτεροι δὲ κτλ.*“

2) Phys. I, 6. 189^a 35: „— *ἀναγκαῖον, . . . ὑποτιθέναι τι τρίτον, ὥσπερ φασὶν οἱ μίαν τινα φύσιν εἶναι λέγοντες τὸ πᾶν, οἷον ὕδωρ ἢ πῦρ ἢ τὸ μεταξὺ τούτων. δοκεῖ δὲ τὸ μεταξὺ μᾶλλον· πῦρ γὰρ δὴ καὶ γῆ καὶ ἀὴρ καὶ ὕδωρ μετ' ἐναντιοτήτων συμπεπλεγμένα ἐστίν· διὸ οὐκ ἀλόγως ποιοῦσιν οἱ τὸ ὑποκείμενον ἕτερον τούτων ποιοῦντες.*“

3) Gen. Corr. II, 1. 328^b 33: „*τούτων δὲ (τῶν αἰσθητῶν σω-*

que elementorum materiam unam esse censeat ab ipsis elementis diversam, hanc vero non, quemadmodum ii, qui illam mediam naturam ponebant, corpus quoddam esse velit per se constans suisque qualitatibus utens, sed talem quandam naturam, quae ipsa per se quavis qualitate careat pariterque omnibus elementorum qualitatibus contrariis subiecta sit, antequam suam de una materia sententiam exponat, eorum opinionem, qui naturam illam mediam per se constantem elementorum materiam ponant, refellit, dicens, eos, qui unam statuant materiam ab elementis diversam (*παρὰ τὰ εἰρημένα* sc. *στοιχεῖα*) eamque corpoream et per se constantem (*σωματικὴν καὶ χωριστὴν*) esse velint, errare; hoc enim corpus, vel, — ut paullo post dicit, vocabulo utens ab ipso huius sententiae auctore adhibito — hoc infinitum (*τὸ ἄπειρον τοῦτο*), quoniam sensile sit, non posse sine una vel altera qualitatum sensilium esse, sed necessario aut grave aut leve et rursus aut calidum aut frigidum esse[1]). Denique in huius disputationis fine, postquam suam de materia sententiam exposuit, accuratius etiam demonstraturus, nullam rem, quae ipsa sit corpus per se constans suisque qualitatibus utens, omnium rerum materiam esse posse, singillatim et eos refellit, qui unum ex elementis, et eos, qui naturam quandam ab elementis diversam omnium rerum materiam dicant, in hunc fere modum de iis disputans: materiam omnibus rebus sub-

---

μάτων ἢ στοιχείων) τὴν ὑποκειμένην ὕλην οἱ μέν φασιν εἶναι μίαν, οἷον ἀέρα τιθέντες ἢ πῦρ, ἤ τι μεταξὺ τούτων σῶμά τε ὂν καὶ χωριστόν, οἱ δὲ πλείω τὸν ἀριθμὸν ἑνός.“ Post *πῦρ* necessario interpungendum est.

1) Ibid 329ᵃ 8: *„ἀλλ' οἱ μὲν ποιοῦντες μίαν ὕλην παρὰ τὰ εἰρημένα, ταύτην δὲ σωματικὴν καὶ χωριστήν, ἁμαρτάνουσιν· ἀδύνατον γὰρ ἄνευ ἐναντιώσεως εἶναι τὸ σῶμα τοῦτο αἰσθητὸν ὄν· ἢ γὰρ κοῦφον ἢ βαρὺ ἢ ψυχρὸν ἢ θερμὸν ἀνάγκη εἶναι τὸ ἄπειρον τοῦτο, ὅ λέγουσί τινες τὴν ἀρχήν.“*

iectam non posse esse unum ex elementis, propterea quod elementorum qualitates inter se contrariae sint et idcirco, si materia esset unum ex elementis, veluti aqua, id suis ipsius qualitatibus aliorum elementorum generationi obstaret; nec posse esse aliam quandam naturam ab elementis diversam (*ἄλλο τι παρὰ ταῦτα*), quae videlicet sit natura quaedam media (*μεσόν τι*) inter aerem et aquam vel inter aerem et ignem, aere densior aqua autem subtilior, vel igne densior subtilior autem aere, propterea quod haec natura inter duo elementa media, cum eius forma sive qualitas necessario utriusque elementi qualitati contraria sit et idcirco non consistere possit nisi in utriusque qualitatis privatione, cum igitur — ita enim Aristotelis demonstrationem patet explendam esse — ipsa quavis forma careat, omnino non sit corpus quoddam per se praeter elementa constans (*οὐκ ἐνδέχεται μονοῦσθαι ἐκεῖνο οὐδέποτε*), quemadmodum quidam velint esse id quod sit infinitum et omnia amplectens (*τὸ ἄπειρον καὶ τὸ περιέχον*)[1]).

---

1) Ibid. 5. 332ª 20, postquam demonstratum est, rerum materiam non posse esse unum ex elementis, sic pergitur: „*οὐ μὴν οὐδ' ἄλλο τι παρὰ ταῦτα, οἷον μέσον τι ἀέρος καὶ ὕδατος ἢ ἀέρος καὶ πυρός, ἀέρος μὲν παχύτερον καὶ πυρός, τῶν δὲ λεπτότερον· ἔσται γὰρ ἀὴρ καὶ πῦρ ἐκεῖνο μετ' ἐναντιότητος· ἀλλὰ στέρησις τὸ ἕτερον τῶν ἐναντίων· ὥστ' οὐκ ἐνδέχεται μονοῦσθαι ἐκεῖνο οὐδέποτε, ὥσπερ φασί τινες τὸ ἄπειρον καὶ τὸ περιέχον.*" Hic locus, quo antea iam usi sumus (p. 53, not. 1), propter nimiam orationis brevitatem adeo impeditus est, ut accuratius videatur explicandus esse. Primum particula '*οἷον*' hoc loco explicandi vim habet, id quod versione significavimus, postea autem accuratius ostendemus. Deinde in verbis '*ἀέρος μὲν παχύτερον καὶ πυρός, τῶν δὲ λεπτότερον*' *τῶν δὲ* significat *ὕδατος καὶ ἀέρος*. Namque quod medium est inter aquam et aerem aut inter aerem et ignem, semper quidem densius est igne, potest autem aere quoque densius esse, tum, si est medium inter aerem et aquam; et semper quidem subtilius est aqua, potest autem aere quoque subtilius esse, tum, si inter aerem et ignem medium

Postremo Aristoteles duo illa physicorum genera me-

---

est. Magis autem ambigua sunt verba: '*ἔσται γὰρ ἀὴρ καὶ πῦρ ἐκεῖνο μετ' ἐναντιότητος*'. Ipsam generalem verborum sententiam patet eam esse, quam proposuimus. Quod enim inter duo elementa medium est, id, si in alterumutrum mutatur, necessario qualitatem accipit suae ipsius qualitati contrariam, est igitur hoc elementum, in quod transiit, *μετ' ἐναντιότητος*, sive, ut accuratius dicam, *μετὰ ποιότητος τῇ ἑαυτοῦ ποιότητι ἐναντίας*. Inde autem sequitur, ut, cum in utrumque elementum mutetur, in utroque habeat qualitatem suae ipsius qualitati contrariam; atque cum elementorum illorum qualitates ipsae inter se contrariae sint, veluti frigiditas in aqua et calor in aere, sequitur, ut ipsius illius medii qualitas per se non consistere possit nisi in utriusque illarum qualitatum privatione vel in utriusque '*ἀποφάσει στερητικῇ*' (Metaph. X, 5. 1056 a 17 et 23). Sed id quaeritur, num verba '*ἔσται γὰρ ἀὴρ καὶ πῦρ ἐκεῖνο κτλ.*' ita intellegenda sint, ut sint altera bina elementa, inter quae illa natura media dicatur, ut igitur in hisce binis illa res tamquam in exemplo ostendatur, alteris binis, aqua et aere, omissis, an ita, ut sint utrorumque binorum altera membra (namque medii inter aquam et aerem et medii inter aerem et ignem aer et ignis sunt altera membra, ea, quae subtilitate praestant), ut igitur in his solum membris tamquam exemplis res ostendatur, alteris densioribus membris omissis. Quamvis priore explicandi ratione sententia, quam Aristoteles hisce verbis probaturus est, maxime fiat perspicua, ego tamen posteriorem solam veram esse puto. Primum enim haec sola plane convenit cum verbis praecedentibus, quippe quibus pariter utrorumque binorum altera membra, ab una parte aer et ignis, ab altera aqua et aer, coniungantur; deinde, ut in priore explicatione altera bina elementa, sic in hac posteriore altera utrorumque binorum elementorum membra facili opere ea, quae in alteris membris monstrantur, adhibentur; denique, quod omnium gravissimum est et totam quaestionem videtur absolvere, pronomen '*ἐκεῖνο*' non potest referri, nisi ad praecedens vocabulum '*μέσον τι*', quod unum simul medium inter aquam et aerem et medium inter aerem et ignem complectitur, et ad '*τὶ παρὰ τὰ σιοιχεῖα*', quod continuo notione naturae illius mediae, atque mediae quidem inter aquam et aerem vel inter aerem et ignem, definitur. Haec loci explicatio, quem in nostra quaestione habeat usum, postea apparebit.

morat et refellit in tertio Physicorum libro, eo loco, quo de infiniti notione disputat. Primum enim veteres de infinito opiniones recensens, postquam eos memoravit, qui ipsam infinitatem tamquam rem sine ulla re subiecta per se constantem in principiis ponerent, his opponit physicorum doctrinas, dicens, physicos omnes infinitati subicere aliam quandam naturam, quae sit infinita, atque quidem aut unum ex elementis, veluti aquam aut aerem, aut naturam inter haec mediam (*τὸ μεταξὺ τούτων*)[1]. Tum posteriore eiusdem disputationis parte, qua ostendit, nullum corpus, nec compositum nec simplex, posse infinitum esse, eorum, qui simplex ponant corpus, rursus duo distinguit genera, eos, qui corpus ab elementis diversum (*τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα*), et eos, qui unum ex elementis ponant[2]). Atque hoc loco adfert etiam rationem, qua commoti quidam philosophi id, quod infinitum sit, non unum ex elementis sed corpus quoddam ab elementis diversum esse velint, eam, quod, cum elementorum qualitates inter se contrariae sint, si unum ex elementis poneretur esse infinitum, id ipsa sua infinitate reliquorum elementorum ortum impediturum esset[3]). Qua ratione indicata continuo ostendit,

---

1) Phys. III, 4. 203a 16: „*οἱ δὲ περὶ φύσεως ἅπαντες ἀεὶ ὑποτιθέασιν ἑτέραν τινὰ φύσιν τῷ ἀπείρῳ τῶν λεγομένων στοιχείων, οἷον ὕδωρ ἢ ἀέρα, ἢ τὸ μεταξὺ τούτων*“. Verborum ratio grammatica ea est, ut inter se opponantur '*τὶς φύσις τῶν λεγ. στοιχείων*' et '*τὸ μεταξύ*'. Particula *οἷον* rursus explicandi vim habet, ut patet e loco 205a 25.

2) Ibid. c. 5. 204b 22: „*ἀλλὰ μὴν οὐδὲ ἓν καὶ ἁπλοῦν εἶναι ἐνδέχεται τὸ ἄπειρον σῶμα, οὔτε ὡς λέγουσί τινες τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα, ἐξ οὗ ταῦτα γεννῶσιν, οὔθ᾽ ἁπλῶς.*“ Verba '*οὔθ᾽ ἁπλῶς*', ut e sequenti disputatione apparet, significant 'nec in universum ulla alia ratione', id est, 'nec ratione elementorum' corpus infinitum potest simplex esse. Totus locus in alia caussa accuratius considerabitur.

3) Ibid. 204b 24 continuo post verba proxime laudata: „*εἰσὶ γάρ τινες, οἳ τοῦτο ποιοῦσι τὸ ἄπειρον, ἀλλ᾽ οὐκ ἀέρα ἢ ὕδωρ, ὡς μὴ*

tale quoddam corpus sensile ab elementis diversum omnino non posse esse, ea hoc loco ratione utens, quod, cum omnia, e quo principio oriantur, in id etiam resolvantur, corpus autem illud sensile esse credatur, si tale quoddam corpus esset, apparere sensibus deberet[1]). His de corpore ab elementis diverso interiectis, de simplicibus corporibus in universum ostendit, nullum corpus simplex, nec ullum ex elementis nec illud corpus ab elementis diversum posse principium esse omnibus rebus subiectum, propterea quod rerum generatio in qualitatum contrariarum vicissitudine consistat; quo argumento eum etiam in altero de Generatione et Corruptione libro, atque paullo enucleatius quidem, uti vidimus[2]). Denique ad propositum re-

---

τἆλλα φθείρηται ὑπὸ τοῦ ἀπείρου αὐτῶν· ἔχουσι γὰρ πρὸς ἄλληλα ἐναντίωσιν, οἷον ὁ μὲν ἀὴρ ψυχρός, τὸ δὲ ὕδωρ ὑγρόν, τὸ δὲ πῦρ θερμόν· ὧν εἰ ἦν ἓν ἄπειρον, ἔφθαρτο ἤδη τἆλλα· νῦν δὲ ἕτερον εἶναί φασιν ἐξ οὗ ταῦτα (τὰ στοιχεῖα)."

1) Ibid. v. 29: „ἀδύνατον δ' εἶναι τοιοῦτον, οὐχ ὅτι ἄπειρον, . . . ἀλλ' ὅτι οὐκ ἔστι τοιοῦτον σῶμα αἰσθητὸν παρὰ τὰ στοιχεῖα καλούμενα· ἅπαντα γὰρ ἐξ οὗ ἐστί, καὶ διαλύεται εἰς τοῦτο, ὥστε ἦν ἂν ἐνταῦθα παρὰ ἀέρα καὶ πῦρ καὶ γῆν καὶ ὕδωρ· φαίνεται δ' οὐδέν."

2) Ibid. v. 35: „οὐδὲ δὴ πῦρ οὐδ' ἄλλο τι τῶν στοιχείων οὐδὲν ἄπειρον ἐνδέχεται εἶναι. ὅλως γὰρ . . . . ἀδύνατον τὸ πᾶν, κἂν ᾖ πεπερασμένον, ἢ εἶναι ἢ γίνεσθαι ἕν τι αὐτῶν . . . . . . ὁ δὲ αὐτὸς λόγος καὶ ἐπὶ τοῦ ἑνός, οἷον ποιοῦσι παρὰ τὰ στοιχεῖα οἱ φυσικοί. πάντα γὰρ μεταβάλλει ἐξ ἐναντίου εἰς ἐναντίον, οἷον ἐκ θερμοῦ εἰς ψυχρόν." Argumenti nimis breviter indicati, de quo scite disputat Simplicius (p. 111, b part. sup.), haec videtur esse ratio: Rerum generatio in sola qualitatum contrariarum vicissitudine consistit. Idcirco si unum ex elementis, veluti aquam, ponimus esse principium rebus subiectum, ex hoc elemento aut nullum aliud elementum oritur, propterea quod qualitatem suae ipsius qualitati contrariam, veluti aeris, non potest recipere, aut, si recipit, non iam per se est aqua, sed pari iure aer dici potest, vel nihil aliud est nisi materia utriusque elementi qualitatibus subiecta. Quodsi autem corpus illud ab elementis diversum ponitur rebus subiectum esse, ex hoc propterea nullum aliud elementum oriri potest, quod, ut eius auctores

versus subtili ratiocinatione generaliter demonstrat, nullum omnino esse posse corpus sensile, quod sit infinitum; atque in hac demonstratione, quam accuratius exponere huius loci non est, pariter duo illa physicorum genera memorat dicens, id unum corpus, quod infinitum sit, a nullo physicorum ignem poni aut terram, sed solum aut aquam et aerem, aut corpus inter haec medium (*τὸ μέσον αὐτῶν*)[1]).

Ex hisce locis in praesentia haec sumimus, de aliis postea dicturi: Aristoteles in numero eorum, qui unum omnium rerum principium atque id quidem corporeum ponant, quod omnibus rebus subiectum sit easque ipsum ex sese generet, quosdam refert philosophos, qui illud unum principium corporeum non unum ex elementis esse velint, sed naturam quandam ab elementis diversam haecque ipsa ex sese generantem. Hanc naturam comparat quidem maxime cum materia, sed simul etiam accuratissime ab ea distinguit. Namque pluribus locis eam aperte appellat corpus et accuratius etiam corpus sensile et corpus per se constans (*σῶμα αἰσθητὸν καὶ χωριστόν*), et omnibus locis eos, qui hanc naturam unum omnium verum principium esse velint, ita coniungit cum iis, qui unum ex elementis, aquam aut aerem aut ignem ponant, ut haec duo dicat genera eorum, qui unum rerum principium atque id quidem corporeum statuant; ut ipso disputationis initio diximus. Ad hanc vero significandam naturam diversis utitur vocabulis; tum enim simpliciter dicit '*ἕτερόν τι τῶν στοιχείων*'[2]), vel

---

volunt, sua ipsius qualitate nulli elementorum qualitati contrarium est et hanc ob caussam non ex sua qualitate in qualitatem cuiusquam elementi transit, sed necessario omni qualitatum vicissitudine caret.

1) Ibid. 205ª 25: „*καὶ διὰ τοῦτ' οὐδεὶς τὸ ἓν καὶ ἄπειρον πῦρ ἐποίησεν οὐδὲ γῆν τῶν φυσιολόγων, ἀλλ' ἢ ὕδωρ ἢ ἀέρα, ἢ τὸ μέσον αὐτῶν.*"

2) Phys. I, 6. 189ᵇ 5. III, 5. 204ᵇ 29; Vid. p. 64 not. 2 et p. 68 not. 3.

'*τὶ παρὰ τὰ στοιχεῖα*'[1]) vel coniunctim '*ἄλλο τι παρὰ τὰ στοιχεῖα*'[2]), tum accuratius '*μεταξὺ*' vel '*μέσον τι*' inter duo elementa, quod densius altero, altero autem subtilius sit, atque rursus *μεταξὺ* sive *μέσον* tum inter aerem et ignem, tribus locis[3]), tum inter aerem et aquam, quinquiens[4]), tum uno loco ratione disiunctiva inter aquam et aerem aut inter aerem et ignem[5]), denique uno loco etiam inter aquam et ignem[6]).

Iam igitur quaerendum est, quem philosophorum Aristoteles intellegat eum, qui naturam illam ab elementis diversam unum omnium rerum principium statuat. Quae quidem quaestio perdifficilis et impedita est, propterea quod Aristoteles sententiae auctorem aut omnino non indicat aut non ita indicat, ut statim primum intuenti appareat, interpretes autem partim inter se dissentiunt, et unus etiam, Simplicius, qui omnium gravissimus est, a semet ipse dissentire putatur. Quamobrem, ut quaestio solvatur, si modo solvi potest, multiplici ac varia opus erit disputatione, minus iucunda quam necessaria. In ipso enim Aristotele multi loci diligenter inter se comparandi erunt et aliqui loci obscuriores, qui prae ceteris graves sunt, ita interpretandi, ut etiam minuta quaedam subtilitas grammatica adhibeatur. Quod autem ad interpretes attinet, non so-

---

1) Phys. III, 5. 204 b 22; 32; 34; vid. p. 68 not. 2 et p. 69 not. 1 et 2; Gen. Corr. II, 1. 329 a 8; vid. p. 65 not. 1.

2) Gen. Corr. II, 5. 332 a 20; vid. p. 66 not. 1.

3) Phys. I, 4. 187 a 12; vid. p. 61 not. 1; Metaph. I, 7. 988 a 30; vid. p. 63 not. 2; Gen. Corr. II, 1. 328 b 34; vid. p. 64 not. 3.

4) Phys. III, 4. 203 a 16; 5, 205 a 27; vid. p. 68 not. 1 et p. 70 not. 1; Metaph. I, 8. 989 a 14; vid. p. 62 not 2; Coel. III, 5. 303 b 10 et 13; vid. p. 62 not. 3 et p. 63 not. 1.

5) Gen. Corr. II, 5. 332 a 20; vid. p. 66 not. 1.

6) Phys. I, 6. 189 b 1; vid. p. 64 not. 2.

lum omnia omnium testimonia adferenda sunt, verum etiam, cum non omnes inter se consentiant, de eorum auctoritate et fontibus disserendum erit, et si forte aliquis a semet ipse dissentire videbitur, huius rursus singuli loci inter se comparandi erunt et partim etiam subtilitate grammatica interpretandi. A qua autem re disputatio debeat incipere, non potest dubium esse. Quaerimus enim, quem philosophorum Aristoteles intellegi velit eum, qui illam naturam ab elementis diversam rerum principium dicat. Iam vero Aristotelem ad significandam illam naturam pluribus uti vidimus vocabulis; itaque primum certe quaerendum est, utrum omnia haec vocabula unam eandemque rem an diversas res significent, utrum igitur ad eandem eiusdem an ad diversas diversorum philosophorum doctrinas pertineant. Ab hac igitur quaestione ordiundum est.

4. Cum igitur quaeratur, utrum illa vocabula unam eandemque rem an diversas res significent, haec quaestio rursus bipartita est. Primum enim quaeritur, num illa vocabula naturalibus suis significationibus ea inter se utantur ratione, ut possint eandem rem significare, deinde, num revera Aristoteles eandem rem iis significari voluerit. Quarum quidem quaestionum ea, quam priore loco posuimus, omnino adfirmanda est.

Etenim vocabula '*ἕτερόν τι τῶν στοιχείων*' et '*τὶ παρὰ τὰ στοιχεῖα*' et '*μεταξύ τι δυοῖν στοιχείων*' ita inter se habent, ut generaliores notiones ad specialiores. Vocabulum omnium generalissimum est '*ἕτερόν τι τῶν στοιχείων*'. Cum enim '*τὸ ἕτερον*' et '*τὸ ταὐτὸ*' contraria sint, quaevis res cum quavis re comparata *ἕτερόν τι* est, nisi hae res plane idem atque unum (*ταὐτὸ καὶ ἕν*), sed aliquo modo plura sunt[1]). Est autem, ut quam brevissimis

1) Metaph. X, 3. 1054^{b} 14: „*καὶ τὸ μὲν ἄλλο ἀντικειμένως καὶ τὸ ταὐτό, διὸ πᾶν πρὸς ἅπαν ἢ ταὐτὸ ἢ ἄλλο*". Et v. 17: „*τὸ μὲν οὖν ἕτερον ἢ ταὐτὸ διὰ τοῦτο πᾶν πρὸς πᾶν λέγεται, ὅσα λέγεται ἓν καὶ ὄν.*"

Aristotelis sententiam adumbremus, quadruplex diversitatis ratio; eae enim res, quae aliquo modo plures ideoque diversae sunt, aut et genere (atque idcirco etiam specie) et numero sive subiecto[1]), aut in eodem versantes genere specie solum et numero, aut eodem et genere et specie utentes numero solum, aut denique eodem subiecto utentes ideoque numero eaedem notione solum diversae sunt. Haec quarta diversitatis ratio — namque tres priores per se patent — intercedit primum inter diversas eiusdem rei qualitates, veluti in aqua inter liquiditatem et frigiditatem, quae in eadem materia inhaerentes ipsamque aquae formam constituentes ipso genere diversae sunt, deinde in eadem re inter ipsam naturam subiectam et ea, quae huic inhaerent, veluti inter rei alicuius materiam et formam materiae insitam, et inter oculum et insitam ei vim videndi[2]). Hinc iam quodammodo prospici potest, qua ratione illa natura ab elementis diversa ab hisce dicatur esse diversa. Etenim secunda et tertia ratione ab iis diversa esse non potest; nam si specie solum et numero ab iis esset diversa, ipsa quinta quaedam esset elementorum species in eodem atque illa versans genere; quodsi autem numero solum neque vero specie ab iis diversa esset, ipsius et quattuor elementorum una eademque species sive forma esset ipsaque et reliqua elementa ita inter se haberent ut eiusdem speciei res singulares. Itaque ab iis non nisi aut prima aut quarta ratione potest diversa esse. Si quarta ratione di-

---

1) Dixi 'et genere et numero' et rursus 'et specie et numero', quoniam, ut deinceps patebit, res possunt diversae esse genere, quae sunt numero eaedem.

2) Haec fere sunt, quae ab Aristotele Metaph. V, 9 et 10 de modis diversitatis disputantur, de quibus accuratius dicere non est huius loci. Quarti diversitatis modi exempla inveniuntur Phys. I, 7. 190^b sq.; 9. 192^a 3; VIII, 8. 263^b 12; Gen. Corr. I, 3. 319^b 2 sq.; 5. 320^b 12: 7. 324^b 6; 8. 326^b 6; An. III, 427^a 2 sq.; 7. 431^a 13, alia.

versa est, nihil est nisi materia pariter omnium elementorum qualitatibus contrariis subiecta, si prima, est substantia tota sua natura ab elementis diversa et numero ab iis separata. Utra diversitatis ratio intellegenda sit, fortasse e reliquis vocabulis cognosci poterit.

Iam *τὸ παρά τι* ipsum quoque est *ἕτερόν τινος*, sed notio eius minus late patet. Etenim praepositio '*παρὰ*' naturali sua significatione talem significat duarum rerum diversitatem, quae in separatione quadam consistit; et idcirco ea res dicitur '*παρά τι*', quae ab alia quadam re ita diversa est, ut ab ea aliquo modo separata sit. Iam proprie quidem praepositione *παρὰ* ea significatur diversitas, quae in locorum separatione cernitur, sed '*παρά τι*' non solum id dicitur, quod ab alia quadam re loco, verum etiam, ut mox apparebit, id, quod ab alia re sua ipsius vi ac notione separatum est hancque ob caussam, etiamsi ab ea non est loco separata, tamen loco separari potest. Quare, ut vocabuli significationem una notione comprehendam, eam generaliter sic definio: '*παρά τι*' ea dicitur res, quae ab alia re ita diversa est, ut ipsa per se eam nec contineat nec ea contineatur; quae enim res ab alia hoc modo diversa est, ab ea aut actu separata est aut certe ab ea potest separari. Quam significationem ut appareat eam etiam esse, qua ab Aristotele vocabulum adhibeatur, hoc loco pauca quaedam sufficiunt, quae prae ceteris perspicua sunt maximeque ipsam rem continent; quae paullo post pluribus locis singulis firmabuntur. Itaque Aristoteles ipse locis, ubi accurate loquendum est, vocabulum '*παρά τι*' vocabulo '*χωριστὸν*' explicat, veluti in Metaphysicis ait, '*τὴν ἀρχὴν δεῖ καὶ τὴν αἰτίαν εἶναι παρὰ τὰ πράγματα* ... *καὶ δύνασθαι εἶναι χωριζομένην αὐτῶν.*"[1]) Et Philoponus Aristotelis verba, *τὸ καθόλου* non esse '*παρὰ τὰ κατὰ μέρος*', ita explicat ut dicat, *τὸ καθόλου* esse qui-

---

1) Metaph. III, 3. 999[a] 17.

dem ἕτερον τῶν κατὰ μέρος, neque vero χωριστὸν αὐτῶν 1). Luculentissime autem, quae in Aristotelis mente vocabuli significatio sit, inde apparet, quod notionis negantis ab aienti differentiam ita definit, ut notionem negantem significare dicat id, quod sit 'παρὰ τὸ ἐν τῇ ἀποφάσει', hoc est, quod ab eo, quod notione aienti contineatur, separatum sit; veluti, ut hoc exemplo utar, non — album vel τὸ μὴ λευκὸν significat id, quod est παρὰ τὸ λευκόν, hoc est id, quod ab albo separatum est 2). Facile

1) Philop. ad Anal. post. I, 24. 85b 18: „. . εἰ καὶ ἕτερόν ἐστι τῶν μερικῶν (τὸ καθόλου) καὶ ἔστι τις μία φύσις ὡρισμένη, ἑτέρα οὖσα τῶν κατὰ μέρος, ἀλλ' οὖν οὐ χωριστὴν ὑποτίθενται (lege ὑποθετέον) εἶναι καὶ ἐκτὸς τῶν μερικῶν αὐτὴν καθ' αὑτὴν ὑφεστῶσαν, ἀλλ' εἶναι μὲν ἑτέραν τῇ οὐσίᾳ καὶ τὸ λόγῳ, τῷ μέντοι ὑποκειμένῳ οὐχ ἑτέραν εἶναι τῶν μερικῶν"

2) Metaph. IV, 2. 1004a 13, ubi negatio distinguitur a privatione, ipsa negatio (intellegitur autem notio negans), sic definitur: „ἔνθα (ἐν τῇ ἀποφάσει) μὲν οὖν τῷ ἑνὶ ἡ διαφορὰ πρόσεστι, 'παρὰ τὸ ἐν τῇ ἀποφάσει'· ἀπουσία γὰρ ἡ ἀπόφασις ἐκείνου ἐστίν". — De loci sententia, quam, opinor, hucusque nemo plane intellexit, haec videntur addenda esse. Primum in verbis 'τῷ ἑνὶ ἡ δ. π.' 'τὸ ἕν' per se patet esse notionem aientem; unaquaeque enim notio significat aliquid unum, id est, significat 'τί', quod ipsum per se est 'ἕν τι'. Deinde 'τὸ ἐν ἀποφάσει' est id, quod notione neganti negatur, id autem est ipsum illud 'ἕν' sive notio aiens. Tum, id quod ad loci sententiam gravissimum est, in 'ἡ διαφορὰ πρόσεστι παρὰ τὸ ἐν ἀποφάσει', 'παρὰ τὸ ἐν ἀποφάσει' est adpositio ad διαφορά, qua id ipsum, in quo differentia posita sit, significatur; namque hoc ipsum, 'τὸ εἶναι παρὰ τὸ ἐν ἀποφάσει' sive 'separatum esse ab eo, quod notione aienti continetur', notionis negantis ab aienti differentia est. Denique videndum est, quid sibi velint verba 'τῷ ἑνὶ ἡ δ. πρόσεστιν'; quae res etsi ad nostram quaestionem non necessario pertinet, tamen sine ea Aristotelis locus non potest intellegi. Cognoscitur autem e comparatione notionis negantis et privantis, quarum differentia hoc ipso loco ab Aristotele subtiliter indicatur. Sit ex. gr. notio aiens 'videns', huic opposita notio negans 'non — videns' et privans 'caecum'. Iam notio negans et privans eo consentiunt, quod utraque significat

autem patet, id, quod notione neganti continetur, ab eo, quod continetur aienti, et ita posse separatum esse, ut loco

---

aliquid, quidquid id est, in quo visus absentia sive a visu separatio cernatur, si modo absentia et separatio cerni potest. Cf. Metaph. IV, 6. 1011 b 19. Qua autem ratione ab Aristotele differre dicantur, hoc modo patet. Quavis notione aienti et neganti Aristotelis sententia et ipsa rei veritate, quaecunque sunt, in duo maxima dividuntur genera, quorum altero continentur ea, in quibus notio aiens, id est, si nostro exemplo utimur, facultas videndi, altero omnia reliqua, in quibus notio negans, id est, visus absentia sive a visu separatio cernitur. Iam vero in his alteris, si solum ea ratione considerantur, quatenus continentur notione neganti, nihil est, quod sit aiens ideoque nihil, quo unum aliquid ac definitum fiant; et idcirco et omnia possunt esse praeter illud alterum genus notione aienti definitum, et possunt nihil esse; quam ob caussam vocabulum velut non — videns ab Aristotele vocatur *ὄνομα ἀόριστον*. Consectaneum est, ut mens notionem negantem cogitans, si per se solam cogitet, non cogitet definitum quoddam subiectum, in quo haec notio cernatur, sed infinito modo aliquid tale cogitet, quod separatum sit a notione aienti, id est in nostro exemplo, quod separatum sit a visu. Atque hinc patet, notionis negantis ab aienti differentiam, quae in separatione ab aienti sive in aientis absentia posita est, non cum notione definiti cuiusdam subiecti, in quo insit, coniunctam esse, sed et cogitatione et oratione semper adiungi ad notionem aientem et hac sola quasi fulciri, siquidem ea nihil cogitatur nec oratione significatur nisi ab aienti separatio sive aientis absentia. Aliter se habet in notione privanti; namque notio privans, velut 'caecum', ipsa quoque significat quidem notionis aientis absentiam sive ab ea separationem, sed simul continet notionem definiti cuiusdam subiecti, ad quod solum illa aientis absentia pertineat, velut notio caeci continet notionem oculi, in quo solo cernatur. Quare Aristoteles nostro loco, (1004 a 15) ait „*ἐν δὲ στερήσει καὶ ὑποκειμένη τις φύσις γίνεται, καθ' ης λέγεται ἡ στέρησις*“, et IV, 6. 1011 b 19: „*οὐσίας δὲ στέρησις ἀπόφασίς ἐστιν ἀπό τινος ὡρισμένου γένους*“. (Intellege: *στέρησις δέ ἐστιν οὐσίας ἀπόφασις; οὐσία* h. l. idem est atque notio aiens). Itaque notionis negantis et privantis differentia haec est: notionis negantis ab aienti

ab eo separatum sit, et ita, ut non loco quidem, sed tamen tota sua notione ab illo separatum sit et idcirco possit certe loco quoque separari[1]). Utroque autem modo ab illo ita diversum est, ut per se suaque ipsius natura nec contineat illud nec illo contineatur; namque si per se illud contineret, de ipso notio aiens, si ipsum per se illo contineretur, de illo notio negans praedicanda esset.

Cum igitur haec generalis vocabuli significatio sit, per se patet, id duplici ratione posse adhiberi. Primum enim atque usu longe frequentissimo ab Aristotele id dicitur *παρά τι ἕτερον*, quod ab alia quadem re numero sive subiecto, id est quod ab alia quadam re ita diversum est, ut ab ea loco separatum sit. Hac vocabuli significatione caussam moventem dicit esse oportere ‘*παρὰ τὰ πράγματα, ὧν ἀρχή*’[2]), et primam caussam moventem sive summam

---

differentia, quoniam negans notio non continet notionem definiti subiecti, ad solam notionem aientem adiungitur, privans autem in definito quodam subiecto cernitur.

Ut Aristoteles, ita etiam Theophrastus notionem negantem definit ‘*τὸ παρὰ τὸ ἐν ἀποφάσει*’, id quod inde patet quod, ut Simplicius refert (Phys. 25 a, ante m.) rationem, qua Parmenides omnia unum esse demonstraverit, sic proponit: „*τὸ παρὰ τὸ ὂν οὐκ ὄν, τὸ οὐκ ὂν μηδέν, ἓν ἄρα τὸ ὄν.*“ Similia sunt, quae a Simplicio eodem loco referuntur, Eudemi et Porphyrii verba.

1) Si, ut rem exemplo ostendam, consideramus rem albam, velut nivem, in hac una re duo coniuncta sunt, materia subiecta et ipsa albedo. Iam vero haec materia, si per se sola spectatur, quoniam sua ipsius natura non continet albedinem, est non — album (*μὴ λευκόν*, ut materia in universum est *μὴ ὄν*), est igitur aliquid *παρὰ τὸ λευκόν*. Verum in nive materia, quae notione neganti non — albi significatur, ab albedine non loco quidem, sed tamen tota sua notione separata est et hanc ob caussam loco quoque separari potest. Similiter albedo per se est non — materia vel aliquid *παρὰ τὴν ὕλην*, quamquam in nive non loco a materia separata est.

2) Metaph. III, 3. 999ᵃ 17. Vid. supra p. 74 not. 1.

mentem divinam esse ʻπαρ' ἕκαστον'[1]); hac significatione Platonis de ideis doctrinam, quippe quas is esse velit naturas seorsum a rebus singularibus per se constantes, ita significat, ut Platonis sententia τὰ εἴδη dicat esse ʻπαρὰ τὰ πράγματα' vel ʻπαρὰ τὰ αἰσθητά', hancque eius sententiam ita refellit, ut τὰ εἴδη demonstret non posse esse aliquid, quod sit ʻπαρὰ τὰ πράγματα'[2]); hac denique significatione dicit, id quod cum illa de ideis opinione arcte coniunctum est, τὸ γένος non esse ʻπαρὰ τοῦ γένους εἴδη' nec τὰ εἴδη ʻπαρὰ τὰ καθ' ἕκαστα'[3]), et rursus τὰ πάθη non esse ʻπαρὰ τὰς οὐσίας'[4]). Deinde eorum etiam utrumque dicitur παρὰ τὸ ἕτερον, quorum alterum ab altero, licet ab eo non separatum sit loco, tamen sua ipsius natura ita diversum est, ut nec contineat alterum nec eo contineatur, utque nec efficiat nec ab eo efficiatur; id quod tum evenit, si ipso genere ipsisque principiis diversa sunt, ita ut alterum ad alterum extrinsecus solum et alia caussa movente accedere atque idcirco etiam rursus ab eo manenti separari possit. Hac vocabuli significatione Aristoteles utitur,

---

1) Phys. VIII, 6. 259ᵃ 3: „ἀλλ' οὐδὲν ἧττον ἔστι τι ὃ περιέχει, καὶ τοῦτο παρ' ἕκαστον, ὅ ἐστιν αἴτιον . . . τῆς συνεχοῦς μεταβολῆς."

2) Longum est, innumeros locos huc pertinentes singillatim adferre; quare in paucis maxime ipsam rem continentibus acquiescam. Cf. igitur Metaph. I, 6; 987ᵇ 7; 27; 29; 9. 990ᵇ 6; 991ᵃ 1; III, 1. 995ᵇ 14; 2. 997ᵃ 34 sq.; 3. 999ᵃ 6 sq.; 4. 999ᵃ 32 sq.; 6. 1002ᵇ 22; VII, 14; 15. 1040ᵃ 8 sq.; 16. 1040ᵇ 26. Quorum locorum tres postremi propterea maxime eam, de qua nunc agimus, vocabuli παρά τι significationem patefaciunt, quod, cum Metaph. VII, 14 et 15 Platonis ideae dicantur οὐσίαι χωρισταί, c. 16 promiscue dicuntur tum χωρισταὶ τῶν καθ' ἕκαστα tum παρὰ τὰ καθ' ἕκαστα.

3) De hac quoque sententia sufficit hos paucos attulisse locos: Metaph. VII, 13, maxime 1038ᵇ 34; 10. 1035ᵇ 27; An. II, 3. 414ᵇ 21; III, 8. 402ᵃ 13.

4) Cf. prae ceteris Metaph. XIII, 2. 1077ᵇ 4; Phys. III, 1. 200ᵇ 32; in universum Metaph. VII, 1. 1028ᵃ 18 sq.

cum dicit *τὸ ὅλον* esse aliquid '*παρὰ τὰ μόρια*'[1]) et hominem non esse 'animal et bipes' seorsum et tamquam elementa sumpta, sed in eo oportere esse aliquid, quod sit '*παρὰ ταῦτα*', ipsam hominis essentiam sive formam[2]). Quibus locis ne in errorem ducamur, reputandum est, Aristotelem non dicere, ipsam totius naturam (*τὸ ὅλον*) esse aliquid *παρὰ τὸ ὅλον πρᾶγμα* sive ipsam rem totam, et hominis formam esse aliquid *παρ' αὐτὸν τὸν ἄνθρωπον*, verum in re tota ipsam totius naturam esse aliquid *παρὰ τὰ μόρια* per se sumpta, et in homine hominis formam esse aliquid *παρὰ τὸ ζῷον καὶ δίπουν*, elementorum modo seorsum sumpta. Idque rectissime dicit. Namque ipsa tota re continetur etiam totius natura, partibus vero seorsum sumptis non continetur, sed hisce aliunde ingignitur aut arte aut natura aut casu et hanc ob caussam ab ipsis manentibus rursus separari potest[3]); pariterque homine ipso continetur hominis forma, illis autem hominis partibus per se solis non continetur, sed in iis non inest nisi effectu principii generantis[4]). Eadem vocabuli signi-

---

1) Metaph. VIII, 6. 1045a 8: „*πάντων γάρ, ὅσα πλείω μέρη ἔχει καὶ μή ἐστιν οἷον σωρὸς τὸ πᾶν, ἀλλ' ἔστι τι τὸ ὅλον παρὰ τὰ μόρια, ἔστι τι αἴτιον (τοῦ ἓν εἶναι).*"

2) Metaph. VIII, 3. 1043b 10: „*οὐδὲ δὴ ὁ ἄνθρωπός ἐστι τὸ ζῷον καὶ δίπουν, ἀλλά τι δεῖ εἶναι ὃ παρὰ ταῦτά ἐστιν, εἰ ταῦθ' ὕλη, οὔτε δὲ στοιχεῖον οὔτ' ἐκ στοιχείου, ἀλλ' ἡ οὐσία.*"

3) Metaph. VIII, 3. 1043b 7: „*οὐ γάρ ἐστιν ἡ σύνθεσις καὶ ἡ μῖξις ἐκ τούτων, ὧν ἐστὶν ἡ σύνθεσις καὶ ἡ μῖξις.*" De tota sententia cf. Metaph. VII, 17. 1041b 11 sq. Hinc solvitur etiam illa '*ἀπορία*', quam Arist. Phys. I, 2. 185b 11 proponit hisce verbis: „*πότερον ἓν ἢ πλείω τὸ μέρος καὶ τὸ ὅλον.*" Cf. ibid. v. 32—34.

4) Metaph. VIII, 6. 1045a 30. — Est autem aliquis Aristotelis locus, quo videri possit ipsum hominem dicere aliquid esse *παρὰ τὰ μέρη*, quamquam per se ipse partes continet ab iisque non potest separari, et idcirco notione solum ab iis diversus est. Namque Metaph. XIII, 7. 1082a 15 ait: „*ἔτι τὸ εἶναι παρὰ τὰς δύο μονάδας τὴν δυάδα φύσιν τινὰ . . . πῶς ἐνδέχεται; ἢ γὰρ μεθέξει θατέρου*

ficatio cernitur, cum Aristoteles, de sensuum perceptionibus agens, ipsum sensum contendit non in patiendo solum, id est, in quadam commutatione pulsu externo effecta consistere, sed 'παρὰ τὸ πάσχειν' esse aliquid ipsum *τὸ αἰσθάνεσθαι* [1]), propterea scilicet, quod ipsa sentiendi vis facultate patiendi, quae corporis propria sit, non contineatur, sed ad eam a principio omnino diverso, ab anima accedat; et cum quaerit, utrum ea, quae animo insita sit, vis movendi peculiaris quaedam animi facultas sit '*παρὰ τὰ εἰωθότα λέγεσθαι καὶ τὰ εἰρημένα*', id est '*παρὰ τὴν αἴσθησιν καὶ*

θάτερον, ὥσπερ λευκὸς ἄνθρωπος παρὰ λευκὸν καὶ ἄνθρωπον· μετέχει γὰρ τούτων· ἢ ὅταν ᾖ θατέρου θάτερον διαφορά τις, ὥσπερ ὁ ἄνθρωπος παρὰ ζῷον καὶ δίπουν." De quo loco, qui ne ab Alexandro quidem recte intellegitur, cum ad nostram quaestionem non levis sit, paucis indicabo quid sentiam. Itaque homo albus non dicitur esse *παρὰ λευκὸν καὶ ἄνθρωπον*, ea ratione, quatenus haec in ipso coniuncta sunt, sed quatenus seorsum per se sumuntur, quatenus igitur album per se non necessario est homo, sed potest esse alia quaedam res, ex. gr. nix, et quatenus homo per se non necessario est albus, sed potest alio colore uti. Pariter homo non dicitur esse *παρὰ ζῷον καὶ δίπουν* ea ratione, quatenus haec ipsius naturam constituunt sed quatenus seorsum per se sumuntur, quatenus igitur animal per se non necessario est bipes sed potest alia etiam differentia uti, et bipes non necessario est in animali, sed potest etiam in alia re inesse, ex. gr. in sella et mensa. Atque ita solum si locus intellegitur, demonstrat id, quod Aristoteles demonstraturus est, numerum binarium per se non esse aliquid *παρὰ τὰς δύο μονάδας*. Itaque h. l. Aristoteles non dicit, ipsam quandam rem esse aliquid *παρὰ τὰ μέρη*, quatenus haec in ipsa coniuncta sunt; ab hisce enim notione solum diversa est; sed quatenus haec seorsum per se sumuntur; a partibus autem ita sumptis etiam loco separata est. Ergo h. l. *παρά τι* ea significatione adhibetur, quam priorem posuimus.

1) An. II, 12. 424 b 16: „*τί οὖν ἐστὶ τὸ ὀσμᾶσθαι παρὰ τὸ πάσχειν τι; ἢ τὸ μὲν ὀσμᾶσθαι καὶ αἰσθάνεσθαι, ὁ δὲ ἀὴρ παθὼν ταχέως αἰσθητὸς γίνεται.*"

τὸν νοῦν', an unum ex hisce sit[1]), hoc est, utrum ipso sensu aut mente contineatur, an sit quaedam animi facultas ab illis ipso principio diversa; et cum in disputatione de fortuito dicit, non omnia aut semper ac necessario aut plerumque (*ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ*) fieri, sed '*παρὰ ταῦτα*' esse etiam, quod fortuito fiat, quod, licet in eadem re atque illa priora evenire possit, a caussa toto genere diversa, a fortuna et casu, repetit[2]); et innumeris aliis locis.

Possunt autem hae duae vocabuli significationes ad unam notionem simplicem reduci. Etenim *τὸ παρά τι* numeri maxime proprium est. Cum enim numerus constet e pluribus singulis, quorum unumquodque unum a quovis alio uno separatum est, unumquodque unum ad reliqua singula sic se habet, ut sit *παρὰ ταῦτα*. Quapropter Aristoteles, postquam enumeravit quattuor rerum principia, materiam, formam, privationem, caussam efficientem, his ita addit quintum, ut dicat, „*ἔτι παρὰ ταῦτα ὡς τὸ πρῶτον πάντων κινοῦν πάντα*“[3]); et postquam egit de quinque sensibus, demonstrat, non posse esse '*αἴσθησιν ἑτέραν παρὰ τὰς πέντε*'[4]); et in universum post plurium singulorum enumerationem completum numerum esse vel incompletum ita solet significare, ut non esse vel esse aliquid *παρὰ τὰ εἰρημένα* dicat[5]). Quare, si non solum ea, quae singillatim

---

1) An. III, 9. 432a 18: „*περὶ τοῦ κινοῦντος . . . σκεπτέον, πότερον . . . ἴδιόν τι (μέρος) παρὰ τὰ εἰωθότα λέγεσθαι καὶ τὰ εἰρημένα, ἢ τούτων ἕν τι.*“

2) Metaph. VI, 2. 1027a 15: „*πότερον οὐδέν ἐστιν οὔτ' ἀεὶ οὔθ' ὡς ἐπὶ τὸ πολύ* (num nihil est quod non aut necessario aut plerumque fiat), *ἢ τοῦτο ἀδύνατον· ἔστιν ἄρα τι παρὰ ταῦτα τὸ ὁπότερ' ἔτυχε καὶ κατὰ συμβεβηκός.*“ Cf. ib. v. 25; Phys. II, 5. 196b 13; 19; 197a 19.

3) Metaph. XII, 4. 1070b 34.

4) An. III, 1. 424b 22.

5) Sic ex. gr. An. II, 3. 414b 21 enumeratis explicatisque tribus animae generibus ostendit, non esse animam '*παρὰ τὰς εἰρημέ-*

per se constant, verum etiam ea, quae singillatim numerantur, numero diversa appellamus, in universum id dicere possumus esse *παρά τι ἕτερον*, quod ab eo numero diversum sit.

Haec exponenda erant, ut, quid intellegendum esset *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα*, certo iudicio cognosci posset. Cum enim paullo ante viderimus, principium illud quod ab Aristotele refertur ab elementis diversum, quatenus generaliter tantum *ἕτερόν τι τῶν στοιχείων* diceretur, et materiam intellegi posse contrariis elementorum qualitatibus subiectam, et substantiam ipso numero ab elementis diversam, quaerendum est, hae duae explicandi rationes quomodo se habeant ad vocabulum '*τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα*'. In qua quaestione protinus apparet, si illud principium ponatur esse substantia numero ab elementis diversa, hanc substantiam per se esse aliquid *παρὰ τὰ στοιχεῖα*, atque ea quidem vocabuli significatione, quam priorem posuimus. Sed id quaeritur, num etiam, si non substantia intellegatur, verum materia elementorum qualitatibus subiecta, — dico autem materiam per se quavis qualitate carentem, qualem Aristoteles informavit — dici possit esse aliquid *παρὰ τὰ στοιχεῖα*. Atqui hanc materiam non posse dici *παρὰ τὰ στοιχεῖα*, si hoc vocabulum priore illa significatione accipitur, apertum est. Sed num forte altera significatione potest, qua id quoque dicitur *παρά τι ἕτερον*, quod, licet ab hac alia re non subiecto separatum sit, tamen ita ab ea diversum est, ut nec contineat eam nec ea contineatur et idcirco etiam a manenti ea separari possit, qua ratione Aristoteles *τὸ ὅλον* dicit esse aliquid *παρὰ τὰ μέρη* et hominis essentiam aliquid *παρὰ τὰ στοιχεῖα* sive *τὴν ὕλην* [1])? Mi-

---

νας'. Phys. III, 1. 201ª 1, postquam quattuor motus genera enumeravit, ostendit, '*παρὰ τὰ εἰρημένα*' non esse aliud etiam motus genus.

1) Vid. p. 79 et not. 1 et 2.

nime vero, ut ego quidem existimo. Ut enim, quemadmodum antea docuimus[1]), in re quadam tota *τὸ ὅλον* sive ipsa totius natura est quidem aliquid *παρὰ τὰ μέρη*, pariterque in hac re *τὰ μέρη* sunt aliquid *παρὰ τὸ ὅλον*, nec vero *τὰ μέρη* sunt aliquid *παρ' αὐτὸ τὸ ὅλον πρᾶγμα*, quippe quo contineantur, sic etiam in unoquoque elemento materia est quidem aliquid *παρὰ τὴν μορφὴν* vel *παρὰ τὰ ἐναντία*, quibus cum materia coniunctis ipsa elementa efficiuntur, nec vero est aliquid *παρ' αὐτὰ τὰ στοιχεῖα*, propterea quod ipsis elementis ita continetur, ut ipsa eorum notione contineatur et a manentibus iis omnino non possit separari. Ac revera Aristoteles ita de materia loquitur, ut eam dicat esse aliquid *παρὰ τὴν μορφήν*[2]), ut eam dicat ipso genere a forma diversam esse[3]), ut eam dicat *ἕτερόν τι τρίτον*, quod contrariis rerum qualitatibus, in universum formae et privationi, subiectum sit[4]); sed non memini ullius loci, quo eam dicat aliquid *παρὰ τὸ πρᾶγμα* e materia et forma compositum. Itaque illud principium ab elementis diversum ita solum ab Aristotele dici potuit *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα*, si esse putavit substantiam numero ab elementis diversam, quae quidem substantia, tametsi etiam elementorum materia esset, nihilo minus tamen per se constaret aut certe constare posset ab elementis separata. Hinc autem simul etiam patet, *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* se habere ad *τὸ ἕτερον τῶν στοιχείων* ut notionem specialiorem ad generaliorem.

Denique *τὸ μεταξὺ* vel *μέσον δυοῖν στοιχείοιν* rursus ad *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα*, si id substantiam quandam significat, ita se habet, ut eius aliqua species sit. Cum enim hoc principium inter duo elementa medium ea ratione di-

---

1) Vid. l. l.

2) Cf. l. l.

3) Cf. Metaph. V, 28. 1024^b 12.

4) Phys. I, 6. 189^a 23; 27; 34 sq.

catur medium, quod altero densius altero autem rarius sit, eius ab elementis differentia in diverso densitatis et raritatis gradu ponitur. Huius autem differentiae generaliter acceptae plures esse possunt modi. Quod enim hac ratione ab elementis differt, id et omnibus elementis potest densius et omnibus rarius et densitate ac raritate inter duo elementa medium esse. Iam vero quod ipsum per se una aliqua harum rationum ab elementis differt, id ab iis ipsa sua qualitate sive forma differt, et hanc ob caussam est res quaedam *παρὰ τὰ στοιχεῖα*, sive substantia seorsum ab elementis per se constans. Itaque *τὸ μεταξὺ δυοῖν στοιχείοιν* est aliqua species eius, quod generaliore vocabulo *παρὰ τὰ στοιχεῖα* dicitur; atque inde simul patet, *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* posse certe idem intellegi atque *τὸ μεταξὺ δυοῖν στοιχείοιν*.

Itaque nunc iam apparet quod ostendere volebamus, tria illa vocabula, *τὸ ἕτερον τῶν στοιχείων*, *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα*, *τὸ μεταξὺ δυοῖν στοιχείοιν* posse certe eandem rem significare, posse igitur ad eandem eiusdem philosophi doctrinam pertinere. Sed de hoc ipso vocabulo '*τὸ μεταξὺ*' dubitari etiam potest, utrum unam eandemque rem significet an nomen generis sit ad plures pertinens species. Namque Aristoteles iis locis, quibus principium inter duo elementa medium memorat, id medium dicit tum inter aquam et aerem, tum inter aerem et ignem, tum etiam inter aquam et ignem, idque ita quidem, ut, si unum locum exceperis[1]), unoquoque loco e tribus his modis unum tantum indicet, quasi is solus sit, aliorum ne levissima quidem significatione addita. Quod autem medium est inter aquam et aerem, id ipsa sua natura differt ab eo, quod inter aerem et ignem vel inter aquam et ignem medium est. Quare haec tria vocabula per se quidem non unam eandemque rem significare videntur

1) Gen. Corr. II, 5. 332 a 20 (vid. supra p. 66 not. 1), de quo loco infra agetur.

sed potius tres diversas species principii illius inter duo elementa medii. Sed tamen una est condicio, qua possint eandem rem significare, eam dico, si forte is, qui naturam illam ab elementis diversam unum rerum principium posuit, hanc naturam ita informaverat, ut pari iure videretur inter aquam et aerem atque inter aerem et ignem vel etiam inter aquam et ignem media dici posse. Hoc enim si ponimus, illa vocabula nihil sunt nisi eiusdem rei diversae interpretationes. Atque hanc revera vocabulorum rationem esse, deinceps pluribus demonstrabitur.

5. Cum igitur apertum videatur esse, illa vocabula posse certe eandem rem significare, quaerendum est, num revera apud Aristotelem eandem rem significent. Hoc autem argumentis certissimis puto probari posse, quorum potissimum in eo positum est, quod saepe duobus locis, quos demonstrari potest ad eandem rem pertinere, vocabula illa ita inter se commutantur, ut ad significandam hanc eandem rem altero loco hoc, altero illud vocabulum adhibeatur.

Primum igitur Aristoteles in disputatione de infinito, initio eius partis, qua demonstrat, nullum corpus, nec compositum nec simplex, posse infinitum esse, physicos, qui corpus quoddam simplex infinitum ponant, ita dividit, ut alteros aquam aut aerem, alteros *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* ponere dicat [1]). Haud multo post, in demonstrationis illius fine, de iisdem physicis loquens ait, nullum physicorum terram et ignem, sed solum aut aquam vel aerem, aut *τὸ μέσον αὐτῶν* infinitum ponere [2]). Apertum est, utroque loco pariter o m n e s intellegi physicos, qui corpus quoddam simplex ponant infinitum. Iam vero cum altera horam phy-

---

1) Phys. III, 5. 204 b 23—25; 32. Vid. locos p. 68 not. 3 et p. 69 not. 1 et 2.

2) Phys. ibid. 205 a 25. Vid. p. 70 not. 1.

sicorum pars utroque loco ita significetur, ut aut aquam aut aerem, altera autem priore loco ita, ut *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα*, posteriore vero ita, ut *τὸ μέσον ὕδατος καὶ ἀέρος* ponere dicatur, sequitur, ut hi *τὸ μέσον* ponentes et illi *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* ponentes iidem intellegendi sint, ut igitur *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* et *τὸ μέσον ὕδατος καὶ ἀέρος* eandem rem significent. Utroque autem loco aperte respicitur, quod ipso disputationis initio dictum est[1]), physicos omnes, qui principium ponant infinitum, ipsi infinitati aliam quandam naturam subicere, atque quidem aut unum ex elementis velut aut aquam aut aerem, aut *τὸ μεταξὺ τούτων*.

Deinde initio secundi de Gen. et Corr. libri, ubi de elementorum materia quaerit, hancque ab aliis dicit unam, ab aliis plures esse statui, eos, qui unam elementorum materiam esse velint, rursus ita distinguit, ut alteros unum ex elementis, velut aerem aut ignem, alteros '*τὶ μεταξὺ τούτων, σῶμά τε ὂν καὶ χωριστόν*' ponere dicat[2]). Paullo autem post separatim eos refellit, qui unam elementorum materiam naturam quandam ponant '*παρὰ τὰ εἰρημένα* (*στοιχεῖα*), *ταύτην δὲ σωματικὴν καὶ χωριστήν*'[3]). Qui hoc posteriore loco unam elementorum materiam ponere dicuntur naturam quandam '*παρὰ τὰ στοιχεῖα*', certe in numero sunt eorum, quorum sententiae illo priore loco indicantur; iam vero cum referri non possint ad eos, qui illo priore loco aerem aut ignem elementorum materiam ponere dicuntur, eosdem esse oportet atque eos, qui illic

---

1) Phys. III, 4. 203ª 16. Vid. p. 68 not. 1.

2) Aristoteles priore loco non apertis quidem verbis aeri et igni generalem elementorum notionem anteponit; sed ab eo duo illa divisionis membra, quae posuimus, intellegi, ex ipsa verborum collocatione apparet. Vid. locos p. 64 not. 3; cf. Gen. Corr. II, 5. 332ª 4 et 20.

3) Gen. Corr. II, 1. 329ª 8. Vid. p. 65 not. 1.

'τὶ μεταξὺ ἀέρος καὶ πυρός' dicuntur ponere. Cur autem Aristoteles horum solum sententiam hoc loco refellat, de iis vero, qui unum ex elementis ponant, omnino taceat, facile cognoscitur. Cum enim iam in eo sit, ut suam ipsius de materia sententiam proponat, cum autem ipse quoque materiam esse velit naturam diversam quidem ab elementis, neque vero 'παρὰ τὰ στοιχεῖα', id est, seorsum ab elementis per se constantem, statim initio studet patefacere, qua ratione sua de materia doctrina differat ab eorum opinione, qui τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα omnium rerum materiam ponant; quae quidem differentia, ut quam brevissimis dicam, in eo posita est, quod Aristotelis materia non est aliquid παρ' αὐτὰ τὰ στοιχεῖα, sed *in ipsis elementis* est aliquid παρὰ τὴν μορφὴν τῶν στοιχείων. Atque eam ipsam ob caussam, ut haec differentia clare appareat, ad τὸ μεταξὺ explicationem 'σῶμά τε ὂν καὶ χωριστόν', ad τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα 'σωματικὸν καὶ χωριστὸν' videtur adponere; proprie enim hac adpositione non opus est, quoniam ipsa notione eius, quod sit παρὰ τὰ στοιχεῖα et μεταξὺ δυοῖν στοιχείοιν, notio corporis per se constantis iam continetur. Itaque ex horum duorum locorum comparatione patet, τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα idem intellegi atque τὸ μεταξὺ ἀέρος καὶ πυρός. Quod si cum prioribus componimus, apparet, τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα et idem dici atque τὸ μεταξὺ ἀέρος καὶ ὕδατος et idem atque τὸ μεταξὺ ἀέρος καὶ πυρός; sed inde non sequitur, ut etiam haec duo media eandem rem significent, quoniam ad τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα, quod est vocabulum generalius, se habere possunt ut duae diversae eius species. De hisce igitur accuratius etiam videndum est.

Aristoteles eiusdem libri capite quinto, quo, postquam praecedentibus libri partibus suam de materia sententiam exposuit, generaliter ostendit, quod omnium elementorum materia sit, id nec unum ex ipsis elementis, nec 'ἄλλο τι παρὰ ταῦτα (τὰ στοιχεῖα)' esse posse, continuo 'τὸ

παρὰ τὰ στοιχεῖα' ratione disiunctiva explicat hisce verbis: '*οἷον μέσον τι ἀέρος καὶ ὕδατος ἢ ἀέρος καὶ πυρός*', quod quidem medium altero elemento densius altero autem subtilius sit. Quo loco cum '*τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα*' explicetur duobus membris disiunctis, ipsius loci intellectus omnino pendet ab ea quaestione, quae huius disiunctionis vis ac ratio sit. Potest autem intellegi triplici modo, primum ita, ut Aristoteles eorum philosophorum, qui *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* omnium rerum materiam dicant, duas distinguat partes, alteram eorum, qui illud naturam quandam inter aquam et aerem, alteram eorum, qui naturam quandam inter aerem et ignem mediam ponant; deinde ita, ut generaliter solum, quot modis *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* cogitari possit, significet, historiae ratione non habita; denique ita, ut, de unius solum philosophi, qui *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* ponat, doctrina cogitans, duas eas indicet rationes, quibus *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* ab illo positum explicari possit[1]. Cum igitur haec triplex esse possit disiunctionis sententia, ea, quam secundam posuimus, omnium minime probabilis est, propterea quod Aristoteles toto loco id agit, ut ipsorum philosophorum, qui ante ipsum fuerint, de una materia opiniones refellat; omnino autem eam accipi non posse apparebit, si, quae accipienda sit, ostenderimus. Sed reliquarum duarum utra tandem intellegenda est? Posterior vero, ea, quam ultimo loco posuimus; id quod nunc iam probandum est.

Incipiendum videtur esse ab explicandis duobus vocabulis, quae ad intellegendam loci sententiam gravissima sunt, primumque videndum, in verbis, '*οὐδ' ἄλλο τι παρὰ ταῦτα, οἷον μέσον τι ἀέρος καὶ ὕδατος ἢ ἀέρος καὶ πυρὸς*',

---

1) Haec loci sententia apparet, si eum sic vertimus: Nec una omnium elementorum materia esse potest *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα*, velut medium aliquid inter duo elementa, sive id inter aquam et aerem, sive inter aerem et ignem medium est.

particula 'οἷον' quam significationem habeat; haec enim potest duplex esse. Nam primum particula οἷον, atque usu quidem longe frequentissimo, adhibetur in adferendis notionis alicuius exemplis, eo consilio, ut ea, quibus anteponitur, exempla illius notionis significet esse; qua significatione Latini adhibent 'velut' vel 'exempli gratia'. Deinde vero saepius etiam ab Aristotele in explicationibus ad notionem aliquam addendis adhibetur, eo consilio, ut ea, quibus anteponitur, significet illius notionis explicationem esse; qua significatione respondet Latino 'id est' vel 'scilicet sive videlicet'[1]). Iam prior illa particulae significatio ad nostrum locum parum accommodata est; namque vix fieri potest, ut Aristoteles medium inter aquam et aerem et medium inter aerem et ignem eius naturae, quam dicit τὶ παρὰ τὰ στοιχεῖα, voluerit exempla esse, quoniam, si unum locum exceperis, quo medium inter aquam et ignem memorat[2]), ubicunque illud τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα explicat, id aut medium dicit inter aquam et aerem aut inter aerem et ignem, ita ut praeter haec duo media nullam aliam, quae παρὰ τὰ στοιχεῖα esset, naturam videatur cognovisse. Ea solum condicione haec duo media possint exempla esse, si Aristotelem ponamus de formis cogitare, quas τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα ipsa generali sua notione habere possit, non quas in philosophiae historia habeat; ita enim generaliter accepti plures esse formas, ipsi supra ostendimus[3]); sed hanc sententiam modo

---

1) Cf. Waitz ad Aristot. Organon, 1ᵇ 18, qui primus, quod sciam, hunc vocabuli apud Aristotelem usum vidit et indubiis exemplis ostendit, quibus is locus, de quo agimus, addendus est. Eadem significatione οἷον adhibetur Phys. III, 4. 203ᵃ 16 ubi Aristoteles physicos dicit infinitati subicere 'ἑτέραν τινὰ φύσιν τῶν λεγομένων στοιχείων, οἷον ὕδωρ ἢ ἀέρα'; haec enim duo elementa non exempla sunt, sed sunt omnia, quae a physicis ponuntur infinita, ut patet ex 205ᵃ 27.

2) Phys. I, 6. 189ᵃ 35. Vide supra p. 64 not. 2.

3) P. 84.

diximus ab hoc loco alienam esse. Itaque οἷον posteriore significatione, qua explicandi vim habet, intellegendum est, ergoque verborum sententia haec est: ‘neque etiam aliquid *παρὰ τὰ στοιχεῖα*, id est, natura quaedam media’ sive ‘natura videlicet quaedam media . . . una omnium materia esse potest’. Cum autem duo dicantur media, quae particula disiunctiva ἢ coniuncta sunt, etiam haec particula dupliciter intellegi potest, primum ita ut duo illa media plane disiungat et inter se opponat, quemadmodum Latinum ‘aut’, deinde ita, ut ea disiungat et ad illud *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* in aequo ponat, talia esse significans, quorum utrumque per illius naturam pari iure admitti possit, quemadmodum Latinum ‘sive’. Si priore ratione accipitur, *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* in duas dividitur species omnino diversas; si posteriore ratione, ipsum *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* numero unum solum ponitur et duo illa media eae dicuntur duae rationes sive formae, quibus unius illius natura pari iure explicari possit; ac tum tota loci sententia haec est: ‘nec etiam aliquid *παρὰ τὰ στοιχεῖα*, natura videlicet quaedam media sive inter aquam et aerem sive inter aerem et ignem, una rerum materia potest esse’. Utra ratio accipienda sit, ex solis loci verbis non certo cognosci potest; quamquam posterior iam ea re magis commendatur, quod Aristoteli, si priorem intellegi voluisset, etsi non necessario, certe tamen et ad sententiam et ad sermonis usum accommodatius particula ἢ bis ponenda fuisset. Sed accedunt alia argumenta, quibus, posteriorem rationem solam veram esse, certo demonstratur.

Aristoteles toto loco, cuius is, de quo agimus, posterior pars est, id agit, ut, postquam suam de una omnium rerum materia sententiam exposuit, aliorum philosophorum sententias, qui pariter unam rerum materiam ponant, prorsus refellat, atque easdem quidem aliorum philosophorum sententias, quas ipso disputationis initio breviter recensuit et in duo genera distribuit. Ac priore quidem

loci parte eorum opiniones refutat, qui unum ex elementis omnium rerum materiam esse velint, quos disputationis initio prius dixit genus eorum, qui unam materiam ponerent; ea autem parte, de qua agimus, eos refellit, qui *τὶ παρὰ τὰ στοιχεῖα*, quod quidem (vidimus enim, *οἷον* explicandi vim habere) sit *μέσον τι ἀέρος καὶ ὕδατος ἢ ἀέρος καὶ πυρός*, ponant; atque hi certe ii sunt, quos initio alterum genus illi priori opposuit. Iam vero cum Aristoteles disputationis initio hoc alterum genus eos dicat, qui *τὸ μεταξὺ ἀέρος καὶ πυρὸς* ponant, hos autem eosdem esse ostenderimus atque illos, quos paullo post simpliciter *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* ponere ait, concludendum est, eos, qui nostro loco '*τὶ παρὰ τὰ στοιχεῖα*, quod sit *μέσον τι ἀέρος καὶ ὕδατος ἢ ἀέρος καὶ πυρὸς*' dicuntur ponere, eosdem intellegi, atque illos, qui initio *τὸ μεταξὺ ἀέρος καὶ πυρὸς* et paullo post *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* ponere dicti sunt. Neque enim probabile est, Aristotelem nostro loco, quo aperte illos locos praecedentes respicit, novas inducere sententias, quae illis locis nullo modo indicatae sint. Ea autem solum condicione possunt iidem intellegi, si duo illa media non duae diversae species sunt, sed si *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* unum solum est et ad duo illa media sic se habet, ut pari iure et uno et altero definiri possit. Sed quod non probabile esse diximus, Aristotelem nostro loco novas inducere sententias prioribus illis locis nondum memoratas, id non nisi caute ad Aristotelem adhibendum est, quippe qui, cum semper e totius rei cognitione loquatur, id quoque loco dicat, quod ad rem illustrandam videatur satis esse, et aliis rursus locis alia tamquam cognita adferat, de quibus nihil etiam dictum sit. Quare ad aliud etiam argumentum pergimus.

Posteriore duorum illorum locorum, qui nostrum locum praecedunt, Aristoteles erroris coarguit eos, qui unam rerum materiam aliquid *παρὰ τὰ στοιχεῖα* atque id quidem *σωματικὸν καὶ χωριστόν*, vel ut deinceps dicitur, *σῶμα αἰσθη-*

τὸν esse velint, dicens, tale quoddam corpus omnino esse non posse, quia hoc infinitum — *τὸ ἄπειρον τοῦτο* —, quod a quibusdam ponatur principium, alteramutram habere oporteat qualitatum contrariarum, quibus ipsa elementa definiantur. Hic igitur *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα*, quod *σωματικὸν καὶ χωριστὸν* sit, ita idem dicitur atque '*τὸ ἄπειρον τοῦτο*', ut hoc simpliciter loco illius ponatur. Eo autem loco, de quo agimus, eorum sententiam refellit, qui unam rerum materiam statuant aliquid *παρὰ τὰ στοιχεῖα*, tale videlicet, quod sit *μέσον τι ἀέρος καὶ ὕδατος ἢ ἀέρος καὶ πυρός*, ostendens, id *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* sive id *μέσον δυοῖν στοιχείοιν* omnino non posse '*μονοῦσθαι*', hoc est, non posse per se separari ab utraque qualitatum contrariarum, quibus ipsa illa elementa utantur, ita ut ipsum corpus sit propria sua qualitate utens ac seorsum per se constans, cuiusmodi quidam '*τὸ ἄπειρον καὶ τὸ περιέχον*' esse velint. Hoc igitur loco *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* duobus illis mediis modo disiunctivo explicatum, quod sit '*μονούμενον*' sive corpus per se constans, simpliciter ad aliquos refert philosophos, qui '*τὸ ἄπειρον καὶ τὸ περιέχον*' rerum principium ponant atque ita quidem ad hos solos, ut non possit videri praeter hosce alios etiam intellegere. Iam si utriusque loci sententiam, quatenus ad nostram quaestionem pertinet, verbis brevissimis significamus, priore loco Aristoteles contendit: esse quosdam, qui *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα*, quod *σωματικὸν καὶ χωριστόν* esse velint, unam rerum materiam dicant; tale enim esse '*τὸ ἄπειρον τοῦτο*', quod a quibusdam principium ponatur; altero loco: esse quosdam, qui *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα*, quod quidem sit *μέσον τι ἀέρος καὶ ὕδατος ἢ ἀέρος καὶ πυρός*, quod velint esse *μονούμενον* sive corpus per se constans, unam rerum materiam statuant; tale enim esse '*τὸ ἄπειρον καὶ τὸ περιέχον*', quod a quibusdam ponatur principium. Num igitur *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* simpliciter dictum et *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* disiunctivo illo modo explicatum eandem rem significant et ad eosdem

referuntur philosophos? Primum utrumque certe eodem definitur insigni; namque vocabula '*σωματικὸν καὶ χωριστὸν*' prorsus idem significant atque '*μονούμενον*'. At, dices, hoc insigne ambobus potest commune esse quasi quaedam generis nota, talis autem notae communitate non impediuntur, quominus ipsa peculiari sua natura omnino differant. Sane quidem; sed ad eosdem etiam referuntur philosophos. Namque priore loco Aristoteles *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα*, quod sit *σωματικὸν καὶ χωριστὸν*, simpliciter eorum esse dicit, qui '*τὸ ἄπειρον τοῦτο*' principium ponant; atque, inde patet, eum vocabulo '*οἱ τὸ ἄπειρον τοῦτο τὴν ἀρχὴν λέγοντες*' ita uti, ut nominis proprii vim habeat. Ita autem hoc vocabulo uti non potuit, nisi de iis philosophis, quorum ipsum insigne, ipsa proprietas in eo posita esset, quod *τὸ ἄπειρον* omnium rerum principium ponerent, sive soli sive primi ita statuerant. Id vero non nisi in Anaximandrum cadere, postea singillatim demonstrabimus. Altero loco *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* modo illo disiunctivo explicatum ad aliquos refert philosophos, qui '*τὸ ἄπειρον καὶ τὸ περιέχον*' principium ponant[1]), hique certe ab eo intelleguntur iidem atque illi, qui priore loco simpliciter *οἱ τὸ ἄπειρον τοῦτο τὴν ἀρχὴν λέγοντες* dicti sunt. Licet enim additum vocabulum '*τὸ περιέχον*' quandam ab illis differentiam significare possit, atque quidem orationis magis quam doctrinae, — namque infinitum, si praeter ipsum alia quoque sunt non infinita, haec non potest non amplecti — tamen ex aliquo ipsius Aristotelis loco, quo accuratissime Anaximandri de infinito sententiam exponit, '*τὸ περιέχειν*' apparet esse vocabulum, quo maxime ipse Anaximander infiniti vim ac naturam definiverit[2]). Revera autem hoc altero quoque

---

1) Hos aliquos intellegi omnes eos, qui *τὸ ἄπειρον καὶ τὸ περιέχον* principium ponant, alio loco ostendetur.

2) Phys. III, 4. 203b 11: „— *αὕτη (ἡ ἀρχὴ δοκεῖ) περιέχειν ἅπαντα καὶ πάντα κυβερνᾶν . . . καὶ τοῦτο εἶναι τὸ θεῖον· ἀθάνατον*

loco nullum nisi Anaximandrum intellegi, pariter inferius demonstrabimus. Quodsi autem, qui priore loco *τὸ ἄπειρον* simpliciter et nostro loco *τὸ ἄπειρον καὶ τὸ περιέχον* ponere dicuntur, iidem sunt, sequitur, ut *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* simpliciter dictum, quod priore loco ad illos, et *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* modo illo disiunctivo explicatum, quod nostro loco ad hos refertur, eandem rem significent. Quodsi autem eandem rem significant, sequitur, ut duo illa media, quibus nostro loco *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* explicatur, ab Aristotele non intellegantur duae species, sed duae unius eiusdemque principii interpretationes, quarum utraque pari iure adhiberi possit.

Sed una etiam restat dubitatio; fortasse enim aliquis negabit, nostro loco *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* disiunctivo illo modo explicatum tamquam aliquid unum ad eos referri, qui *τὸ ἄπειρον καὶ τὸ περιέχον* ponant, ita fere disputans: Aristotelem, postquam *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* explicaverit *μέσον τι ἀέρος καὶ ὕδατος ἢ ἀέρος καὶ πυρός*, separatim tantum medium inter aerem et ignem refellere, ostendentem, hoc medium non posse esse *μονούμενον*, hocque solum, nec vero medium inter aquam et aerem, ad eos referre, qui *τὸ ἄπειρον καὶ τὸ περιέχον* ponant; atque inde concludi posse, duo illa media ab Aristotele duas diversas species intellegi. At haec loci explicatio consociari cum universa eius ratione non potest. Primum enim, si accurate cum totam orationis formam tum singulorum quorundam verborum relationem perpendimus, locus vix aliter intellegi potest nisi ita, ut una demonstratione simul et utrumque medium et *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* his mediis explicatum tamquam una eademque res refellatur utque simul et utrumque medium et *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* his mediis explicatum

---

γὰρ καὶ ἀνώλεθρον, ὡς φησὶν ὁ Ἀναξίμανδρος . ." Vide supra p. 30 et 31.

tamquam una eademque res ad illos unos philosophos referatur; id quod antea in ipsius loci interpretatione singillatim ostendimus[1]. Deinde, si istam sententiam veram esse ponimus, talis quaedam Aristoteli attribuenda est cogitandi et dicendi neglegentia, quae, hoc praesertim loco, omnino non possit admitti. Illud enim si ponimus, sequitur, ut Aristoteles primum eos, qui aliquid *παρὰ τὰ στοιχεῖα* principium ponant, in duas partes dividat, alteram eorum, qui illud medium inter aquam et aerem, alteram eorum, qui medium inter aerem et ignem ponant, tumque hos posteriores quidem ad certos quosdam philosophos ipsa historia notos referat, priores autem in hac re omnino praetermittat, ita ut incertum relinquatur, non solum, quos intellegat, verum etiam, num omnino aliquos intellegat. At prorsus incredibile est, Aristotelem non eos etiam, qui medium inter aquam et aerem ponerent, ad certos philosophos relaturum fuisse, si tales quosdam, ab iis, qui medium inter aerem et ignem ponerent, diversos cognovisset, atque incredibile quidem cum propterea, quod haec omissio valde vitiosa esset nec hoc loco, quo alterius medii autores aperte indicantur, ulla caussa idonea, veluti oblivione, explicari posset, tum propterea, quod Aristoteles toto loco id ipsum agit, ut eas, quae ante ipsum ab aliis propositae sint, de materia sententias refellat. Ergo, si hanc rationem cum priore coniungimus, videtur apertum esse, Aristotelem hoc loco non separatim medium solum inter aerem et ignem ad eos referre, qui *τὸ ἄπειρον καὶ τὸ περιέχον* ponant, ab his autem alios distinguere, qui medium inter aquam et aerem statuant, sed simul et utrumque medium et ipsum *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* hisce mediis explicatum tamquam unam eandemque rem ad eosdem illos philosophos referre; id autem ea solum condicione potuit facere, si *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* unum solum putavit et duo illa media non duas

---

1) P. 66 not. 1.

eius species, sed duas, quae pari iure admitti possent, eius interpretationes intellexit.

Itaque, ut sententiam brevibus complectamur, Aristoteles hoc loco unum solum dicit principium, quod sit *παρὰ τὰ στοιχεῖα*, hocque unum principium ita definit, ut naturam quandam dicat inter duo elementa mediam, atque ita quidem mediam, ut pari iure et inter aquam et aerem et inter aerem et ignem possit media dici; vel duo illa media, quibus illud principium modo disiunctivo explicat, ita intellegit, ut duae interpretationes sint, quarum utraque per illius principii naturam pariter admitti possit. Quodsi autem quaerimus, qui potuerit fieri, ut Aristoteles unum idemque principium pariter inter duo bina elementa medium dicere posset, id, ut iam antea significavimus, satis explicatur, si eum, qui *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* principium posuerit, id ita ponimus informavisse, ut certum quidem esset, ab eo aliquid inter duo elementa medium poni, ut vero ob caussas quasdam pari iure et inter aquam et aerem et inter aerem et ignem medium dici posset; quae caussae quae fuerint, postea accuratius quaerendum erit[1]). Ergo ex hoc loco apparet, *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* ab Aristotele non separatim solum tum medium inter aquam et aerem, tum inter aerem et ignem, sed simul utrumque dici, haec igitur quoque media apud eum eandem rem significare et ad eandem pertinere doctrinam. Operae autem videtur pretium esse monere Philoponum quoque, cuius commentarium in libros de Generatione et Corruptione tum demum legi, cum mihi de ea, quam proposui, sententia iam dudum persuasum erat, re certe eandem de loci sententia opinionem sequi, ut ex verbis in nota adscriptis patet, atque ita quidem, ut eam non videatur ex ipsius loci explicatione hausisse sed potius aliunde tradi-

1) Vid. infra cap. 25.

tam suscepisse[1]). Eodem modo Alexander videtur sensisse[2]).

His disputatis quamvis res satis videatur demonstrata esse, tamen, ne ulla incertitudo relinquatur, reliquos quoque quattuor locos, quorum duobus unum, duobus alterum illorum vocabulorum adhibetur, considerabimus. Itaque Aristoteles in primo Metaphysicorum libro, eo loco, quo priorum philosophorum opiniones cum quattuor suis principiis comparat, quosdam esse ait, qui nullum aliud principium statuant nisi *naturam rebus subiectam*, eos, qui aut aquam aut aerem aut ignem aut naturam quandam *igne densiorem aere autem subtiliorem* primum elementum ponant[3]). Loco autem illum brevi intervallo sequenti, quo priorum illorum philosophorum de principiis opiniones exi-

---

1) Philop. Comment. Gen. Corr. p. 46, a. med. (in II, 1. 328^b 33; vid. supra p. 64, 3): „*Ἀναξίμανδρος δὲ ἄλλο τι παρὰ τὰ τέσσαρα στοιχεῖα ὑπέθετο τῶν ὄντων ἀρχήν . . . . . . τὸ μεταξὺ γῆς ἢ πυρὸς καὶ ὕδατος καὶ ἀέρος . .*“ (quid significare videantur particulae *ἢ* et *καὶ* hoc modo positae alio loco explicabitur). P. 53, b fin. (in 5. 332^a 20; vid. supra p. 66, 1): „*τρέπεται ἐνταῦθα πρὸς τὴν τοῦ Ἀναξιμάνδρου δόξαν ὑποτεθεμένην σῶμά τι ὑφεστός, μέσον ἀέρος καὶ πυρὸς ἢ ἀέρος καὶ ὕδατος, ἣν ἤλεγξε μὲν καὶ πρῶτον*“ (329^a 8 intellegitur).

2) Alexander in Comment. Metaph. p. 34, 2 Bon., ubi naturam illam mediam (*τὴν μεταξὺ φύσιν* — id est, naturam mediam generaliter dictam) ad Anaximandrum refert, addit, Aristotelem hanc doctrinam memorare in libris de Generatione; non multo autem post, p. 45, 20, hanc naturam mediam ait et inter aerem et ignem et inter aerem et aquam mediam dici.

3) Metaph. I, 7. 988^a 28 et 32; vide supra p. 63, 2 et 64, 1. Aristoteles veterum philosophorum de materia opiniones recensens eos quoque memorat, qui aut unum e tribus elementis aut naturam illam inter aerem et ignem mediam primum elementum ponant, tumque addit, hosce *praeter naturam rebus subiectam nullum aliud principium cognovisse*. Inde sequitur ea loci sententia, quam in ipsa disputatione proposuimus.

stimat, primum refellit eos, qui omnia (τὸ πᾶν) eo statuant unum esse, quod omnibus rebus eandem quandam naturam, eamque quidem corpoream, subiectam esse dicant, quae per se sola, nullo alio caussarum genere accedente, omnes res ex sese gignat, hosque deinceps eos esse dicit, qui aut unum ex illis tribus elementis aut naturam quandam aere densiorem aqua autem subtiliorem principium ponant rebus subiectum[1]). Hos locos si comparamus, facile patet, eos, qui priore loco naturam rebus subiectam unum earum principium ponere dicuntur, et eos, qui posteriore loco omnia eo dicuntur unum statuere, quod omnibus rebus eadem quaedam natura subiecta sit, quae per se sola omnia ex sese gignat, omnino eosdem esse; namque et eodem definiuntur insigni et aperte posteriore loco prior respicitur. Quodsi autem iidem sunt, etiam species eorum easdem esse oportet, si quidem in utrisque idem divisionis principium adhibetur. Iam vero priore loco eorum, qui naturam rebus subiectam unum ponant principium, species numerantur ii, qui aut aquam aut aerem aut ignem aut quiddam inter aerem et ignem medium ponant, haecque enumeratio ita proponitur, ut completa putanda sit; altero autem loco eorum, qui eandem quandam naturam corpoream omnibus subiectam per se solam dicant omnia ex sese gignere, tres priores species pariter dicuntur ii, qui unum e tribus illis elementis, quarta autem ii, qui quiddam inter aerem et aquam medium ponant, atque haec quoque enumeratio videtur completa esse. Quare cum utroque loco tres illorum philosophorum species eaedem dicantur, cumque inde pateat, utroque loco idem divisionis principium adhiberi, quartam etiam speciem eandem esse oportebit; ergo putandum est, ab Aristotele eos, qui priore loco medium inter aerem et ignem et eos,

---

1) Metaph. I, 8. 988^b 22 et 989^a 12; vid. supra p. 62, 1 et 2.

qui posteriore loco medium inter aerem et aquam ponere dicuntur, eosdem intellegi. Aut si non concesseris eosdem intellegi, statim sequetur, enumerationem illam neutro loco completam esse. Namque si diversi sunt, certe et ii, qui medium inter aerem et aquam ponunt, pars sunt eorum, qui naturam rebus subiectam unum principium statuunt, et ii, qui medium inter aerem et ignem ponunt, pars eorum, qui unam quandam naturam corpoream omnibus subiectam dicunt per se solam omnia ex sese generare, eam ipsam ob caussam, quod illi ab Aristotele in his posterioribus, hi in illis prioribus numerantur. Ergo, si eos ponimus diversos esse, consectaneum est, ut Aristoteles et in priore illa et in posteriore enumeratione unam speciem omiserit, atque in altera quidem hanc, in altera alteram, idque in locis maxime vicinis et de eodem philosophorum genere agentibus. Tantam autem cogitandi et dicendi neglegentiam non facile quisquam Aristoteli tribuerit. Ergo sumendum est, Aristotelem, ut diximus, medium inter aerem et ignem et inter aerem et aquam eandem rem intellegere et inde effici, ut promiscue tum hoc tum altero vocabulo utatur, prout forte aut haec aut ila duo elementa cogitationi propiora sint[1]).

Idem rursus apparet, si cum posteriore Metaphysicorum loco eum comparamus, qui est in primo Physicorum libro[2]). Hic Aristoteles eos physicos, qui id quod est unum ponant corpus omnibus rebus subiectum, accurata divi-

---

1) Si locos, quibus illa natura media memoratur, comparamus, Aristoteles eam plerumque inter ea duo elementa videtur mediam dicere, quae proxime ab eo memorata sint, aut certe propter praecedentium ordinem menti proxima esse debeant. Quin etiam Phys. I, 6. 189^{b} 2, postquam aquam et ignem nominavit, inter aquam et ignem mediam dicit.

2) Phys. I, 4 init. De hoc loco ambiguo postea seorsum agemus et interpretationem hic adhibitam probabimus.

sione bifariam dividit in eos, qui id corpus unum e tribus elementis, et eos, qui naturam quandam igne densiorem aere autem subtiliorem dicant; ipsa autem ea, qua utitur, accuratae divisionis forma ostendit, se praeter hasce illorum philosophorum species nullam aliam cognoscere. Ab iis autem philosophis, qui hoc loco dicuntur id quod est (τὸ ὄν) unum corpus omnibus subiectum ponere, nullo modo diversos esse apparet eos, qui illo Metaphysicorum loco dicuntur omnia (τὸ πᾶν) eo unum statuere, quod omnibus una quaedam natura eaque quidem corporea subiecta sit; ergo horum easdem etiam atque illorum oportet esse species, si quidem utroque loco idem divisionis principium adhibitum est. Iam vero horum species dici vidimus eos, qui unum e tribus elementis, et eos, qui naturam quandam aere densiorem aqua autem subtiliorem ponerent. Ergo cum utroque loco partim eaedem dicantur species ex hacque re appareat, utroque loco idem divisionis principium adhiberi, reliquam etiam partem eandem esse oportet; ergo necessario ab Aristotele, qui illo loco medium inter aerem et ignem et qui hoc loco medium inter aerem et aquam dicuntur ponere, plane iidem intelleguntur. Atque hic ne potest quidem sumi, ab Aristotele utroque loco unam speciem omissam esse, quoniam accurata illa divisione ostendit, se praeter memoratas illas species cognoscere nullam.

Unus locus restat, is, qui legitur in tertio libro de Coelo [1]), quo Aristoteles quosdam philosophos dicit unum solum omnium rerum elementum ponere, atque alios quidem aquam, alios aerem, alios ignem, alios naturam quandam aere densiorem aqua autem subtiliorem, quam quidem naturam, utpote infinitam, amplecti dicant omnes Coelos. Qui quidem locus ab iis, quos hucusque tractavimus, aliquid differt propterea, quod illis locis, quae dicitur una natura

---

1) Coel. III, 5. 303ᵇ 10; vid. supra p. 62, 3.

rebus subiecta, una numero, hoc autem loco, quod a quibusdam poni dicitur unum elementum, specie unum intellegitur; quamquam enim aqua numero etiam una est, pariterque aer et natura inter haec media, tamen ignis non solum is intellegitur, qui unus sit numero, velut Heracliti, verum etiam is, qui ex innumeris similibus partibus compositus sit, qualis a Platone ponitur. Sed id ad nostram quaestionem nullius momenti est. Aristoteles igitur hoc loco eorum, qui unum solum elementum ponant, singulas species enumerat, atque tali quidem orationis forma (utitur enim vocabulis dividentibus *οἱ μὲν — οἱ δέ*), ut haec enumeratio non possit non completa videri. Iam vero si ponimus, medium inter aerem et aquam, quod unum hoc loco memoratur, diversum esse a medio inter aerem et ignem, enumeratio non est completa, et simul alia quoque enumeratio, ea, quae priore illo Metaphysicorum loco proponitur, quam vidimus pariter completam putandam esse, efficitur incompleta; hoc enim loco eos vidimus, qui medium inter aerem et ignem ponerent, in iis numerari, qui unum solum elementum dicerent, altero medio omisso[1]). Quare, si duo illa media diversae res essent, Aristoteles hoc loco eos, qui medium inter aerem et aquam, illo eos, qui medium inter aerem et ignem posuerunt, omisisset[2]). Cum autem talem omissionem omnino incredibilem esse

1) Metaph. I, 7. 988^{a} 28 Aristoteles, postquam eos memoravit, qui aut aerem aut ignem aut aquam aut naturam inter aerem et ignem mediam omnibus rebus subicerent, addit, talem quoque quandam naturam a quibusdam poni '*τὸ πρῶτον στοιχεῖον*'; si autem est *τὸ πρῶτον στοιχεῖον*, etiam unum omnium rerum elementum est.

2) Dixerit fortasse quispiam, Aristotelem promiscue tum hoc tum altero medio uti, ea ratione, ut una species pro toto genere sit. Sed id omni ratione destitutum est; cur enim, si hoc voluit, non simpliciter '*τὸ μεταξὺ*' dicit? cur et cum tria elementa singillatim enumerat, et cum generatim unum e tribus elementis dicit, his semper aut hoc solum aut alterum medium opponit?

viderimus, statuendum est, eo quoque, de quo nunc agimus, loco id, quod medium inter aerem et aquam dicitur, non aliud intellegi atque id, quod aliis locis medium dicitur inter aerem et ignem. Idem postea magis etiam apparebit, si, ut promisimus, ostenderimus, eos, qui hoc loco medium inter aerem et aquam ponere dicantur, nullos alios intellegi praeter unum Anaximandrum.

Postquam singulos locos consideravimus, aliud etiam addimus argumentum e disserendi legibus petitum, quod ad omnes fere locos pertinet quoque solo tota res videtur absolvi. Ut ipso initio diximus utque e locis allatis facile cognoscitur, Aristoteles eos physicos, qui id quod est ea ratione unum esse dicant, quod omnibus rebus unum principium idque quidem corporeum subiectum sit, proprie bifariam solum dividit, in eos, qui id principium unum e tribus elementis, et eos, qui naturam quandam ab elementis diversam inter duoque elementa mediam dicant. In his autem duobus generibus modo versatur omnino diverso. Namque prius genus tum ita significat, ut ipso generis vocabulo utatur, eos dicens, qui '*ἕν τι τῶν τριῶν*' ponant, nulla divisione addita[1]); tum ita, ut genus in species suas dividat hasque ipsi generi modo disiunctivo subiungat, aut omnes[2]) aut duas tantum in modum exemplorum[3]); tum ita, ut, genere omisso, statim generis species modo disiunctivo ponat, ac rursus aut omnes[4]), aut, ubi exempla solum adfert, duas tantum[5]). Alterum autem genus nunquam ita significat, ut primum ipsum genus ponat tumque huic singulas species modo disiunctivo subiungat, veluti eos dicens, qui '*τὶ παρὰ τὰ στοιχεῖα, οἷον μεταξύ τι ἢ ἀέρος καὶ ὕδατος ἢ*

---

1) Phys. I, 4. 187ª 12; Metaph. I, 8. 989ª 13.
2) Metaph. ibid. 989ª 6.
3) Phys. III, 4. 203ª 17; 5. 204ᵇ 24.
4) Coel. III, 5. 303ᵇ 10. Metaph. I, 7. 988ª 29.
5) Phys. I, 6. 189ᵇ 2; Gen. Corr. II, 1. 328ᵇ 34.

ἀέρος καὶ πυρὸς' dicant (de eo uno loco in secundo de Gen. et Corr. libro, quo videri possit genus in duas species dividere hasque generi subiungere, antea seorsum diximus[1]), neque ita, ut genere omisso statim singulas generis species proponat, veluti eos dicens, qui '*μεταξύ τι ἢ ἀέρος καὶ ὕδατος ἢ ἀέρος καὶ πυρὸς*' dicant, sed ubique ipsum genus uno solum illorum vocabulorum significat atque ita quidem, ut sine ullo delectu tum '*τοὺς τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα λέγοντας*', tum '*τοὺς τὸ μεταξὺ ἀέρος καὶ ὕδατος*', tum '*τοὺς τὸ μεταξὺ ἀέρος καὶ πυρὸς*' dicat, prout quodque vocabulum menti forte succurrat, et ita promiscue sive hoc sive illo vocabulo significatum illi priori generi et toti et in species suas diviso opponit[2]). Iam vero protinus patet, tali dicendi ratione non uti potuisse eum, qui illis vocabulis sciret res significari diversas. Ergo illa vocabula apud Aristotelem non diversas sed eandem rem significant.

Iam igitur omnino videtur demonstratum esse, vocabula '*τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα, τὸ μεταξὺ ἀέρος καὶ ὕδατος, τὸ μεταξὺ ἀέρος καὶ πυρὸς*' ab Aristotele adhiberi ad eandem significandam rem, quam quidem rem patet talem esse oportere, ut pari iure et hoc et illo vocabulo appellari possit; demonstratum igitur etiam est, omnia illa vocabula ad eandem eiusdem philosophi doctrinam pertinere. Quare nunc iam transeundum est ad eam quaestionem, quam alteram posuimus, cuiusnam philosophi illa doctrina sit.

6. Cum igitur quaeratur, cuiusnam philosophi illa doctrina sit, hunc philosophum dico nullum esse praeter unum Anaximandrum, ut passim iam significavi, illudque principium, quod tum *τὶ παρὰ τὰ στοιχεῖα*, tum *μεταξύ τι ἀέρος καὶ ὕδατος*, tum *μεταξύ τι ἀέρος καὶ πυρὸς* vocatur,

---

1) Vid. supra p. 87 sq.

2) Res omnino apparet ex iisdem locis, quos quinque adnotationibus praecedentibus laudavimus.

nihil aliud intellegi nisi illam ipsam naturam infinitam, quam ab Anaximandro vidimus unum omnium rerum principium poni. Ad quam rem demonstrandam, cum omnibus illis vocabulis ostenderimus eandem rem significari, proprie satis sit, si de uno aliquo eorum demonstretur; sed praestat tamen, eandem rem singillatim de omnibus vocabulis ostendere, ne quis, si de uno aliquo non demonstratum sit, rursus subdubitet, num vere dixerimus illis vocabulis eandem rem significari. Probatur autem res et ex ipso Aristotele et ex eius interpretibus, quorum testimonia confirmant id, quod e solis Aristotelis locis accurate explicatis cognoscitur. Videtur autem ad perspicuitatem utilius esse, primum interpretum sententias proponere ac tum demum ipsum Aristotelem consulere. Ab illis igitur ordiemur atque ita de iis agemus, ut primo omnia eorum testimonia adferamus, tum de eorum auctoritate quaeramus.

7. Veteres igitur Aristotelis interpretes, exceptis solis Nicolao Damasceno et Porphyrio, de quorum sententia seorsum disputandum erit, unanimo consensu cum *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* tum *τὸ μεταξὺ* et inter aerem et ignem et inter aerem et aquam ad unum Anaximandrum referunt. Primum Alexander Aphrodisiensis, qui horum antiquissimus est, tribus commentarii in libros metaphysicos locis Anaximandrum iis adnumerat, qui simplex quoddam corpus unum omnium rerum principium ponant, et a reliquis eiusdem generis philosophis ita distinguit, ut eum primo loco '*τὴν μεταξὺ φύσιν*'[1]), secundo '*τινὰ μεταξὺ φύσιν*'[2]), tertio denique, qui mani-

---

1) Alex. Metaph. 34, 3 Bon.: „*ἐν τούτοις* (id est, iis qui primi *σωματικὴν ἀρχὴν καὶ ὑλικὴν* posuerint) *δ' ἂν καὶ Ἀναξίμανδρος εἴη ὁ τὴν μεταξὺ φύσιν θέμενος, ἧς δόξης ἐμνημόνευσεν ἐν τοῖς περὶ Γενέσεως.*"

2) Ibid. 36, 1: „*οἱ δέ τινα μεταξὺ φύσιν* (*τὸ ἄπειρον σῶμα ἐποίουν*), *ὡς Ἀναξίμανδρος.*"

festo idem est atque quartus temere huc translatus, ‘τὴν μεταξὺ φύσιν ἀέρος τε καὶ πυρὸς ἢ ἀέρος τε καὶ ὕδατος’ ponere dicat, postremo loco etiam addens, hanc naturam mediam utroque modo, id est, et inter aerem et ignem et inter aerem et aquam mediam dici[1]). A quonam utroque modo dicatur, num ab Aristotele tantum an ab aliis quoque vel etiam ab omnibus, ex Alexandri verbis non certo quidem cognosci potest; sed si accuratam adhibere licet expli-

---

1) Postquam Alexander in explicatione sexti capitis primi Metaph. libri de materia, quam Plato ideis subiceret, disputavit, p. 45, 15 inde a verbis ‘εἰπὼν δὲ κτλ.’ additur, Aristotelem, quippe qui materiam dixerit ab aliis corpoream, ab aliis incorpoream poni, primum disseruisse de Platone et Pythagoreis, qui materiam ponerent incorpoream, omisisse Leucippum et Damocritum, qui materiam ponerent et corpoream et incorpoream, sed de hisce eum iam antea dixisse; denique in fine, v. 20, haec leguntur: „προσέθηκε δὲ τῇ ἱστορίᾳ καὶ τὴν Ἀναξιμάνδρου δόξαν, ὃς ἀρχὴν ἔθετο τὴν μεταξὺ φύσιν ἀέρος τε καὶ πυρὸς ἢ ἀέρος τε καὶ ὕδατος· λέγεται γὰρ ἀμφοτέρως.“ Haec autem omnia ad id Aristotelis caput, quod h. l. ab Alexandro explicatur, omnino non pertinent, propterea quod de iis in hoc capite ab Aristotele omnino nihil dicitur. Pertinent autem ad caput proxime sequens; in hoc enim illa omnia eodem ordine ab Aristotele dicuntur, in hoc verum etiam est, quod illic dicitur ‘προσέθηκε δὲ τῇ ἱστορίᾳ κτλ.’; atque etiam in huius explicatione brevi post, p. 46, 20 sq., iterum iisdem plane verbis leguntur. Postrema solum verba mutilata sunt; haec enim hoc posteriore loco (v. 28) sic leguntur: „προσέθηκε δὲ τῇ ἱστορίᾳ καὶ τὴν Ἀναξιμάνδρου δόξαν, ὃς ἀρχὴν ἔθετο τὴν μεταξὺ φύσιν ἀέρος τε καὶ πυρός“, verbis „ἢ ἀέρος τε καὶ ὕδατος· λέγεται γὰρ ἀμφοτέρως“ omissis; haec autem verba ab ipso Alexandro addita fuisse et non nisi librarii alicuius incuria omissa esse, inde patet, quod priore loco leguntur et quod, ut deinceps apparebit, ad Alexandri sententiam plane indicandam necessaria sunt. Apertum autem est ex iis, quae diximus, totum illum priorem locum illuc ex hoc posteriore a quodam librario translatum esse; quid translationis occasionem praebuerit, num Platonis materia utrobique memorata, an solum quaedam oculorum aberratio, dicere non ausim.

cationem grammaticam, verba ita solum possunt intellegi, ut ab omnibus, id est, communi omnium opinione, utroque modo dici significent[1]). Horum locorum primo provocat etiam ad libros de Generatione et Corruptione, in quibus Aristoteles huius doctrinae mentionem fecerit; id quod ipsi tribus fieri vidimus locis, quorum primo Aristoteles quosdam dicit *σῶμά τι μεταξὺ ἀέρος καὶ πυρός*, altero *σῶμά τι παρὰ τὰ στοιχεῖα*,

---

1) Cum in verbis '*προσέθηκε δὲ κτλ.*' is, qui dicitur *προσθῆκαι*, Aristoteles sit, non absonum videatur credere, etiam in verbis '*λέγεται δὲ ἀμφοτέρως*' Aristotelem intellegi eum, a quo utroque modo dicatur, praesertim cum revera utroque modo dixerit. Sed id non solum non necessarium verum etiam ad totam loci orationem parum aptum est. Primum enim in priore loci parte non Aristoteles tantum, sed post hunc Anaximander etiam nominatur; quare, si solam loci rationem grammaticam spectamus, facilius etiam Anaximander intellegitur. Deinde Alexander, qui Anaximandro nominato dicit, „*ὃς ἀρχὴν ἔθετο τὴν μεταξὺ φύσιν κτλ.*“, id, ut ex ipsa orationis forma patet, non ex Aristotelis sed ex sua ipsius sententia dicit; et idcirco omnino nihil est, cur eum in verbis '*λέγεται δὲ ἀμφοτέρως*', quibus illam suam sententiam probat, de solo Aristotele cogitavisse credamus. Accedit, quod, si de hoc solo cogitavisset, multo facilius dicturus fuisset '*λέγει γάρ*', quamquam eadem ambiguitate, quam antea memoravimus, quandoquidem Anaximander etiam intellegi posset. Quare cum ipso loco, a quonam ita dicatur, nullo modo indicetur, verbum '*λέγεται ἀμφοτέρως*' censendum est positum esse per se absolutum, nulla personarum, a quibus dicatur, designatione addita. Ita autem si positum est, ii, a quibus *λέγεται ἀμφοτέρως*, omnes intellegendi sunt, quicunque forte de illo Anaximandri principio dixerant. Dubitari quidem rursus potest, num intellegendum sit, ab illorum unoquoque utroque modo, an ab alteris hoc ab alteris altero modo dici. Sed et difficile est intellectu, qui fieri potuerit, ut eadem res ab alteris hoc ab alteris altero modo intellegeretur, et parum probabile, Alexandrum, si hoc voluisset, non alio modo locuturum fuisse, veluti '*οἱ μὲν γὰρ οὕτως οἱ δ' ἐκείνως λέγουσιν*'. Quare mihi quidem haec verborum illorum videtur sententia esse: 'namque ab iis, qui de Anaximandri principio rettulerunt, utroque modo medium dicitur'.

tertio *τὶ παρὰ τὰ στοιχεῖα,* quod videlicet medium esset sive inter aerem et aquam sive inter aerem et ignem, omnium rerum materiam posuisse. Praeterea hunc Simplicius quoque testatur *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* Anaximandro tribuisse[1]).

Iam vero si illos tres Alexandri locos consideramus, duae ex iis sequuntur res, quae ad nostram quaestionem maximi sunt momenti. Primum enim ex iis apparet, Alexandrum naturam illam mediam intellegere universam, et universam, non tantum aliquam eius speciem, ad Anaximandrum referre. Namque primo statim loco cum Anaximandrum dicat '*τὴν μεταξὺ φύσιν*' ponere, ipso definiti articuli usu satis indicat, se naturam illam mediam universam, omnes, quae forte eius esse possint, species in sese cohibentem, uni Anaximandro tribuere. Quod autem ex solo hoc loco sequitur, id tertio loco verbis etiam enuntiat, siquidem hoc loco, quo pariter *τὴν μεταξὺ φύσιν,* id est, naturam mediam universe intellectam, Anaximandro tribuit, addit etiam, hanc ab Anaximandro positam naturam mediam pariter et inter aerem et ignem et inter aerem et aquam mediam dici. Atque inde, quod cognitum habet, Anaximandri principium pariter et inter aerem et ignem et inter aerem et aquam medium dici haecque duo media re omnino non differre, explicatur etiam, qui in explicatione cuiusdam Metaphysicorum loci, quo Aristoteles medium inter aerem et aquam, quod a quodam principium ponatur, memorat, pro illo Aristotelis medio dicere potuerit medium inter aerem et ignem[2]). Deinde ex iisdem locis apparet, Alexandrum eam,

---

1) Simplic. Phys. 32 a, p. m. „*καὶ ὁ μὲν οὖν Ἀλέξανδρος Ἀναξίμανδρον οἴεται τὴν ἄλλην τινὰ φύσιν σώματος παρὰ τὰ στοιχεῖα τὴν ἀρχὴν ὑποθέμενον*".

2) Alexander, Metaph. p. 50, 15, in explicatione Arist. Metaph. I, 8. 989 [a] 14, ubi Aristoteles, postquam eos, qui unum quoddam corpus omnium principium ponerent, refutavit, hisce eum quoque adnumerat, qui id unum corpus esse velit '*ἀέρος μὲν πυκνό-*

quam de Anaximandri principio prodit sententiam, non primum e nonnullis Aristotelis vel etiam aliorum scriptorum locis ratiocinatione quadam collegisse, sed ipsam a veteribus scriptoribus traditam accepisse; id enim et e tota dicendi ratione sequitur, quippe quae ubique certitudinem ostendat clarae cognitionis, et ab ipso, si verba ‘*λέγεται γὰρ ἀμφοτέρως*’ recte explicavimus, aperte dicitur.

8. Sequitur Themistius, qui in paraphrasi Aristotelis librorum physicorum saepius de Anaximandri principio loquitur. Is igitur in paraphrasi eius loci, quo Aristoteles primum memorat eos, qui *σῶμά τι πυρὸς μὲν πυκνότερον ἀέρος δὲ λεπτότερον* unum omnium rerum principium ponant, unum Anaximandrum nominat, a quo hoc principium ponatur[1]); et in paraphrasi eius loci, quo Aristoteles primum *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* et *τὸ ἕτερον τῶν στοιχείων* memorat, hoc dicens a quibusdam poni id, quod sit infinitum, rursus unum Anaximandrum appellat eum, qui naturam ab elementis diversam statuat esse id, quod infinitum sit, addens etiam, Anaximandrum eam ob caussam naturam ab elementis diversam infinitati subiecisse, quod infinitum, ut principium esse posset omnibus rebus subiectum, oporteret exemptum esse a contrariis elementorum qualitatibus[2]). Loco autem paullo post sequenti,

---

τερον ὕδατος δὲ λεπτότερον’, Aristotelis sententiam sic reddit: „*καί φησιν, . . ὅτι οὐδεὶς τῶν παρὰ τὸ πῦρ ἄλλο τι σῶμα τὸ στοιχεῖον θεμένων ἢ τούτων τῶν τεσσάρων ἢ τῶν μεταξὺ σῶμα πυρὸς καὶ ἀέρος ὀρθῶς ἂν εἴη λέγων.*“

1) Themist. Paraphr. I, p. 124, 19 ed. Spengel (in Phys. I, 4. 187ᵃ 12) „*ἕτεροι δὲ τῶν στοιχείων μὲν οὐδὲν* [*ὑποκείμενον ποιοῦσιν*], *ἄλλο δὲ ὃ πυρὸς μὲν πυκνότερον ἀέρος δὲ λεπτότερον, ὡς Ἀναξίμανδρος.*“

2) Ibid. p. 230, 9 (in Phys. III, 5. 204ᵇ 22 sq.) „*ἤτοι γὰρ ἕν τι τῶν στοιχείων ἐστὶ* [*τὸ ἄπειρον σῶμα*], . . . *ἤ τις ἑτέρα φύσις, ὡς Ἀναξίμανδρος οἴεται· οὗτος γὰρ ἦλθεν ἐπὶ τὴν διάνοιαν ταύτην κτλ.*“ Tum paullo post, v. 18: „*διὰ τοῦτο οὖν ἑτέραν φύσιν τὴν ἄπειρον λέγει, ἐξ ἧς τὰ στοιχεῖα καὶ τὰ λοιπά.*“

quo cum Aristotele ostendit, nec ex uno aliquo elemento nec ex illa natura ab elementis diversa ullam nasci posse rerum multitudinem, illud Anaximandri principium, quod proxime dixit esse ἕτερόν τι τῶν στοιχείων, appellat 'ἐκεῖνο τὸ μεταξύ', nulla elementorum designatione addita[1]). In paraphrasi duorum aliorum locorum, quibus ab Aristotele τὸ μεταξὺ memoratur, nullum philosophum nominat sed solum Aristotelis sententiam repetit, id tantum de ea commutans, quod priore loco pro eo, quod ab Aristotele dicitur τὸ μεταξὺ ἀέρος καὶ πυρός, generaliter dicit τὸ μεταξύ, elementorum designatione omissa[2]), altero loco pro eo, quod ab illo dicitur μεταξὺ ὕδατος καὶ ἀέρος, μῖγμα dicit πυρὸς καὶ ἀέρος[3]); quamquam magno opere suspicandum est, librorum lectionem falsam esse Themistiumque ipsum μῖγμα ὕδατος καὶ ἀέρος, nec vero πυρὸς καὶ ἀέρος scripsisse, propterea, quod vix comprehendi potest, qui Themistius hoc loco pro Aristotelis aqua et aere scribere potuerit ignem et aquam, quippe quod Aristotelis

---

1) Ibid. 231, 14 (in Phys. ibid. v. 35 sq.): „Ἀναξιμάνδρῳ γάρ, ἐπειδὴ πρὸς οὐδὲν ἐναντίωσιν ἔχει τῶν τεσσάρων ἐκεῖνο τὸ μεταξύ, οὐδ' εἰς ἓν τούτων μεταβάλοι.“ Cf. 232, 2.

2) Ibid. 138, 7 (in Phys. I, 6. 189_b 2, ubi Aristoteles laudat veteres, qui unum quandam naturam rebus subiecerint, veluti 'ὕδωρ ἢ πῦρ ἢ τὸ μεταξὺ τούτων'): „καὶ γὰρ ἐκεῖνοι μίαν τινὰ φύσιν ὑπετίθεσαν τοῖς ἐναντίοις, . . . οἷον ὕδωρ ἢ πῦρ ἢ τὸ μεταξύ.“

3) Ibid. 222, 9 (in Phys. III, 4. 203 a 16, ubi Aristoteles physicos ait infinito subicere 'ὕδωρ ἢ ἀέρα, ἢ τὸ μεταξὺ τούτων'): „τῶν δὲ φυσικῶν οἱ περὶ ἀπείρου διαλεχθέντες συμβεβηκέναι ποιοῦσι τὸ ἄπειρον ἑτέρᾳ φύσει, ταύτην δὲ ἢ πῦρ ἢ ἀέρα ἢ μῖγμα τούτων ὑπολαμβάνουσιν“. Cum Themistius eos, a quibus hoc μῖγμα dicit infinitum poni, aperte in iis numeret, qui naturam infinitam aliquid unum ponant, vocabulum μῖγμα eo intellectu existimandus est adhibuisse, quo antea ab Aristotele Anaximandri principium aliquo Metaphysicorum loco 'τὸ μῖγμα' appellari vidimus. Cf. supra p. 50 sp.

sententiae omnino repugnet[1]). Sed etiamsi his locis Anaximandrum non nominat, tamen oportet certum videri, eum nullum alium nisi Anaximandrum intellexisse, cum propterea, quod *τὸ μεταξὺ* simpliciter dictum et *τὸ μῖγμα*, id est, *τὸ μεταξὺ* (pro hoc enim Aristotelis vocabulo Themistius *μῖγμα* adhibet), sive *πυρὸς καὶ ἀέρος* sive *ὕδατος καὶ ἀέρος*

---

1) Aristoteles eo loco, cuius ille Themistii locus paraphrasis est, physicos ait infinito semper aliam quandam naturam subicere atque quidem (*οἷον* enim h. l. explicandi vim habet; cf. supr. p. 89 not. 1) aut aquam aut aerem aut naturam inter haec mediam; et non multo post (205a 25) aperte aquam et aerem dicit sola esse elementa, quae a physicis ponantur infinita, ignem autem a nullo infinitum dici pariterque terram. Itaque iure sane quaerimus, qui potuerit fieri, ut Themistius illo loco pro aqua poneret ignem. Num forte in eo, quo utebatur, Aristotelis libro scriptum, invenit aut se invenire putavit '*πυρός*', et errorem non animadvertit? At ipse ibid. p. 234, 10 in periphrasi posterioris illius loci, quem modo laudavimus, recte cum Aristotele scribit: „*οὐδεὶς τῶν φυσιολόγων πῦρ τὸ ἄπειρον ἐποίησεν ἢ γῆν, ἀλλ' ὕδωρ ἢ ἀέρα*“, omittens quidem, quod ab Aristotele additur, '*τὸ μέσον αὐτῶν*'; neque autem probabile est, ei priorem locum explicanti posteriorem nondum cognitum fuisse aut certe posteriorem explicanti priorem non in memoriam venisse, nec igitur probabile, eum prioris loci vitium non animadversurum fuisse. An '*πυρὸς*' scripsit pro '*ὕδατος*', quod meminerat, Aristotelem antea de principio quodam inter ignem et aerem medio locutum esse, de principio autem inter aquam et aerem medio nihil etiam cognoverat? At si non cognovisset, ex illis duobus locis tam perspicuis didicisset et, si dubitatavisset, aliquo certe modo significaturus fuisset. An denique propterea ita scripsit, quod medium inter ignem et aerem idem esse sciebat atque medium inter aquam et aerem? At id admitti quidem posset, si solum pro medio inter aquam et aerem medium inter ignem et aerem poneret, admitti autem non potest, quatenus etiam ignem et aerem a quibusdam dicit poni infinita. Quare mihi quidem omnino videtur verisimile esse, Themistium ipsum scripsisse '*ὕδατος καὶ ἀέρος*', '*πυρὸς*' autem per alicuius librarii errorem, atque iam priscis quidem temporibus — legitur enim in omnibus notis codicibus — invectum esse.

dicitur, omnino non diversa sunt ab iis, quae prioribus locis aperte Anaximandro tribuuntur, id quod mox clarius etiam apparebit, tum propterea, quod ipsum vocabulum *μῖγμα* in memoriam revocat illum Aristotelis locum, quo is '*τὸ μῖγμα Ἀναξιμάνδρου*' memorat.

Iam si omnes locos in uno conspectu ponimus, Themistius unum Anaximandrum dicit eum, qui *τὸ ἕτερον τῶν στοιχείων* et *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* principium ponat. Hoc idem Anaximandri principium simpliciter appellat *τὸ μεταξύ*, atque ita quidem, ut existimandus sit non aliquam huius mediae naturae speciem, sed eam totam tamquam unam quandam rem intellegere, quae una omnes, quae forte eius esse possint, differentias contineat, ut igitur existimandus sit omnes, quas forte dici sciebat, huius naturae species, ad unum Anaximandri principium rettulisse. Etenim vidimus, Themistium uno loco Anaximandri principium, quod paullo ante dixit *τὶ ἕτερον τῶν στοιχείων* esse, '*ἐκεῖνο τὸ μεταξὺ*' appellare. Cum simpliciter appellet *τὸ μεταξὺ* sine designatione elementorum, *τὸ μεταξὺ* intellegitur omne, nisi pronomine '*ἐκεῖνο*' ad unam aliquam mediae illius naturae speciem refertur. Id autem non fieri sic patet: Pronomine *ἐκεῖνο* ea res, ad quam adponitur, ad rem iam cognitam, atque quidem aut ad hanc ipsam rem in eadem oratione antea memoratam aut ad huius rei iam cognitam notionem refertur. Iam vero priore significatione *ἐκεῖνο* hoc loco intellegi nequit. Namque iam memoratum quidem est *τὸ μεταξύ*, atque quidem *τὸ μεταξὺ* simpliciter dictum, sed non addito Anaximandri nomine et loco tam remoto, ut, quamvis *τὸ μεταξὺ* nostro loco idem intellegatur atque illud, tamen *ἐκεῖνο* illuc referri non possit[1]). Si ad rem

1) Illud legitur p. 138, 7; hoc p. 231, 14. Vid. supra p. 109, 2 et 1. Praeterea Anaximandri principium iam antea dictum est natura igne densior aere autem subtilior (p. 124, 19; v. supra p. 108, 1), sed is locus remotior etiam est nec eo adhibitum vocabulum *μεταξύ*.

iam memoratam referri volumus, non poterit referri nisi ad '*τὶ ἕτερον τῶν στοιχείων*', quo vocabulo paullo ante Anaximandri principium significatum est. Sed quamquam *τὸ μεταξὺ* idem esse dicitur atque illud *τὸ ἕτερον τῶν στοιχείων*, siquidem simpliciter huius ponitur loco, nec tamen *ἐκεῖνο* ratione sua grammatica illuc referri potest nisi artificiosa quadam interpretatione; quamquam, si illuc referretur, non minus sequeretur, quod volumus, ut *τὸ μεταξὺ* omne intellegendum esset, propterea, quod *τὸ ἕτερον τῶν στ.* notione sua latius etiam patet quam *τὸ μεταξὺ* generaliter intellectum. Quare pronomen *ἐκεῖνο* hoc loco altera illa significatione accipiendum est, qua hoc vocabulo id, ad quod adponitur, ad suam ipsius menti iam insitam notionem refertur, ita ut '*ἐκεῖνο τὸ μεταξὺ*' intellegatur 'nota illa natura media'. Iam vero cum simpliciter dicatur *τὸ μεταξύ*, elementorum designatione non addita, vocabulo certe *τὸ μεταξὺ* omne significatur. Cum autem nulla sit caussa, cur illa menti insita notio credatur alicuius speciei notio esse, statuendum est, a Themistio hoc loco *τὸ μεταξὺ* omne intellegi; atque id eo quoque firmatur, quod hoc ipso loco *τὸ μεταξὺ* idem ponit atque *τὸ ἕτερον τῶν στοιχείων*, quodque alio loco pro eo, quod ab Aristotele dicitur *τὸ μεταξὺ ὕδατος καὶ πυρός*, simpliciter dicit '*τὸ μεταξύ*'[1]).

Itaque Themistius *τὸ μεταξὺ* ita ad Anaximandri principium refert, ut ad hoc unum etiam omnes, quas forte illius dici sciebat, species rettulisse putandus sit. Quod ad has ipsas, quas ab Aristotele memorari vidimus, species attinet, Themistius *τὸ μεταξὺ* inter ignem et aerem aperte ad unum Anaximandrum refert. De medio inter aquam et aerem ambigi potest. Namque si eius loci,

---

Loco multo propinquiore (p. 222, 9; vid. supra p. 109, 3) '*μῖγμα πυρὸς καὶ ἀέρος*' memoratum est, sed nec vocabulum *μεταξὺ* adhibitum nec Anaximandri nomen additum.

1) Vid. supra p. 109, 2.

quo pro eo, quod ab Aristotele medium dicitur inter aquam et aerem, inter ignem et aerem medium dicit, sana est lectio, hoc medium omnino non nominavit, atque si non nominavit, necessario fere nec cognovisse putandus erit; verum iam ostendimus, de illius lectionis veritate magno opere dubitandum esse. Sed haec res ad nostrum quaestionem non magni momenti est. Namque si illud medium omnino non cognovit, nec ullum praeter Anaximandrum cognovit philosophum, qui naturam quandam mediam principium poneret; sin autem cognovit et nominavit, id quod mihi solum videtur verisimile esse, certe ad Anaximandrum rettulit, quoniam medium inter aquam et aerem forma est naturae mediae generaliter dictae.

9. Tertius est Simplicius, qui in commentariis in Aristotelis libros physicos et in libros de Coelo saepissime Anaximandri doctrinam memorat et propterea prae ceteris gravis est, quod non solum accuratius de Anaximandri principio disserit, verum etiam uno certe loco aliorum etiam de eo opiniones refert et subtili ratiocinatione refellit. Possunt autem omnes loci, quibus Anaximandri doctrinam memorat, in duas distingui partes, in quarum altera ii sunt, quibus id potissimum agit, ut ipsius Aristotelis locos eos, quibus is de principio quodam ab elementis diverso vel inter duo elementa medio loquitur, explicet, in altera ii, quibus sua quasi sponte nullaque explicandi necessitate coactus Anaximandri principium definit. Sed sunt, qui Simplicium contendunt in definiendo Anaximandri principio sibi non constare, huiusque sententiae testem adferunt commentarium in libros physicos, dicentes, eum in priore huius commentarii parte, ea, quae praecedit explicationem eius Aristotelis loci, quo is primum mentionem facit naturae cuiusdam inter aerem et ignem mediae (est autem is locus Phys. I, 4), Anaximandri principium ita tantum definire, ut esse dicat '*τὶ ἕτερον τῶν στοιχείων*' vel '*τὶ παρὰ τὰ στοιχεῖα*', nunquam vero naturam quandam inter duo ele-

menta mediam appellare, immo in explicatione illius Aristotelis loci vituperare etiam Alexandrum naturam illam mediam Anaximandro tribuentem; atque in ea demum commentarii parte, quae illam explicationem sequatur, pariterque in commentario in libros de Coelo, ipsum quoque, seductum sine dubio auctoritate Alexandri antea improbati, naturam illam mediam ad Anaximandrum referre[1]). Quare ut simul, quid de hac sententia iudicandum sit, in ipso conspectu ponatur, in adferendis Simplicii locis ita versabimur, ut primum de iis locis agamus, qui illam explicationem antecedunt, deinde de ipsa illa explicatione, denique de iis locis, qui eam sequuntur et iis, qui in commentario in libros de Coelo leguntur.

Incipimus igitur ab iis locis, qui in priore illa parte commentarii in libros physicos leguntur, qui eam etiam ob caussam maximi momenti sunt, quod his maxime Simplicius sua sponte nullaque explicandi necessitate pulsus de Anaximandri principio disserit. Itaque Simplicius in commentario in Phys. I, 2, in generali illa disputatione, qua omnium veterum philosophorum principia breviter adumbrat, postquam eos, qui id quod est vel summum omnium rerum principium unum tantum ponerent, divisit in eos, qui rerum principium unum et immotum, et in eos, qui unum et motu insito praeditum, id est, corporeum esse vellent, et hos rursus in eos, qui id unum principium corporeum finitum et in eos, qui infinitum ponerent, Anaximandrum eum dicit esse, qui primus unum omnium rerum principium dixerit infinitum[2]). Tum huius principii na-

---

1) Est haec sententia ea, quam Schleiermacherus in commentatione de Anaximandro proposuit. Vide Fr. Schl. Werke III, 2. p. 180—182; 176.

2) Simplic. Phys. 6, a, post m.: „*τῶν δὲ ἓν καὶ κινούμενον καὶ ἄπειρον λεγόντων Ἀναξίμανδρος . . . . ἀρχήν τε καὶ στοιχεῖον εἴρηκε τῶν ὄντων τὸ ἄπειρον, πρῶτος τοῦτο τοὔνομα κομίσας τῆς ἀρχῆς.*“

turam indicans Anaximandrum ait hoc principium infinitum non unum ex elementis dicere, verum 'ἑτέραν τινὰ φύσιν ἄπειρον' [1]), atque una sententia interiecta hanc naturam ab elementis diversam elementis ita opponit, ut eam 'τὶ παρὰ τὰ στοιχεῖα' appellet [2]). Tum rursus, pluribus sententiis interpositis, in eadem generali disputatione idem principium ita significat, ut Anaximandrum contendat unum omnium rerum principium ponere 'τὸ μεταξύ', designatione elementorum, inter quae medium sit, non addita [3]). Cuius loci quae sententia sit, vix ambigi poterit. Cum enim simpliciter dicatur 'τὸ μεταξὺ' cum articulo definito, non 'μεταξύ τι', apparet, Simplicium non aliquam naturae huius mediae speciem, sed hanc naturam omnem tamquam unam quandam rem intellegere omnemque ad Anaximandri principium referre, ita ut ad id omnes etiam, quas forte dici sciebat, huius naturae species credendus sit rettulisse. Una quidem species excipi videtur, medium dico inter aquam et ignem, quod ab Aristotele semel tantum memoratur; hoc enim non ad Ana-

1) Ibid.: „λέγει δὲ αὐτὴν μήτε ὕδωρ μήτε ἄλλο τῶν καλουμένων στοιχείων, ἀλλ' ἑτέραν τινὰ φύσιν, ἐξ ἧς ἅπαντας γίνεσθαι τοὺς οὐρανοὺς καὶ τοὺς ἐν αὐτοῖς κόσμους". Aliquanto post p. 9, 6, parte sup. legitur: „ἀλλὰ καὶ τῶν μίαν καὶ κινουμένην λεγόντων Ἀναξίμανδρος . . . ἄπειρόν τινα φύσιν ἄλλην οὖσαν τῶν τεσσάρων στοιχείων ἀρχὴν ἔθετο, ἧς τὴν ἀΐδιον κίνησιν αἰτίαν εἶναι τῆς τῶν ὄντων γενέσεως ἔλεγεν."

2) Ibid. 6, a post. m.: „δῆλον δὲ ὅτι τὴν εἰς ἄλληλα μεταβολὴν τῶν τεσσάρων στοιχείων οὗτος θεασάμενος οὐκ ἠξίωσεν ἕν τι τούτων ὑποκείμενον ποιῆσαι, ἀλλά τι ἄλλο παρὰ ταῦτα."

3) Postquam Simplicius p. 8 a fin. exposuit, eos, qui unum principium corporeum statuissent, hoc principium in ea posuisse re, quae cuique maximam et faciendi et patiendi vim habere videretur, p. 8, b, init. addit: „ὥσπερ καὶ Ἀναξίμανδρος, εἴπερ τὸ μεταξὺ διὰ τὸ εὐαλλοίωτον ὑποτίθεται." Quam rationem etiam loco proxime laudato indicavit. Hunc locum iam Fr. Lütze „Ueber das Apeiron Anax." p. 79 sq. recte Schleiermachero opponit.

ximandrum verum ad Diogenem Apolloniatem refert; sed haec res in huius disputationis fine explicabitur. Quod autem hoc loco conclusimus solum, id omnino confirmatur eo, quod Simplicius ipse postea in explicatione eius Aristotelis loci, quo is primum principium quoddam inter aerem et ignem medium memorat, certis verbis contendit, hoc idem principium ab Aristotele tum inter aerem et ignem, tum inter aerem et aquam medium dici[1]; quam rem certe non primum ex hoc Aristotelis loco didicit, sed cognitam attulit, quandoquidem hoc loco non nisi medium inter aerem et ignem, et tertio demum libro etiam medium inter aerem et aquam memoratur. Ac revera eum iam ante huius loci explicationem de natura illa media quaesivisse et ad quem philosophum referenda esset, cognitum habuisse, inde etiam colligendum est, quod iam ante illum locum, quo eum modo vidimus Anaximandri principium simpliciter *τὸ μεταξὺ* appellare, Nicolaum Damascenum, qui medium inter aerem et ignem tribuat Diogeni Apolloniatae, et e Diogenis ipsius libris et e Theophrasto refellit[2]. Itaque Simplicius statim in priore illa commentarii parte non solum *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* verum etiam *τὸ μεταξὺ* generaliter intellectum ad unum Anaximandrum refert et *τὸ μεταξὺ* alio referentes revincit.

---

1) Simplic. Phys. 32, a. m. (in Phys. I, 4. 187a 12): „*τινὲς δὲ ἄλλο τι τῶν τριῶν ὑπέθεντο, ὅ ἐστι πυρὸς μὲν πυκνότερον ἀέρος δὲ λεπτότερον, ἢ, ὡς ἐν ἄλλοις φησίν, ἀέρος μὲν πυκνότερον ὕδατος δὲ λεπτότερον.*“

2) Ibid. 6, a fin. et 6, b init.: „*καὶ ταῦτα μὲν Θεόφραστος ἱστορεῖ περὶ τοῦ Διογένους* (intell. principium eius esse aerem). *καὶ τὸ εἰς ἐμὲ ἐλθὸν αὐτοῦ σύγγραμμα περὶ φύσεως ἐπιγεγραμμένον ἀέρα σαφῶς λέγει τὸ ἐξ οὗ πάντα γίνεται τὰ ἄλλα. Νικόλαος μέντοι τοῦτον ἱστορεῖ μεταξὺ πυρὸς καὶ ἀέρος στοιχεῖον τίθεσθαι.*“ Postea 32, a post m. et 32. b, p. m., ubi eandem Damasceni sententiam refert, quam secutus Porphyrius quoque sit, eam diligentius etiam ex ipsius Diogenis libris refellit.

Iam pervenimus ad eum locum, qui explicationem continet eius Aristotelis loci, quo is primum principium inter aerem et ignem medium memorat. Qui quidem Simplicii locus propter ambiguam plurium verborum relationem in difficillimis est, ita ut sine diligentissima singularum partium interpretatione omnino non possit intellegi. Pendet autem haec loci ambiguitas ab ipso illo Aristotelis loco, quippe quo is ratione dicendi usus sit parum eleganti parumque ad sententiarum ordinem disposita; et idcirco explicari non potest, antequam ipse Aristotelis locus fuerit explicatus. Quare is locus accuratius postea demum explicari poterit, hicque, ut omnia Simplicii de Anaximandro testimonia in uno conspectu ponantur, summa tantum eius capita proponemus. Cum igitur illo Aristotelis loco ii, qui summum principium unum quoddam dicant corpus omnibus rebus subiectum, in duo dividantur genera, alterum eorum, qui id corpus unum e tribus elementis, alterum eorum, qui naturam quandam inter aerem et ignem mediam esse velint, Simplicius, de hoc posteriore genere disserens, primum ait, quod principium ab Aristotele hoc loco dicatur medium inter aerem et ignem, idem ab eo aliis locis inter aerem et aquam medium dici; et ipse continuo post '*ἄλλην τινὰ φύσιν σώματος παρὰ τὰ στοιχεῖα*' appellat, hoc vocabulum simpliciter in illorum priorum locum reponens[1]). Tum, de huius principii auctore quaerens, ab Alexandro hanc '*ἄλλην τινὰ σώματος φύσιν παρὰ τὰ στοιχεῖα*' (utitur enim hoc vocabulo) tribui dicit Anaximandro, Porphyrium autem, singulari quadam illius Aristotelis loci interpretatione utentem, ab Anaximandro putare principium dici corpus rebus subiectum

1) Simpl. Phys. 32, a. m. „*Τινὲς δὲ ἄλλο τι τῶν τριῶν ὑπέθεντο, ὅ ἐστι πυρὸς μὲν πυκνότερον ἀέρος δὲ λεπτότερον, ἢ ὡς ἐν ἄλλοις φησίν, ἀέρος μὲν πυκνότερον ὕδατος δὲ λεπτότερον*“. Vide etiam not. seq.

sine definitione speciei, 'τὸ μεταξὺ' vero (hoc enim vocabulum rursus reponitur) pariter atque Damascenum ad Diogenem Apolloniatem referre[1]). Quam ipse sequatur sententiam, verbis quidem non dicit, sed statim Porphyrii sententiam ab Alexandri sententia discrepantem refellit, ostendens, nec ab Anaximandro principium poni corpus rebus subiectum sine definitione speciei, nec τὸ μεταξὺ ad Diogenem pertinere, illud ex ipso illo Aristotelis loco, hoc ex ipsius Diogenis libris[2]). Itaque ex hoc etiam Simplicii loco primum id patet, eum utrumque τὸ μεταξύ et τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα unum idemque principium putare. Deinde, quod ad huius principii auctorem attinet, Schleiermacherus quidem putat, Simplicium hoc loco (intellegit autem eam disputationis partem, qua Porphyrii de Anaximandro sententia refutatur) ex ipsis Aristotelis verbis ostendere, τὸ μεταξὺ ad Anaximandrum non pertinere, id-

1) Ibid. continuo post verba in proxima adnotatione adscripta: „καὶ ὁ μὲν Ἀλέξανδρος Ἀναξίμανδρον οἴεται τὸν ἄλλην τινὰ φύσιν σώματος παρὰ τὰ στοιχεῖα τὴν ἀρχὴν ὑποθέμενον, ὁ μέντοι Πορφύριος, ὡς τοῦ Ἀριστοτέλους . . . ., σῶμα μὲν τὸ ὑποκείμενον ἀδιορίστως Ἀναξίμανδρον λέγειν φησὶν ἄπειρον, οὐ διορίσαντα τὸ εἶδος εἴτε πῦρ εἴτε ὕδωρ εἴτε ἀήρ· τὸ δὲ μεταξὺ καὶ αὐτὸς ὥσπερ Νικόλαος ὁ Δαμασκηνὸς εἰς Διογένην τὸν Ἀπολλωνιάδην ἀνέπεμψεν." Verba 'σῶμα τὸ ὑποκείμενον ἀδιορίστως λεγόμενον' non significant corpus, quod sua ipsius natura non definitum sit, — tale enim corpus omnino non est, — sed quod modo infinito ac sine speciei definitione dicatur; id quod ipse Simplicius aperte significat eo, quod ad verba 'ἀδιορίστως λέγειν' addit 'οὐ διορίσαντα τὸ εἶδος, εἴτε — εἴτε', quodque alio loco diligentius explicabitur.

2) Ibid. continuo post verba proxime laudata: „αὐτοφυέστερον δέ μοι δοκεῖ κτλ."; ipsa Simplicii verba alio loco, quo separatim de iis agendum erit, adscribemus; et postea 32, b, post m.: „ἐπειδὴ δὲ ἡ μὲν τῶν πλειόνων ἱστορία Διογένην. . . τὸν ἀέρα τίθεσθαι τὸ πρῶτον στοιχεῖόν φησι, Νικόλαος δὲ . . τοῦτον ἱστορεῖ τοῦτο τὸ μεταξὺ πυρὸς καὶ ἀέρος τὴν ἀρχὴν ἀποφήνασθαι . . ., ἰστέον κτλ."

que ostendentem Alexandri sententiam improbare[1]). At Simplicius apertissime illa disputationis parte id solum agit, ut Porphyrii de Anaximandri principio opinionem ostendat cum ipsis Aristotelis verbis prorsus pugnare; et licet illa disputatio videatur etiam ita intellegi posse, ut simul Alexandri sententia refellatur, postea tamen videbimus, hunc intellectum nec necessarium esse et ab universa Simplicii disputatione omnino dissentire. Nec ulla in hoc loco Simplicii cernitur de naturae mediae auctore incertitudo, ut Zellerus putat[2]). Quamquam enim hoc loco suam ipsius sententiam non certis verbis indicat, tamen inde, quod ipse omnibus locis antecedentibus unum Anaximandrum dixit eum, qui *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* et *τὸ μεταξὺ* principium poneret, eandem igitur ubique de huius principii auctore proposuit sententiam, quam hoc loco ab Alexandro proponi dicit, et quod Porphyrium ab Alexandro dissentientem data opera refellit, sine ulla dubitatione apparet, illam Alexandri sententiam eam esse, quam solam ipse probet.

His expositis nemini mirum videbitur, Simplicium in posteriore etiam eiusdem commentarii parte et in commentario in libros de Coelo *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα, τὸ μεταξὺ* et inter aerem et aquam et inter aerem et ignem, *τὸ μεταξὺ* simpliciter dictum, tamquam unam eandemque rem uni Anaximandro tribuere, cum iis locis, quibus Aristotelem his vocabulis utentem explicat, tum iis, quibus generaliores Aristotelis sententias ultro quasi ex historia philosophiae illustrat. Atque priorum quidem locorum unoquoque id vocabulum, quo Aristoteles utitur, simpliciter ad Anaximandrum refert; hunc enim ait eum esse, qui *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα,* ac rursus etiam eum, qui *τὸ μεταξὺ* inter aerem et aquam ponat

---

1) Schleiermacher, Werke III, 2, p. 180.

2) Zeller, Philosophie der Griechen, I, p. 189 ed. 3.

infinitum[1]): hunc eum, qui *τὸ μεταξὺ* inter aerem et aquam unum omnium rerum elementum statuat[2]). In explicatione autem eius Aristotelis loci, quo is Anaximandrum infinito suo immortalitatem et divinitatem tribuere dicit, hoc Anaximandri infinitum simpliciter *τὸ*

---

1) Simpl. Phys. 111, a, post. m. (in Aristot. Phys. III, 5. 204[b] 22 („*εἰ γάρ εἴη τι ἁπλοῦν* (*τὸ ἄπειρον σῶμα*), *ἢ ἕν τι τῶν τεσσάρων στοιχείων ἐστὶν ἢ ἄλλο τι παρὰ ταῦτα, ὡς λέγουσιν οἱ περὶ Ἀναξίμανδρον τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα, ἐξ οὗ τὰ στοιχεῖα γεννῶσιν· καὶ ὅτι μὲν οὐδὲν τῶν στοιχείων δύναται εἶναι τὸ ἄπειρον, δῆλον μὲν καὶ ἐξ ὧν Ἀναξίμανδρος, ἄπειρον εἶναι τὸ στοιχεῖον βουλόμενος, οὐκ ἀέρα ἢ πῦρ ἤ τι τῶν τεσσάρων στοιχείων ἐτίθετο αὐτό, διὰ τὸ ταῦτα ἔχειν πρὸς ἄλληλα ἐναντίως.*“ Eandem rationem etiam in generali de Anaximandro disputatione proposuit; vid. supra p. 115 not. 2; pariter eo loco, quem nota sequenti adferemus.

Ibid. 104, a fin. (in Aristot. Phys. III, 4. 302[b] 36), ubi generatim diversas de infinito sententias exponit, ait: „*συμβεβηκὸς δέ τινι τὸ ἄπειρον ἐποίουν οἱ πλεῖστοι τῶν φυσικῶν, οἱ μὲν ἀέρα ἄπειρον ὑποτίθεντες ὡς Ἀναξιμένης καὶ Διογένης, οἱ δὲ ὕδωρ, ὡς Θαλῆς, οἱ δὲ τὸ μεταξύ, ὡς Ἀναξίμανδρος*“. (Quoniam aer et aqua nominata sunt, *τὸ μεταξὺ* inter haec duo elementa intellegi potest; nihil autem impedit, quominus intellegatur generaliter.) Ibid. 105, b, post. m. (in Aristot. Phys. III, 4. 203[a] 16) „*οὗτοι οὖν οἱ φυσικοὶ . . . οὐκέτι ὡς οὐσίαν ἀλλ' ὡς συμβεβηκὸς ἔλεγον τὸ ἄπειρον· τούτων δὲ οἱ μὲν ἕν τι στοιχεῖον ὑποτίθεντες τοῦτο ἄπειρον ἔλεγον τῷ μεγέθει, ὥσπερ Θαλῆς μὲν ὕδωρ Ἀναξιμένης δὲ . . ἀέρα, Ἀναξίμανδρος δὲ τὸ μεταξύ.*“ Et paullo inferius: „*εἰπὼν δὲ* (*Ἀριστοτέλης*) *ὕδωρ ἢ ἀέρα . . . ἐπήγαγεν, ‘ἤ τι μεταξὺ τούτων’, τοῦ τε ὕδατος καὶ τοῦ ἀέρος, ὥσπερ Ἀναξίμανδρος ἐτίθετο.*“ Ibid. 111, a fin. (in Aristot. Phys. III, 5. 205[a] 25): „*οὐδεὶς γὰρ τούτων* (*τῶν φυσικῶν*) *ἢ πῦρ ἢ γῆν ἄπειρον εἶπε τὸ στοιχεῖον, ἀλλ' ὕδωρ, ὡς Θαλῆς, ἢ ἀέρα, ὡς Ἀναξιμένης, ἢ τὸ μεταξὺ ἐκείνων, ὡς Ἀναξίμανδρος.*“

2) Simpl. Comment. de Coel. 273[b] 38 ed. Carsten (in Aristot. Coel. III, 5. 303[b] 10): „*Ἀναξίμανδρος . .* (*τὸ στοιχεῖον ὑπέθετο*) *ἀόριστόν τι, ὕδατος μὲν λεπτότερον ἀέρος δὲ πυκνότερον, διότι τὸ ὑποκείμενον εὐφυὲς ἐχρῆν εἶναι πρὸς τὴν ἐφ' ἑκάτερα μετάβασιν.*“

μεταξὺ πυρὸς καὶ ἀέρος appellat[1]). Iis vero locis, quibus generaliores Aristotelis sententias e philosophiae historia illustrat et in hac re Anaximandri quoque mentionem facit, huius principium simpliciter dicit *τὸ μεταξὺ*, elementorum designatione non addita[2]).

---

1) Simplic. Phys. 107, a, fin. (in Aristot. Phys. III, 4. 203 b 7 sq.): „*θεῖον δὲ τὸ αἴτιον καὶ ὡς ἀρχὴν λέγουσι καὶ ὡς ἀγένητόν τε καὶ ἄφθαρτον· τοιοῦτον γὰρ Ἀναξίμανδρος τὸ μεταξὺ πυρὸς καὶ ἀέρος ἄπειρον ἀρχὴν ἐτίθει.*"

2) Simplic. Coel. 251 a 25 ed. Carsten (in Aristot. Coel. III, 1. 298 b 29, ubi is generaliter de physicis loquitur, qui ex una quadam natura omnibus subiecta reliqua generari dicant): „*τρίτον προστίθησι τὴν τῶν κυρίως φυσικῶν λεγομένων δόξαν, οἵτινες πάντα γίνεσθαι λέγοντες ἓν μόνον ἔφασκον ἀγένητον ὑπομένειν, ἐξ οὗ τὰ ἄλλα γίνεται καὶ εἰς ὃ ἀναλύεται, Θαλῆς μὲν ὕδωρ Ἀναξιμένης δὲ ἀέρα, Ἀναξίμανδρος τὸ μεταξὺ, πῦρ δὲ Ἡράκλειτος.*" Quo loco licet, quoniam proxime antecedunt vocabula ʻ*ὕδωρ* et *ἀήρ*, *τὸ μεταξὺ* inter aquam et aerem intellegi possit, tamen id nullo modo necessarium est. Ibid. 268 a 43 (in Aristot. III. 3. 302 a 19, ubi is eandem fere sententiam proponit): „*ἦσαν δέ τινες οἱ ἓν λέγοντες, Θαλῆς μὲν καὶ Ἵππων ὕδωρ, Ἀναξιμένης καὶ Διογένης ἀέρα, Ἡράκλειτος πῦρ, καὶ τὸ μεταξὺ Ἀναξίμανδρος.*" Quo loco *τὸ μεταξὺ* generaliter tantum potest intellegi.

Phys. 295, b, part. inf. (in Aristot. Phys. VIII, 7. 260 b 7, ubi is contendit, eum motum, qui loci mutatione contineatur, omnibus motus generibus priorem esse, ad hancque rem demonstrandam dicit, adfectiones materiae omnium primas esse condensationem et rarefactionem, has autem consistere in concretione et discretione, quae non fiant sine mutatione loci, a concretione et discretione autem omnes rerum generationes et interitus repeti; quam sententiam Simplic. sic explicat): „*εἴτε γὰρ σύγκρισις καὶ διάκρισίς ἐστιν* (huic ʻ*εἴτε κτλ.*ʼ initio sequentis sententiae respondet ʻ*εἴτε καὶ κατ' ἀλλοίωσιν κτλ.*ʼ) *ἡ γένεσις καὶ φθορά, ὡς ἤρεσκε Δημοκρίτῳ τὲ καὶ Ἀναξαγόρᾳ καὶ Ἐμπεδοκλεῖ, καὶ ὅσοι* [*καὶ* videtur delendum esse] *τὰ πρῶτα σώματα ἀπαθῆ ὑποθέμενοι τελέως ἐκ τούτων ἐγέννων τἆλλα, ἢ ὡς οἱ* [sic pro ʻ*ἢ ὅσοι*ʼ videtur legendum esse] *ἓν ὑποθέμενοι τὸ στοιχεῖον, ὥσπερ Ἀναξίμανδρος τὸ μεταξύ, πυκνούμενον τοῦτο*

Unus tantum restat locus ab omnibus prioribus diversus, qui pertinet ad eum Aristotelis locum, quo solo is memorat naturam inter aquam et ignem mediam[1]). In huius igitur loci explicatione Simplicius pro eo, quod ab Aristotele, dicitur *μεταξὺ ὕδατος καὶ πυρός*, simpliciter dicit '*τὸ μεταξύ*' nulla elementorum designatione addita, quod idem a Themistio quoque vidimus fieri, hocque non ad Anaximandrum sed ad Diogenem Apolloniatem refert. Sed num haec revera potest Simplicii sententia esse? num credibile est, eum, qui non solum reliquis locis omnibus, et iis, qui antecedunt hunc locum et qui eum sequuntur, *τὸ μεταξὺ* ad unum Anaximandrum rettulerit, verum etiam duobus locis antegressis dedita opera et e Theophrasto et ex ipsius Diogenis scriptis demonstraverit, Diogenis principium aerem, nec vero *τὸ μεταξὺ* esse, num, inquam, credibile est, hunc eundem eo tempore, cum hunc locum scriberet, *τὸ μεταξὺ* putavisse ad Diogenem pertinere, paullo autem post hanc opinionem rursus deposuisse? Hoc igitur si incredibile est, nihil restat, nisi ut ille ipse locus credatur aliquo vitio adfectus esse. Atque ego quidem censeo, cum iste locus nunc sic legatur: „*ὡς Θαλῆς μὲν ὕδωρ . . . Ἀναξιμένης δὲ ἀέρα, Διογένης δὲ τὸ μεταξύ*“, Simplicium

---

καὶ μανούμενον τὰ ἄλλα ἀποδιδόναι φασίν [sic scribendum pro *φησίν*], *αὐτόθεν ἀληθὲς τὸ λεγόμενον.*“ Locus aperte corruptus sine librorum auxilio non certo emendari potest; quae ausi sumus mutare, certe loci sententiae omnino respondent. Quod Simplicius Anaximandro h. l. tribuere videtur condensationem et rarefactionem, quem generationis modum aliis locis ab eo abiudicat, id alio loco accuratius explicabitur.

1) Phys. I, 6. 189^{b} 2: de quo loco supra p. 64, 2 et 115 diximus.

2) Simpl. Phys. 44, a, part. inf.: „*οἱ μίαν φύσιν ὑποτίθεντες τοῖς ἐναντίοις, δι' ἣν ἓν τὸ πᾶν ἔλεγον, ἐκ ταύτης γεννῶσι τὰ πάντα, ὡς Θαλῆς μὲν ὕδωρ, Ἡράκλειτος δὲ πῦρ, Ἀναξιμένης δὲ ἀέρα, Διογένης δὲ τὸ μεταξύ.*“ Suspicor Simplicium scripsisse: „— *Ἀναξιμένης δὲ ἀέρα καὶ Διογένης, Ἀναξίμανδρος δὲ τὸ μεταξύ*“.

ipsum scripsisse: „Ἀναξιμένης δὲ ἀέρα καὶ Διογένης, Ἀναξίμανδρος δὲ τὸ μεταξύ“, — solet enim, ut e locis iam allatis apparet, in aere memorando Anaximenem et Diogenem coniungere — postea autem imprudentia alicuius librarii, qui illam Diogenis cum Anaximene coniunctionem non animadvertisset, Anaximandri nomen excidisse in eiusque locum successisse Diogenem[1]). Si hoc non conceditur, ille locus ita erit explicandus, ut sumamus, Simplicium reliquis locis, quibus τὸ μεταξὺ Anaximandro tribuit a Diogene vero abiudicavit, intellexisse tantum τὸ μεταξὺ inter aerem et ignem et inter aerem et aquam (nominatim illud solum ostendit non ad Diogenem pertinere, quod id solum ei a Damasceno tributum erat), hoc autem loco non intellegere nisi τὸ μεταξὺ inter aquam et ignem, quod a solo Aristotele memoratum sit. Quaerentem igitur de huius medii auctore apud veteres quidem scriptores de hac re nihil invenisse traditum. Reputantem autem, in elementorum ordine aerem revera inter aquam et ignem medium esse, ipsum coniecisse, τὸ μεταξὺ ὕδατος καὶ πυρὸς hoc uno loco ab Aristotele memoratum nihil aliud intellegi nisi aerem. Qua autem ratione ductus ad Diogenem potius quam ad Anaximenem rettulerit, non facile quisquam dixerit. Sed fateor, mihi ipsi hanc loci explicationem improbabilem et priorem solam veram videri.

Denique unus est locus, quo, si sanus est, Anaximander ita cum Anaxagora componitur, ut pariter atque hic ipsam generationem tollere et non nisi rerum mixtarum secretionem statuere dicatur. Sed hoc loco Anaximandri nomen sine dubio librarii cuiusdam sive inscitia sive neglegentia invectum est; id quod in adnotatione subiecta probabitur[2]).

---

1) Cf. adnot. sq.

2) Simpl. Phys. 51, b p. inf. (in Aristot. Phys. I, 8. 191ª 23 sq., ubi antiquiorum philosophorum aliqui esse dicuntur, qui generationem tollant): „οὐ περὶ πάντων (τῶν κατὰ φιλοσοφίαν πρώ-

10. Transgredimur ad Ioannem Philoponum, qui et saepissime omnium et accuratissime de Anaximandri

---

των) λέγει νῦν, ἀλλὰ περὶ ἐκείνων, ὅσοι γένεσιν ἀνήρουν· διῄρηνται δὲ οὗτοι διχῇ μᾶλλον δὲ τριχῇ· οἱ μὲν γὰρ αὐτῶν ἓν τὸ ὂν ἔλεγον καὶ ἀγένητον τοῦτο· οἱ δὲ πολλὰ μὲν ἐνυπάρχοντα δὲ ἐκκρίνεσθαι ἔλεγον, τὴν γένεσιν ἀναιροῦντες, ὡς Ἀναξίμανδρος καὶ Ἀναξαγόρας· οἱ δὲ συγκρίσει καὶ διακρίσει τὴν γένεσιν τῶν πρώτων στοιχείων, (aptius legatur — διακρίσει τῶν πρώτων στοιχείων τὴν γένεσιν) ἐποίουν ὡς Δημόκριτος καὶ Ἐμπεδοκλῆς." Hoc igitur loco Anaximandri nomen non ab ipso Simplicio profectum sed a librario quodam additum esse, indubiis, opinor, rationibus probatur. Primum Simplicius aliis locis, quibus de eadem re loquitur, Anaximandrum iis, qui ipsam generationem tollant et non nisi rerum mixtarum secretionem aut rerum per se constantium concretionem et discretionem ponant, ac nominatim quidem ipsi Anaxagorae, aperte opponit et in iis numerat, qui generationem esse statuant. Coel. 91 b 41 Carsten: „καὶ μέντοι διὰ ταύτην τὴν διαφωνίαν οἱ μὲν ἀναιροῦσι τὴν γένεσιν, ἐν διακρίσει πάντα ὑφίστασθαι λέγοντες, ὥσπερ Ἀναξαγόρας, οἱ δὲ ἐξ ἑνὸς πάντα γίνεσθαι λέγουσι κατ' εὐθεῖαν, ὡς Ἀναξίμανδρος καὶ Ἀναξιμένης, οἱ δὲ καὶ γένεσιν εἶναι λέγουσι καὶ ἐξ ἀλλήλων τὴν γένεσιν ποιοῦσιν." Ibid. 251 a 25 sq.: „τρίτον προστίθησι τὴν τῶν κυρίως φυσικῶν λεγομένων δόξαν, οἵτινες πάντα γίνεσθαι λέγοντες ἓν μόνον ἔφασκον ἀγένητον ὑπομένειν, ἐξ οὗ τὰ ἄλλα γίνεται καὶ εἰς ὃ ἀναλύεται, Θαλῆς μὲν ὕδωρ, Ἀναξιμένης δὲ ἀέρα, Ἀναξίμανδρος τὸ μεταξύ, πῦρ δὲ Ἡράκλειτος." Cf. supr. p. 121 not. 2. Num credibile est, Simplicium de re tam insigni tamque ad intellegendum facili sententias protulisse ita prorsus inter se pugnantes? Deinde iam ante hunc locum vituperavit Theophrastum, quod quadam vi Anaxagoram ad Anaximandrum reducere studeret; Phys. p. 33, a, post m.: „καὶ Θεόφραστος δὲ τὸν Ἀναξαγόραν εἰς τὸν Ἀναξίμανδρον συνωθῶν κτλ." Num credibile est, ipsum haud multo post Anaximandro eandem atque Anaxagorae sententiam tribuisse? Denique alio loco, quo de iis loquitur, qui mundi originem aut a rerum mixtarum secretione aut a rerum per se constantium concretione et discretione repetant, in illis solum Anaxagoram, in his Empedoclem et Democritum nominat, qui tres philosophi nostro quoque loco in eadem re nominantur, Anaximandrum autem omittit.

principio loquitur. Namque tredecim locis commentarii in quattuor priores Aristotelis libros physicos et septem locis commentarii in eiusdem libros de Generatione et Corruptione hoc principium tum brevius memorat tum diligentius explicat; ubique autem ita de eo loquitur, ut appareat, eum antequam illos commentarios scriberet, certam eius in mente informatam habuisse notionem, quam constanter sequitur. Sunt autem, quae a Philopono dicuntur, ad nostram quaestionem maximi momenti; namque non solum

---

Phys. 257, 6, circa m. (in Aristot. Phys. VIII, 1, init. ubi Aristoteles ait, physicos, qui mundum gignant, hac ipsa re aliquod motus genus ponere): „— *οὕτω γὰρ Δημόκριτος κοσμοποιεῖ καὶ Ἐμπεδοκλῆς καὶ Ἀραξαγόρας, οἱ μὲν συγκρίνεσθαι, καὶ διακρίνεσθαι τὰ ἄτομα σώματα καὶ τὰ τέσσαρα στοιχεῖα λέγοντες, Ἀναξαγόρας δὲ ἐκκρίνεσθαι τὰς ὁμοιομερείας ἀπὸ μίγματος λέγων.*“ Saepius autem in Simplicii libris a librariis maxime in philosophorum nominibus aut omittendis aut addendis aut mutandis erratum esse, pluribus exemplis ostenditur. Unum exemplum paullo ante cognovimus. Aliud exemplum nunc recordor inveniri Phys. p. 41, a, med. Hoc enim loco cum quaeratur, quis *τὸ ξηρὸν καὶ ὑγρὸν* principium posuerit, haec leguntur: „*ὁ μέντοι Πορφύριος οἰκειότερον εἰς Ἀναξιμένην τὴν δόξαν ἀνέπεμψε ταύτην εἰπόντα κτλ.*“, ubi Xenophanem scribendum esse et res ipsa et verborum sequentium forma epica docet. Cf. Mullach frgm. phil. Gr. p. 103, 10. In Dielsii cod. F. verba ‘ *ὡς Ἀναξίμ. καὶ Ἀναξαγ.* omnino desunt, idque fortasse unum probandum est.

Primis duobus, quos attulimus, Simplicii locis prorsus refellitur etiam ea nostri loci explicatio, quam Lütze (l. l. p. 75) proponit, qui putat, Anaximandrum exemplum poni primi philosophorum generis, eorum, qui *ἓν τὸ ὂν καὶ τοῦτο ἀγένητον* esse velint. Hi enim a Simplicio dicuntur primum genus eorum, qui generationem esse negent; Anaximander vero ab eo duobus illis locis in iis numeratur, qui generationem esse adfirment. Sed his omissis illa explicatio eo etiam reprobatur, quod propter ipsam orationis formam Anaximander naturaliter certe ad primos illos philosophos referri non potest, quodque, si posse concedatur, id obstat, quod illi philosophi, ut ex Aristotele patet, aperte intelleguntur Eleatae.

ea, quae e priorum Aristotelis interpretum testimoniis cognovimus, omnino confirmant, verum etiam magna ex parte in clariore luce ponunt. Quare, cum tota eius sententia hucusque a nemine explicata sit et pauci tantum loci sine delectu adhibiti, necessarium videtur, omnes eius locos adferre ex hisque universam eius sententiam colligere. In qua re facienda eum cecessario accidat, ut eodem loco saepius utendum sit, ne eundem saepius etiam cogamur adscribere, ex usu visum est, primum ipsos locos certo quodam ordine proponere. Dividendi autem omnes Philoponi loci, pariter atque Simplicii. in duas partes sunt, alteram eorum, qui toti versantur in explicandis talibus Aristotelis locis, quibus is *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* vel *τὸ μεταξὺ* aperte memorat, alteram eorum, quibus ipse non ulla explicandi necessitate sed sua sponte atque solum historiae caussa de Anaximandri doctrina disserit.

Atque posteriorum quidem locorum copiosissimus est is, qui legitur in commentario in Aristotelis Phys. I, 2, quo loco Philoponus, pariter atque Simplicius in suo in eundem Aristotelis locum commentario, generali quadam disputatione omnium veterum philosophorum principia exponit; qui propterea etiam prae reliquis omnibus gravis est, quia sine dubio tempore quoque eos praecedit. Locum ipsum simul cum duobus locis e commentario in libros de Generatione et Corruptione adnotationis modo adscripsimus[1]).

---

1) a. Philop. in Aristot. Phys. I, 2. 184b 15 (edit. Venet. 1535, in qua paginarum numeri desunt): „*μίαν δὲ καὶ κινουμένην καὶ ἄπειρον ὑπέθεντο οἵ τε τὸν ἀέρα ὑποτιθέμενοι καὶ οἱ τὸ μεταξὺ ἀέρος καὶ ὕδατος ἢ πυρὸς καὶ ἀέρος. Διογένης μὲν οὖν ὁ Ἀπολλωνιάτης καὶ Ἀναξιμένης τὸν ἀέρα ὑπέθεντο τὴν ἀρχὴν εἶναι· . . . Ἀναξίμανδρος δὲ τὸ μεταξὺ ἢ ἀέρος καὶ ὕδατος ἢ πυρὸς καὶ ἀέρος. ἐπεὶ γὰρ ἐν τῇ μεταβολῇ τῇ ἐξ ὕδατος εἰς ἀέρα οὐκ ἀμέσως γίνεται ἡ μετάβασις* (haec explicatio est Philoponi), . . . *τὸ μεταξὺ τοῦτο ἔλεγεν εἶναι τὴν ἀρχήν, ὅπερ ἀέρος μέν ἐστι πυκνό-*

Priores loci tripartiti sunt. Primi sunt ii, qui pertinent ad celebrem illum Physicorum locum, quo Aristoteles primum physicos, qui summum rerum principium unum dicant corpus omnibus rebus subiectum, in duo dividit genera, eos, qui id corpus unum e tribus elementis, et eos, qui corpus quoddam inter aerem et ignem medium esse velint. Loci ipsi eo ordine, quo apud Philoponum sequuntur, in adnotatione adscripti sunt[1]). Alteri inveniuntur in ea eius-

---

τερον ὕδατος δὲ μανότερον, ἢ πυρὸς μὲν πυκνότερον ἀέρος δὲ μανότερον. οὗτος δὲ τῶν μὲν ἄλλων μᾶλλον καθώρθου, διότι μὴ ἕν τι τῶν στοιχείων τὴν ὕλην ἔλεγεν, ἀλλ' ἕτερόν τι παρὰ ταῦτα, ἔπταιε δέ, διότι εἰδοπεποιημένον ὑπετίθετο, ἀέρος μὲν πυκνότερον λέγων ὕδατος δὲ μανότερον."

b. Comment. Gen. Corr. 3 a, post m. (in Aristot. I, 1. 314a 18): „εἰσὶ δὲ καὶ οἱ ἓν τὸ ὑποκείμενον ποιοῦντες, ὡς Θαλῆς μὲν τὸ ὕδωρ, Ἀναξιμένης καὶ Διογένης τὸν ἀέρα, Ἀναξίμανδρος δὲ τὴν μεταξὺ φύσιν ἀέρος καὶ ὕδατος, Ἡράκλειτος δὲ τὸ πῦρ." Aristoteles ipse non iam in hoc, sed in altero demum libro τὸ μεταξὺ, atque primum quidem τὸ μεταξὺ ἀέρος καὶ πυρὸς memorat.

c. Ibid. 19, a, fin. (in Aristot. I, 8. 322a 1) „— τὸ ἓν τοῦτο (λέγουσιν) ἢ τῶν τεσσάρων τι εἶναι, ἢ ἄλλο τι παρὰ ταῦτα."

1) Quae e Philoponi commentario in Aristot. Phys. I, 4 187a 12 sq. ad nostram caussam pertinent, sunt haecce:

a. „μέτεισιν ἐπὶ τὸν τῶν φυσικῶν ἔλεγχον καί φησιν . . . ὡς δὲ οἱ φυσικοὶ λέγουσιν ἓν τὸ ὄν, (λέγουσι δὲ οὐ τῷ πάντα ἓν εἶναι, ἀλλὰ τῷ μίαν πάντων ἀρχὴν ὑποτίθεσθαι· μίαν δὲ πάντων ἀρχὴν ὑποτίθεται Ἡράκλειτος μὲν τὸ πῦρ, Ἀναξιμένης δὲ τὸν ἀέρα, Θαλῆς δὲ τὸ ὕδωρ, Ἀναξίμανδρος δὲ τὸ μεταξύ) τούτων δὲ διττοί εἰσιν οἱ τρόποι· οἱ μὲν γὰρ αὐτῶν πυκνώσει καὶ μανώσει τοῦ κατ' αὐτοὺς στοιχείου, οἷον ὁ Θαλῆς [lege Ἀναξιμένης] τὸν ἀέρα, . . . Ἀναξίμανδρος δὲ τὸ μεταξὺ πυρὸς καὶ ἀέρος ἢ ἀέρος καὶ ὕδατος λέγων στοιχεῖον, τὰ ἄλλα ἐκ τούτου ἐκκρίνεσθαι ἔλεγεν. ἐνυπάρχειν γὰρ ἐν τούτῳ ἀπείρῳ ὄντι τὰς ἐναντιότητας, εἶτα ἐκκρινομένας [sic legendum pro ἐκκρινόμενος] ἐξ αὐτοῦ ποιεῖν τὰ λοιπά. οἱ μὲν οὖν πυκνώσει καὶ μανώσει λέγοντες ἀλλοιώσει τοῦ κατ' αὐτοὺς στοιχείου γεννῶσι τὰ ἄλλα, . . . Ἀναξίμανδρος δὲ οὐκ ἀλλοιώσει τοῦ μεταξὺ γεννᾷ τὰ ἄλλα, ἀλλ' ἐκκρίσει ἐνυπαρχόντων ἐν αὐτῷ."

dem commentarii parte, quae pertinet ad Aristotelis disputationem de infinito, in qua is, de physicis dicens, qui corpus omnibus rebus subiectum velint infinitum esse, saepius eorum mentionem facit, qui *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* vel *τὸ μεταξὺ ἀέρος καὶ ὕδατος* infinitum ponant. Singulos locos rursus ordine dispositos adnotavimus[1]. Tertii le-

---

b. Triginta quinque versibus interiectis Philoponus sic pergit: „*ὃν τρόπον οὖν, φησίν, οἱ περὶ Ἀναξαγόραν καὶ Ἐμπεδοκλέα ἐκκρίσει τὴν γένεσιν γίνεσθαι λέγουσιν, οὕτω καὶ Ἀναξίμανδρος [λέγει] ἐκ τοῦ κατ' αὐτὸν στοιχείου, ὅπερ ἐστὶ τὸ μεταξὺ πυρὸς καὶ ἀέρος ἢ ἀέρος καὶ ὕδατος, ἀπείρου ὄντος καὶ πάντα ἐν ἑαυτῷ περιέχοντος, τὰ ἄλλα γίνεσθαι, μᾶλλον δὲ ἐκκρίνεσθαι, τὴν γένεσιν οὐδὲν εἶναι [λέγων] ἄλλο ἢ ἔκκρισιν καὶ ἔκφανσιν· καὶ δῆλον ὅτι ταῦτα λέγων ὁ Ἀναξίμανδρος αὐτὸς τὰς ἑαυτοῦ θέσεις ἀνῄρει· οὐ γὰρ ἔτι μία ἡ κοινὴ τῶν πάντων ἀρχὴ τὸ μεταξύ . . .*“

c. Tum rursus inferius: „*οἱ μὲν τῶν φυσικῶν ποιήσαντες, φησίν, ἓν τὸ πᾶν, τουτέστι, μίαν ἀρχὴν πάντων καὶ [ἓν] τὸ ὑποκείμενον ποιήσαντες, καὶ τοῦτο οὐκ ἀσώματόν τι ἀλλὰ σῶμα κατ' ἐνέργειαν, καὶ σῶμα ἢ ἓν τῶν τριῶν στοιχείων, πυρὸς ἀέρος ὕδατος, ἢ ἄλλο τι παρὰ ταῦτα μεταξὺ τούτων, οἷον ὑπέθετο Ἀναξίμανδρος, τὰ ἄλλα σώματα γεννῶσιν ἐκ τοῦ αὐτοῦ στοιχείου πυκνουμένου ἢ μανουμένου.*“

d. Denique in 187ᵃ 20: „*οἱ δ' ἐκ τοῦ ἑνὸς ἐνούσας τὰς ἐναντιότητας ἐκκρίνουσιν, οἷος ἦν Ἀναξίμανδρος· ἐνυπάρχειν γὰρ ἔλεγεν ἐν τῷ μεταξύ, ὅπερ ἦν κατ' αὐτὸν στοιχεῖον, τὰ ἐναντία κατ' ἐνέργειαν.*“

1) E commentario in Phys. III, 4 et 5 hi adferendi sunt loci:

a. In III, 4. 202ᵇ 30, ubi Aristoteles disputationem de infinito incipit, Philoponus, postquam duas esse dixit de infinito sententias, alteram eorum, qui „*αὐτοουσίαν τινὰ τοῦ ἀπείρου*“ statuerent, alteram eorum, qui infinitati aliam quandam naturam subicerent, quae quidem physicorum esset sententia, de hisce ait: „*ἄλλο μὲν γάρ τι εἶναί φασι τὴν καθ' αὐτὴν ἀρχήν, οἷον ἀέρα ἢ πῦρ ἢ τῶν ἄλλων τι, ἢ πάντα ταῦτα, ἤ τινα, ἢ τὸ μεταξὺ τούτων.*“ Auctoris nomen non additur.

b. In 203ᵃ 16, ubi Aristoteles physicos dicit infinito subicere aut unum ex elementis, aquam videlicet vel aerem, aut *τὸ μεταξὺ τούτων*, ait: „*ἀρχὴ γὰρ ἑκάστῳ καθ' αὐτὸ ἄλλο, ἤτοι ὁ ἀὴρ ἢ τὸ*

guntur in commentario in alterum de Generatione et Corruptione librum, cuius capite primo et quinto Aristoteles

---

ὕδωρ ἢ ἕτερόν τι', pro Aristotelis 'τὸ μεταξὺ' simpliciter reponens 'ἕτερόν τι', sine auctoris nomine. Loco haud multo post sequenti (in 203ª 34 sq.) rursus de iis loquitur, qui τὸ μεταξὺ ponant infinitum, pariter auctoris nomine omisso.

c. In 203ᵇ 11, ubi Aristoteles ait infinitum ab iis, qui praeter id ipsum nullum aliud principium ponant, dici 'περιέχειν ἅπαντα κτλ.': „οὗτοι, ἣν ὑπέθεντο ὕλην εἶναι τῶν πάντων, ἄπειρόν τε αὐτὴν ὑπέθεντο τῷ μεγέθει καὶ ἀγένητον καὶ ἄφθαρτον, καὶ ταύτην εἶναι τὸ θεῖον, . . . ὅπερ Ἀναξιμένης μὲν τὸν ἀέρα εἶναι ἔλεγε, Θαλῆς δὲ τὸ ὕδωρ, Ἀναξίμανδρος δὲ τὸ μεταξύ, καὶ ἄλλος ἄλλο."

d. In III, 5. 204ᵇ 4 sq., quo loco Aristoteles nullum corpus posse infinitum esse demonstrat, Philoponus circa disputationis finem haec habet: „μήποτε οὖν ἁπλοῦν ἐστι (σῶμα ἄπειρον). ἀλλὰ καὶ τοῦτο ἀδύνατον. εἰ γὰρ ἁπλοῦν ἐστι τὸ ἄπειρον σῶμα, ἢ ἕν τι τούτων ἐστὶ στοιχείων, οἷον ἀὴρ ἢ ὕδωρ ἢ τῶν ἄλλων τι, ἢ ἕτερόν τι παρὰ ταῦτα ἄπειρον, οἷον ἔλεγε τὸ μεταξὺ εἶναι Ἀναξίμανδρος." Eadem fere verba repetit in 204ᵇ 22, quo loco Aristoteles separatim ostendit, nullum corpus simplex posse infinitum esse et in corporibus simplicibus etiam τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα memorat; ait enim: „ἀλλὰ μὴν οὐδὲ ἓν καὶ ἁπλοῦν εἶναι τὸ ἄπειρον σῶμα ἐνδέχεται, . . . οὔτε ἕν τι τῶν στοιχείων οὔτε τὸ μεταξὺ τούτων (Aristoteles dixit 'τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα'), ὥσπερ Ἀναξίμανδρος ἔλεγεν."

e) In 204ᵇ 24, quo loco Aristoteles breviter adfert rationem, qua, qui τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα posuerint infinitum, ad hanc sententiam adducti sint, ait: „Ἀναξίμανδρος, δεῖν μὲν οἰόμενος ἄπειρον εἶναι τὴν ἀρχὴν διὰ τὴν ἀειγενεσίαν, ἵνα μὴ ἐπιλείπῃ, . . . συνωρακὼς δέ, ὅτι, ἐν τοῖς τέτταρσι στοιχείοις οὔσης τινὸς ἐναντιώσεως πρὸς τὰ λοιπά, εἰ ὑποθῆται ἓν αὐτῶν εἶναι τὴν ἀρχήν, . . . ἄπειρος οὖσα φθείρει τὰ λοιπά, ἀπείρου οὔσης τῆς ἐν αὐτῇ δυνάμεως, οὐδὲν μὲν τούτων ὑπέθετο εἶναι τὴν ἀρχήν, ἕτερον δὲ εἶναι παρὰ ταῦτα τὴν ἀρχήν, ἐξ οὗ καὶ τὰ στοιχεῖα καὶ τὰ λοιπὰ τὴν γένεσιν ἔχει· τοῦτο δὲ τὸ μεταξύ πως εἶναι αὐτῶν ὑπέθετο, ἵνα τῇ πρὸς τὰ ἐναντία κοινωνίᾳ σώζηται μᾶλλον τὰ λοιπὰ τὴν γένεσιν ἔχοντα ἢ φθείρηται ὑπὸ τῆς ἐν αὐτῷ ἀπείρου δυνάμεως."

f. In 204ᵇ 4, paullo post verba, quae antea (in particula d) lau-

et memorat et dedita opera refutat eorum opinionem, qui *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* vel *τὸ μεταξὺ* unam omnium corporum materiam statuant; quos ipsos quoque locos in adnotatione attulimus[1]).

---

davimus, ostendit, '*σῶμά τι ἕτερον τῶν στοιχείων μεταξὺ αὐτῶν ὄν*' (Aristoteles 204^b 32 in eadem demonstratione vocabulo utitur '*τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα*') omnino non esse, quoniam, si esset, sensibus apparere deberet, huius rei rationem adferens, quod „*οὗτοι ἐνεργείᾳ φασὶν εἶναι τὸ μεταξύ.*" Inferius, in 204^b 35, eandem demonstrationem repetens, ait: „*Ἀναξίμανδρον μέντοι ἐνεργείᾳ ὑφίστασθαι λέγοντα καθ' αὑτὸ τὸ ἄπειρον σῶμα, κτλ.*"

g. Denique in 204^b 35 sq. totam Aristotelis disputationem breviter repetens, demonstratum esse dicit, nec ullum elementum posse infinitum esse nec „*τὸ μεταξύ, ὥσπερ Ἀναξίμανδρος ἔλεγεν.*"

1) a. Philop. Comment. Gen. et Corr. 46, a, m. (in Aristot. II, 1. 328^b 33): *οἱ μὲν γὰρ ἕν τι αὐτῶν ὑπέθεντο ἀρχὴν τῶν σωμάτων, ὥσπερ πῦρ μὲν Ἡράκλειτος, . . . Ἀναξίμανδρος δὲ ἄλλο τι παρὰ τὰ τέσσαρα στοιχεῖα ὑπέθετο τῶν ὄντων ἀρχήν· ἐπειδὴ δὲ ὁ Ἀναξίμανδρος ἐδύνατο, τὴν ὕλην ὀρθῶς ὑποθέμενος ἀρχὴν τῶν σωμάτων, μεταξὺ αὐτὴν λέγειν τῶν στοιχείων ὡς ὑποκείμενον αὐτοῖς, — οὕτω γὰρ κατὰ τὸ τρίτον σχῆμα μέσον ὅρον ὀνομάζομεν τὸν μηδετέρῳ τῶν ἄκρων ὄντα τὸν αὐτόν, ἀμφοτέροις δὲ ὑποκείμενον.— δεικνὺς ὁ Ἀριστοτέλης, ὅτι οὐ κατὰ ταύτην τὴν ἔννοιαν ὑπέθετο, ἀλλὰ τὸ μεταξὺ γῆς ἢ πυρὸς καὶ ὕδατος καὶ ἀέρος, προσέθηκε 'σῶμα ὂν καὶ χωριστόν'· ἀδύνατον δὲ παρὰ τὰ τέσσαρα ἄλλο τι σῶμα ἁπλοῦν ὑποθέσθαι ὑφεστηκός, ἐφεξῆς δείκνυσιν.*" In verbis '*ἔθετο τὸ μεταξὺ γῆς ἢ πυρὸς καὶ ὕδατος καὶ ἀέρος*' mirum videri potest, quod vocabula *γῆς* et *πυρὸς* particula *ἢ* disiunguntur tumque eorum utrumque particula *καὶ* cum reliquis vocabulis coniungitur; suspicari possis, *ἢ* mutandum esse in *καί*, ita ut simpliciter dicatur '*τὸ μεταξὺ τῶν στοιχείων*' sine designatione certorum elementorum, qua dicendi ratione Philoponus saepius utitur; cf. not. anteced. a; d; e; f. Sed nulla mutatione opus est. Namque Philoponi, ut postea apparebit, sententia ea est, in Anaximandro ambiguum esse, utrum eius principium medium dicendum sit inter aquam

Iam si hosce locos inter se comparamus, protinus patet, Philoponum etiam *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* et *τὸ μεταξὺ* omne unam eandemque rem intellegere hancque uni tribuere Anaximandro. Namque hunc unum in genere eorum, qui summum principium esse velint simplex quoddam corpus omnibus rebus subiectum, iis opponit, qui id corpus statuant unum ex elementis esse, eiusque principium ita

---

et aerem an inter ignem et aerem. Cum hac autem eius sententia illa verba, ut scripta sunt, consentiunt, quippe quorum haec esse possit sententia, Anaximandri principium medium esse aut inter terram aquamque et aerem, aut inter ignem et aerem aquamque.

b. Ibid. 46, 6, part. sup. (in Aristot. 329ᵃ 8) „*οἱ δὲ ἄλλο τι παρὰ ταῦτα* (*ποιοῦντες*), *ὥσπερ Ἀναξίμανδρος. ἐλέγχει δὲ αὐτὸν οὐχ ὡς ἄλλο τι παρὰ τὰ τέσσαρα στοιχεῖα ὕλην ὑποθέμενον· ταύτῃ γὰρ ἐδύνατο λέγειν ὀρθῶς, εἴπερ ἀσώματον αὐτὴν καὶ ἀνείδεον ἔφασκεν· ἀλλ' ἐλέγχει, διότι σῶμα αὐτὸ ὑπέθετο χωριστόν· δείξας δὲ ὅτι, εἰ σῶμα ἐστὶν ὑφεστηκός, ἣν ὑποτίθεται ὕλην Ἀναξίμανδρος κτλ.*"

c. Ibid. 53, a, part. sup. (in Aristot. II, 5. 332ᵃ 3, quo loco Aristoteles in universum omnes refellit, qui unum quoddam corpus omnium rerum materiam ponant) ait, Aristotelem in praecedentibus (respicit 329ᵃ 8, quem locum nota antecedenti laudavimus) „*μόνην τὴν Ἀναξιμάνδρου* [*δόξαν*] *ἐπὶ βραχὺ*" refutavisse, nunc autem eum refutare et eos, qui unum ex elementis omnium rerum materiam ponant, et eos, qui „*ἑτέραν οὖσαν τῶν τεσσάρων στοιχείων, ὡς Ἀναξίμανδρος ἔλεγεν.*"

d. Ibid. 53, 6, fin. et 54, a, part. sup. (in Aristot. 332ᵃ 20; vid. supra p. 66 not. 1) „*τρέπεται ἐνταῦθα πρὸς τὴν τοῦ Ἀναξιμάνδρου δόξαν ὑποτιθεμένην σῶμά τι ὑφεστὸς μέσον ἀέρος καὶ πυρὸς ἢ ὕδατος καὶ ἀέρος, ἣν ἤλεγξε μὲν καὶ πρῶτον* (respicitur iterum 329ᵃ 8). . . . *τὸ οὖν μεταξύ φησι κατὰ Ἀναξίμανδρον, εἰ, ὑφεστηκὸς ὂν σῶμα, ὑπομένει, κτλ.*"

e. Ibid. 54, a, post. med. (in Aristot. 332ᵇ 25) „*ἐδείξαμεν δέ, ὅτι οὐδὲ ἄλλο τι σῶμα παρὰ τὰ τέσσαρα κατὰ Ἀναξίμανδρον γεννήσει ὡς ὕλη τὰ ἄλλα.*"

definit, ut tum dicat *τὶ παρὰ τὰ στοιχεῖα*, tum *τὶ μεταξὺ τῶν στοιχείων*, sine certorum elementorum designatione, tum *τὶ μεταξὺ* vel inter aerem et ignem vel inter aerem et aquam.

Qua autem ratione utrumque medium ad Anaximandri principium putet pertinere, ex ipsa eius dicendi ratione apparet. Neque enim eius principium, quemadmodum reliqui Aristotelis interpretes, separatim tum medium inter aerem et ignem, tum medium inter aerem et aquam appellat; namque medium inter aerem et ignem nunquam separatim dicit, medium inter aerem et aquam autem aperte uno tantum loco[1]); verum hoc uno loco excepto aut simpliciter appellat '*τὸ μεταξὺ*' sive '*τὸ μεταξ` τῶν στοιχείων*', sine certorum elementorum designatione[2]), aut, simulatque omnino certa elementa designat, semper modo disiunctivo dicit '*τὸ μεταξὺ ἢ ὕδατος καὶ ἀέρος ἢ ἀέρος καὶ πυρός*[3]), hosque rursus pariter modo disiunctivo explicat verbis: '*ὅπερ ἀέρος μὲν ἐστι πυκνότερον ὕδατος δὲ μάνοτερον, ἢ πυρὸς μέν πυκνότερον ἀέρος δὲ μανότερον*'[4]). Quae disiunctiva significandi ratio potest quidem dupliciter intellegi, et ita, ut Philoponus se ipsum significet ambiguum esse, utrum Anaximandri principium inter aerem et aquam an inter aerem et ignem medium sit, propterea videlicet, quod propter testimoniorum inopiam rem non habeat compertam,

---

1) Vide supra p. 126, not. 1, b. Alio loco, ibid. not. 1, a, fin., appellat '*ἀέρος μὲν πυκνότερον ὕδατος δὲ μανότερον*', sed solum brevitatis caussa, postquam proxime modo disiunctivo medium dixit vel inter aerem et ignem vel inter aerem et aquam. Aliis paucis locis *τὸ μεταξὺ* dicit, postquam proxime aquam et aerem memoravit, ita ut liceat quidem nec vero oporteat inter haec medium intellegi.

2) Vid. supra p. 127 not. 1, a; c; d; p. 128 not. 1, a; b; c; d; e; f; g; p. 130 not. 1, a et d.

3) Vid. supra p. 126 not. 1, a; p. 127 not. 1, a et b; p. 130 not. 1, a et d.

4) Vid. supra p. 126 not. 1, a.

et ita, ut in ipso Anaximandri principio ambiguum esse dicat, utrum inter haec an illa duo elementa medium ponendum sit, propterea videlicet, quod propter suam ipsius naturam pari iure utrumque intellegi possit[1]). Accipiendam autem posteriore intellectu esse, e tribus maxime rationibus intellegitur. Prima proficiscitur a comparatione disiunctivae huius dicendi rationis cum reliquis duobus vocabulis, quibus Philoponus Anaximandri principium significat, *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* dico et *τὸ μεταξὺ τῶν στοιχείων.* Hae enim tres eiusdem principii appellationes ita inter se habent, ut progressionem contineant a notione maxime infinita ad notionem maxime finitam, haecque earum ratio in Philoponi quoque usu omnino cernitur. Namque Anaximandri principium ita appellat *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα*, ut generaliter summam eius a reliquis philosophis in eodem genere versantibus differentiam indicet; id quod inde apparet, quod iis locis, quibus eos, qui summum principium unum quoddam corpus omnibus rebus subiectum ponant, generaliter dividit horumque alteros ita significat, ut eos in universum '*ἕν τι τῶν στοιχείων*' ponere dicat, his Anaximandri doctrinam plerumque ita opponit, ut eius principium '*ἕτερόν τι παρὰ τὰ στοιχεῖα*' appellet[2]); ac profecto hoc vocabulo ipsa illius principii natura non nisi admodum infinite significatur, quoniam, quatenus *τὶ παρὰ τὰ στοιχεῖα* dicitur, si elementa exempli gratia densitate et raritate distinguuntur, hac qualitate et inter tria bina elementa medium et densi-

---

1) Zellerus, Gesch. etc. I, p. 190, not. 1 disiunctionem illam priore modo videtur accipere; ait enim, Philoponum dubium esse, num Anaximandri infinitum medium sit inter aquam et aerem an inter aerem et ignem.

2) Vide supra p. 126 not. 1, a: „*οὗτος δὲ τῶν ἄλλων μᾶλλον καθώρθου, διότι μὴ ἕν τῶν στοιχείων . . ἔλεγεν, ἀλλ' ἕτερόν τι παρὰ ταῦτα.*" Ibid. 1, c: „*τὸ ἓν τοῦτο (λέγουσιν) ἢ τῶν τεσσάρων τι εἶναι, ἢ ἄλλο τι παρὰ ταῦτα.*" Pariter p. 127 not. 1, c; p. 128 not. 1, d et e; p. 130 not. 1, a; b; c.

tate infra omnia et raritate supra omnia positum esse potest. Idem autem principium 'τὸ μεταξὺ τῶν στοιχείων' appellat, ubi iam ipsam eius naturam accuratius significaturus est; namque et saepius τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα adposito hoc vocabulo definit, veluti dicens 'ἄλλο τι παρὰ τὰ στοιχεῖα μεταξὺ τούτων'[1]), vel accuratius etiam 'ἕτερόν τι παρὰ τὰ στοιχεῖα, τοῦτο δὲ μεταξύ πως εἶναι αὐτῶν ὑπέθετο'[2]), et hoc vocabulo plerumque utitur, ubi elementis singillatim nominatis Anaximandri principium opponit[3]). Denique, cum τὸ μεταξὺ quoque infinitius sit, quoniam inter tria bina elementa potest medium esse, iis locis, quibus accuratissime Anaximandri principium definit[4]), modo disiunctivo dicit 'τὸ μεταξὺ ἢ ὕδατος καὶ ἀέρος ἢ ἀέρος καὶ πυρός'. Iam vero Philoponus Anaximandri principium ita τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα et τὸ μεταξὺ τῶν στοιχείων appellat, ut his vocabulis ipsam huius principii naturam significet; ergo consentaneum est, eum hac disiunctiva quoque significandi ratione quandam huius ipsius principii proprietatem, nec vero suae cognitionis incertitudinem significare. Deinde si hac disiunctiva dicendi ratione significare voluisset, se ipsum propter testimoniorum discrepantiam ambiguum esse, inter utra bina elementa Anaximandri principium medium dicendum esset, omnino probabile est, eum hanc rem ipsius cogitationis pulsu aliquo modo significaturum fuisse, velut addentem: 'οἱ μὲν γὰρ οὕτως, οἱ δ' ἐκείνως λέγουσιν', vel aliis verbis similibus utentem. Denique Aristotelem quoque, qui certe ipsam Anaximandri

---

1) Vid. supra p. 127 not. 1, c; p. 128 not. 1, f.

2) Vid. supra p. 128 not. 1, e.

3) Cf. p. 127 not. 1, a; p. 128 not. 1, a et c.

4) Velut in generali illa de Anaximandro disputatione; vide supra p. 126 not. 1, a; in comment. in Aristot. Phys. I, 4; vid. supra p. 127 not. 1, a et b; in comment. in Aristot. Gen. Corr. II, 5; vide supra p. 130 not. 1, d.

rationem nondum ignorabat, supra vidimus uno loco, quo de unius Anaximandri principio agi iam ostendimus et postea accuratius etiam ostendemus, *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* modo disiunctivo definire '*μέσον τι ἀέρος καὶ ὕδατος ἢ ἀέρος καὶ πυρός*'.

Quodsi igitur Philoponus disiunctiva illa significandi ratione quandam ipsius Anaximandri principii proprietatem nec vero quandam suae cognitionis incertitudinem significat, consectaneum est, ut aut ipse aut certe is, quem sequebatur, in ipsa Anaximandri huius principii informatione aliquid sciverit inesse, propter quod pari iure et inter aerem et aquam et inter aerem et ignem posset medium dici. Quod quid fuerit, quamquam non relatum est, tamen ratiocinatione probabili videtur intellegi posse. Etenim si Anaximander revera principium rebus subiectum medium esse voluit inter elementa ex ipso orta, cum medium proprie non nisi inter duo sit, sine dubio *inter duo elementa* posuit medium; atque si inter duo medium posuit, sine dubio *omnino duo solum elementa statuit*, ea scilicet duo corpora, inter quae principium esset medium quaeque prima ex eo essent secreta; namque quattuor illorum elementorum opinio illo tempore nondum invaluerat[1]). Haec vero duo elementa non probabile est cum duobus quibusdam quattuor illorum elementorum plane convenisse; nam si convenissent, illa duplicis medii opinio omnino non potuisset oriri; sed probabile potius, fuisse duo quaedam alia prima corpora, veluti *materiam frigidam* et *materiam calidam*, de qua re alio loco accuratius dicetur. Quare haec duo elementa, quamquam re certe quattuor illa elementa continebant, tamen ad haec ita se habebant, ut incertum videretur, utrum altero elemento, veluti materia frigida, aqua cum terra, altero, veluti materia calida, aer cum igne,

1) Ante Empedoclem alii alio elementorum numero utebantur, velut Parmenides duo, Heraclitus autem tria ponebat.

an illo aer cum aqua terraque, hoc autem ignis tantum contineretur. Ita autem si res se habebat, apparet, posteriores philosophos, velut Aristotelem eiusque successores, qui, ut Anaximandri doctrinam explicarent, ad quattuor elementorum opinionem reducere studerent, eius principium recte ita solum significare potuisse, ut modo disiunctivo dicerent medium aut inter aquam et aerem, aut inter aerem et ignem, vel accuratius etiam, omnium elementorum ratione habita, medium aut inter terram aquamque et aerem cum igne, aut inter ignem et aerem cum aqua terraque. Atque haec posterior significandi ratio invenitur etiam apud Philoponum eo loco, quo Anaximandrum posuisse dicit „τὸ μεταξὺ γῆς ἢ πυρὸς καὶ ὕδατος καὶ ἀέρος“[1]); cuius loci, si quidem lectio sana est, de qua re iam ostendimus vix posse dubitari, haec ipsa sententia est, Anaximandri principium medium esse aut inter terram aquamque et aerem cum igne, aut inter ignem et aerem aquamque cum terra. Num autem Philoponus ipse illam Anaximandri principii rationem, ob quam hac disiunctiva ratione significaretur, etiam cognitam habuerit, maximo opere dubitandum est, quoniam, si cognitam habuisset, vix potuisset fieri, ut ne uno quidem loco ad explicandam illam disiunctivam dicendi rationem memoraret, praesertim cum e pluribus locis appareat, eum illud principium quam maxime fieri posset mente effingere studuisse[2]). Atque haec de Philopono satis sunto.

11. Restat unus Asclepius, cuius unum tantum locum adferre possum in Brandisii scholiis in Metaphysica adscriptum[3]). Quo quidem loco pro Aristotelis verbis

---

1) Vid. supra p. 130 not. 1, a, quaeque ibi disputavimus.

2) Cf. supra p. 126 not. 1, a; p. 127 not. 1, b; p. 128 not. 1, e et f; p. 130 not. 1, b et d.

3) Schol. Arist. 553 b 32, (in 988 a 29): „*καὶ ἔτι ὅσοι ἀέρα, καθάπερ Ἀναξιμένης, ἢ ὕδωρ, καθάπερ Θαλῆς, ἢ πῦρ, καθάπερ Ἡράκλειτος, ἢ τὸ μεταξύ, καθάπερ Ἀναξίμανδρος, σωματικὴν ὕλην ὑπετίθεντο.*“

„*πυρὸς μὲν πυκνότερον ἀέρος δὲ λεπτότερον*“ reponit ‘*τὸ μεταξὺ*’ simpliciter, elementorum designatione non addita, hocque Anaximandro tribuit. Cum autem simpliciter dicat *τὸ μεταξύ*, hoc vocabulo, quoniam proxime aquam aerem ignem memoravit, naturam mediam omnem tamquam unam quandam rem intellegere putandus erit.

Denique huic subiungendus videtur locus e codice Reg. a Brandisio in iisdem scholiis adscriptus[1]), quo, quod ab Aristotele memoratur „*ἀέρος μὲν πυκνότερον ὕδατος δὲ λεπτότερον*“, simpliciter ad Anaximandrum refertur additurque, hunc ab Aristotele magis laudari in libris physicis, propterea, quod haec naturae cuiusdam mediae opinio quandam informis materiae divinationem contineat. Anaximandri principium inter aerem et ignem quoque medium dici, hoc loco non memoratur; ex hac autem re nihil posse concludi, per se patet.

12. Superest, ut de eorum scriptorum, quorum testimonia attulimus, fide dicendum sit. Quod ut recte fieri possit, brevibus summa testimoniorum sententia repetenda est. Itaque quattuor priores Aristotelis interpretes, Alexander Themistius Simplicius Philoponus, eo consentiunt, quod *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* et *τὸ μεταξὺ* omne, sive id inter aerem et aquam sive inter aerem et ignem dicitur, unam eandemque rem putant hancque ad unum Anaximandri principium referunt, adeo ut ipsam huius principii notionem semper uno vel altero horum vocabulorum vel etiam simul omnibus definiant, quodque ne levissimo quidem indicio suspicionem movent aliorum philosophorum, qui tale quoddam principium statuerint.

1) Schol. Metaph. 556 b 14 (in 989 a 14) ad Aristotelis verba: „*οὔτ’ εἴ τις ἀέρος μὲν πυκνότερον τοῦτο τίθησιν ὕδατος δὲ λεπτότερον*“ legitur: „*ὡς Ἀναξίμανδρος . . . ἐπαινεῖ δὲ μᾶλλον αὐτὸν ἐν τῇ Φυσικῇ, ὅτι διὰ τὸ ὑποτίθεσθαι τὸ μεταξὺ ἀέρος καὶ ὕδατος στοιχεῖον τὴν ἀσχημάτιστον καὶ ἀνείδεον ὑπενόησεν ὕλην.*“ Respicitur Phys. I, 6. 189 b 3.

Sunt quidem apud eos quaedam differentiae eius rationis, qua duo illa media ad Anaximandrum referunt; verum hae non sententiarum sed verborum solum sunt. Namque cum omnes pariter Anaximandri principium saepius dicant *τὸ μεταξὺ* simpliciter hacque ipsa significandi ratione omnes, quae forte dicebantur, species ad hoc unum principium referant, quod ad ipsas has species attinet, Alexander et Simplicius Anaximandri principium promiscue tum inter aerem et aquam medium appellant, uno loco monentes, utroque modo medium dici[1]); Philoponus autem, ubi accuratissime loquitur, modo disiunctivo medium vel inter aerem et ignem vel inter aerem et aquam dicit, hacque dicendi ratione simul rationem significat, qua Anaximandri principium simul utrumque dicatur. Themistii quidem unum invenimus locum, e quo concludi possit, illum naturam inter aerem et aquam mediam omnino non agnovisse, et unum Simplicii, quo is medium inter aquam et ignem, quod semel tantum ab Aristotele memoratur, ad Diogenem Apolloniatem refert. At ostendimus, atque, ut opinor, caussis satis idoneis, utrumque locum vitio adfectum esse, hocque vitio sanato istas dissensiones removeri. Asclepius cum hisce quattuor interpretibus ea parte consentit, quod eo uno loco, quo potuimus uti, Anaximandri principium simpliciter *τὸ μεταξὺ* dicit, et Anonymus ille, cuius pariter unum tantum locum adferre potuimus, hoc loco certe naturam inter aerem et aquam mediam ab Aristotele memoratam Anaximandro tribuit. Pariter ad unum omnes eo consentiunt, quod, ubicunque Aristotelis locos, quibus is *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* vel *τὸ μεταξὺ* memorat, interpretantur, hos locos ad unum Anaximandrum referunt; atque

---

1) Alexander iis locis, qui servati sunt, non separatim quidem tum hoc tum illo vocabulo appellat, sed Aristotelis locos et eos, quibus hoc, et eos, quibus illud vocabulum adhibetur, pariter ad Anaximandrum refert.

si omnes interpretes una comprehendimus, iam nullus eiusmodi Aristotelis locus relinquitur, qui non ad hunc philosophum referatur.

Cum igitur omnes in hac Anaximandri principii notione consentiant, sic eam ubique proponunt, ut eam videantur non ratiocinatione quadam vel etiam coniectura informatam sed historiae fide acceptam habere. Id quod inde apparet, quod hanc notionem ubique tamquam rem omnino notam referunt atque etiam duas illas mediae naturae species sine ullo incertitudinis signo uni Anaximandro tribuunt, nulla mirae huius rationis explicatione addita; sic enim eos maxime par est in narranda aliqua re versari, qui, quamvis hanc rem non possint explicare, tamen historia traditam esse sciant. Atque Simplicius etiam, postquam illam notionem rettulit, discrepantes aliorum sententias diligenter refellit. Quare iam quaerendum est, e quonam fonte illam Anaximandri principii notionem acceperint.

Ipso Anaximandri libro certe usi non sunt; id quod non inde quidem, quod in proponenda illa Anaximandri principii notione quandam veritatis incertitudinem ostendant[1]), — hanc enim in iis non reperiri vidimus — sed e duabus aliis rationibus intellegitur. Primum Alexander et Simplicius pro ea, qua sunt diligentia et recte intellegendi studio, pariterque Philoponus, qui in Anaximandri principio explicando diligentissimus est, iis locis, quibus duas illas mediae naturae species simul ad unum Anaximandri principium referunt, non facile omissuri fuissent, hanc miram rationem ex Anaximandri libro explicare, si hunc librum habuissent. Deinde Simplicius, ut iam de hoc solo loquar, duobus locis, et in generali illa de philosophorum principiis disputatione et in explicatione eius Aristotelis loci (Phys. I, 4), quo ab hoc primum natura inter aerem et ignem media memoratur,

1) Zeller, Gesch. etc. I, p. 189.

Damascenum, hanc naturam mediam non Anaximandro, sed Diogeni Apolloniatae tribuentem, non nisi ex huius ipsius libris et e Theophrasto, et in eiusdem loci explicatione sententiam Porphyrii, qui ab Anaximandro non *τὸ μεταξὺ* sed corpus quoddam nulla speciei designatione definitum principium poni contendat, non nisi ex huius Aristotelis loci ratione grammatica refellit, in neutra autem caussa ad Anaximandri librum provocat; omnino autem verisimile est, eum illis via directa ex ipsó Anaximandri libro responsurum fuisse, si ei huius libri copia fuisset.

Zellerus[1]) et Schleiermacherus[2]) putant, notionem principii cuiusdam inter duo elementa medii ex solis Aristotelis locis, quibus *τὸ μεταξὺ* memoratur, fluxisse et coniectura solum ad Anaximandrum relatum esse, non aliam ob caussam, quam quod nullus alius notus esset philosophus, ad quem referri posset; et Schleiermacherus id primum factum esse suspicatur ab Alexandro, quem reliqui deinceps secuti sint. Sed utraque opinio improbabilis est. Schleiermacherus illam suam opinionem inde colligit, quod Simplicius in priore commentarii in libros physicos parte de Anaximandri principio eandem fere atque Porphyrius sententiam proponat, post eum autem locum, quo Aristotelis locum Phys. I, 4 explicet, quoque Alexandrum narret naturam inter aerem et ignem mediam (Simplicius ait '*ἄλλην τινὰ φύσιν παρὰ τὰ στοιχεῖα*') ad Anaximandrum referre, ipse etiam hanc Alexandri sententiam amplectatur; inde enim putat concludi posse, Simplicium hanc Alexandri sententiam antea incognitam tum demum, cum in illo Aristotelis loco explicando versaretur, cognovisse et propter Alexandri auctoritatem suscepisse. Sed Simplicium vidimus iam ante illum locum eandem Anaximandri principii notionem proponere, quam postea ubique summa constantia tenet; atque hac re illa

---

1) Philosophie der Griechen I, p. 189 et 190, ed. 3.
2) Werke III, 2, p. 176, ac rursus p. 180 et 181.

Schleiermacheri ratio omnino evertitur. At fieri possit, ut iam ante commentarii scriptionem Alexandri sententiam ex eius libris, atque ex his quidem solis cognoverit et suam fecerit. Sane; sed in tota eius oratione nihil est, unde id conici liceat. Namque in explicando illo Aristotelis loco solum quidem Alexandrum nominat, qui *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* (hoc enim vocabulo utitur) Anaximandro tribuat huicque Porphyrium aliter sentientem opponit atque refellit; sed si inde, quod solum nominat, aliquid concludi potest, id solum potest concludi, Alexandrum a Simplicio dici eum Aristotelis interpretem, qui primus illum Physicorum locum ad Anaximandrum rettulerit — quamquam ne id quidem necessarium est —, nec vero eum, qui in universum primus naturam mediam Anaximandro tribuerit; id enim maximo opere differt, siquidem praeter Aristotelis interpretes esse etiam poterant historiae scriptores, qui idem de Anaximandri principio referrent. Huc accedit, quod Simplicius Anaximandrum non dicit *τὸ μεταξὺ ἀέρος καὶ πυρός*, de cuius auctore quaeritur, sed *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* Anaximandro tribuere, quo vocabulo ipse antea, Theophrastum secutus, Anaximandri principium definivit; quamvis enim et Simplicius et Alexander hoc idem intellegant atque *τὸ μεταξύ*, tamen sine ulla dubitatione vocabulum *τὸ μεταξὺ* adhibuisset, si Alexandrum significare voluisset primum esse, qui naturam mediam Anaximandro tribueret. Eo autem, quod eodem loco Porphyrium ab Alexandro dissentientem refellit, significat quidem, se eandem atque Alexandrum sententiam sequi, neque vero, se eam ab illo accepisse.

Iam vero quod dicunt, illam Anaximandri principii notionem ex solo Aristotele fluxisse, verum quidem est, iis Aristotelis locis, quos antea attulimus, non solum notionem contineri principii cuiusdam, quod inter duo elementa ita medium sit, ut pari iure inter aerem et ignem et inter aerem et aquam medium dici possit, sed etiam ex eorun-

dem locorum comparatione Anaximandrum cognosci huius principii auctorem, id quod postea accuratius demonstrabitur. Quare, si interpretes illi hanc notionem ex Aristotele informaverunt, non opus est statuere eos hanc notionem non nisi coniectura ad Anaximandrum rettulisse. Sed quamvis hanc notionem Anaximandrumque eius auctorem ex solo Aristotele potuerint cognoscere, tamen eos non primum ex Aristotele cognovisse ipsa commentariorum ratione probatur. Primum illi interpretes in commentariis ita semper de Anaximandri principio loquuntur, ut eius notionem videantur aliunde cognitam adferre, nec vero ex Aristotelis locis colligere. Namque Simplicius et Philoponus principii illius notionem accuratissime exponunt in generali illa de philosophorum antiquiorum principiis disputatione, quae antecedit eos locos, quibus Aristotelem de illo principio loquentem explicant; atque Alexandri quoque locus is, quo hoc principium refert pariter inter duo bina elementa medium dici, pertinet ad aliquem Metaphysicorum locum, quo Aristoteles nullam etiam principii inter duo elementa medii mentionem fecit; quamquam Alexander quidem id e libris de Generatione et Corruptione sumere potuit, quibus paullo ante dixit hoc principium ab Aristotele memorari. In explicandis autem iis Aristotelis locis, quibus is *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* vel *τὸ μεταξὺ* memorat, non ita versantur, ut de huius principii aut notione aut auctore quaerere vel ex ipsis locis aliquid de hac re concludere videantur, sed ipsos locos eo explicant, quod *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* et *τὸ μεταξὺ* simpliciter ad Anaximandrum tamquam notum eius auctorem referunt; et quamquam Simplicius in explicando loco, qui legitur Phys. I, 4, qui in hac re gravissimus est, discrepantes etiam de naturae mediae auctore sententias adfert, tamen ipse iam antea hanc naturam Anaximandro tribuit [1]). In universum autem ex

1) Si ponamus, interpretes illos primum ex Aristotele colle-

solis Aristotelis locis illa principii medii notio et Anaximander eius auctor cognosci non potest sine diligenti horum locorum comparatione; huius autem comparationis in commentariis nullum invenitur vestigium, praeterquam quod Alexander eo commentarii in Metaphysica loco, quo primum *τὴν μεταξὺ φύσιν* Anaximandro tribuit, addit, hoc principium memorari etiam in libris de Generatione et Corruptione. Deinde in illis commentariis aliqua de Anaximandri doctrina referuntur, quae aut certum est non ex Aristotele sumpta esse aut ex eo omnino non potuerunt sumi; namque quod Simplicius in generali disputatione de Anaximandro refert, velut hunc primum omnium rerum principium dixisse infinitum ipsumque definivisse esse id, quod omnibus subiectum esset, et hoc principium statuisse esse *τὶ παρὰ τὰ στοιχεῖα*, sine dubio e Theophrasto sumpsit[1]); quod autem Alexander teste Simplicio refert, Anaximandri sententia terram manere et propter parem undique distantiam et propter aerem sustinentem, hoc posterius ex Aristotele sumere non potuit. Denique, si antea Alexandri verba '*λέγεται γὰρ ἀμφοτέρως*' recte explicavimus[2]), is ipse contendit, Anaximandri principium in universum ab iis, qui de eo referant, pariter inter aerem et ignem atque inter aerem et aquam medium dici. Ergo illi interpretes nec notionem eius principii, quod Anaximandri esse dicunt, ex solo Aristotele collegerunt, nec id sola Aristotelis auctoritate vel etiam sola coniectura Anaximandri esse putaverunt, sed in utraque re aliis etiam fontibus usi sunt.

---

gisse, Anaximandrum esse naturae mediae auctorem, ex illo maxime loco collegisse credendi sint; eo enim Aristoteles omnium apertissime naturam mediam Anaximandro tribuit. Simplicius autem certe ex illo loco non collegit; quamquam enim eum recte explicat, tamen ita ineleganter, ita obscure explicat, ut explicare non potuisset, si eius explicatione ad suam de Anaximandro sententiam pervenisset.

1) Cf. supra p. 8; 12; 13 ibique not. 1.

2) Vid. supra p. 106 not. 1.

A Diogene Laertio uno loco memoratur quidam Diodorus Ephesius, qui de Anaximandro scripserit[1]); quare quispiam suspicari possit, ab hocce aliqua eorum, quae de Anaximandri principio referri vidimus, sumpta esse. Sed cum hic Diodorus a nullo alio auctore, quantum quidem potuerim invenire, memoretur, omnino incognitum est, et quis fuerit quaque aetate vixerit, et num omnino de Anaximandri doctrina accuratius scripserit; nam Diogenes ex eo nihil refert nisi Empedoclem Anaximandri tragicam magniloquentiam et vestium gravitatem aemulatum esse. Quare inutile est, illum in nostra quaestione respicere.

Sunt autem quaedam, e quibus coniciendum sit, communem illorum fontem maxime Theophrastum esse. Rei demonstratio haec est. Simplicius ea, quae in generali illa de diversis philosophorum principiis disserit, sine dubio a Theophrasto potissimum sumpsit, id quod inde maxime colligendum est, quod statim initio eorum, quae de Xenophane disputat, Thephrastum nominat auctorem, et quod, cum in singulis fontem non indicet, ubi de re agitur, de qua auctorum opiniones dissentiant, reliquorum opinionibus opinionem Theophrasti opponit hancque semper fere ut suam defendit. Quare, ut iam saepius monuimus, ea etiam, quae in illa disputatione de Anaximandro disputat, veluti hunc primum rerum principium appellavisse infinitum ipsumque definivisse esse id, quod omnibus esset subiectum, et hoc principium statuisse esse 'ἑτέραν φύσιν τῶν στοιχείων' vel 'τὶ παρὰ τὰ στοιχεῖα', et rerum generationem non in aliqua principii commutatione sed in contrariorum secretione posuisse, a Theophrasto sumpsisse censendus est[2]). In hac prima Anaximandri principii definitione non adhibet quidem

---

1) Diog. L. VIII, 70: „Διόδωρος δὲ ὁ Ἐφέσιος περὶ Ἀναξιμάνδρου γράφων φησίν, ὅτι (Ἐμπεδοκλῆς) τοῦτον ἐζηλώκει τραγικὸν ἀσκῶν τῦφον καὶ σεμνὴν ἀναλαβὼν ἐσθῆτα."

2) Cf. supra p. 8; 12; 13 et not. 1.

de eo vocabulum 'τὸ μεταξύ', de quo nunc maxime quaeritur; sed non multo post in eiusdem disputationis ea parte, qua, quas maxime ob caussas alius aliud principium posuerit, indagat, aliquos ait in eligendo principio praecipue commutationis facilitatem respexisse, in hisque Anaximandrum etiam nominat, dicens: „ὥσπερ καὶ Ἀναξίμανδρος, εἴπερ τὸ μεταξὺ διὰ τὸ εὐαλλοίωτον ὑποτίθεται"[1]). Hoc igitur loco Anaximandri principium ita τὸ μεταξὺ appellat, quasi haec eius appellatio iam nota sit, id est, quasi ea ipse in prima illa definitione iam usus sit[2]). Quod pro vocabulo 'τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα', quo antea usus est, ita simpliciter reponit 'τὸ μεταξύ', satis quidem explicatur, si sumimus, in ipsius mente duo illa vocabula ita idem valuisse, ut inscius fere inter se commutaret; verum facilius etiam explicatur, si sumimus, eum apud ipsum Theophrastum 'τὸ μεταξὺ' legisse et propterea solum omisisse seorsum nominare, quod plane idem sciret atque τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα significare. Quae sumptio ut per se non est necessaria, ita sola cum aliis quibusdam rebus, quae cum hac quaestione cohaerent, omnino consentit.

Etenim ex ipso Simplicio apparet, Theophrastum de Anaximandri principio plura disputavisse, quam quae ab illo in huius principii definitione adhiberi vidimus. Paullo enim post in eadem generali disputatione a Theophrasto ait Anaxagoram cum Anaximandro componi, cum dicat, „si quis Anaxagorae mixtionem esse sumat 'μίαν φύσιν

---

1) Phys. 8, b, init. Vid. supra p. 115, 3.

2) Si quis propter particulam εἴπερ putet, hoc loco non certam adfirmationem contineri, reputandum est, particulam εἴπερ non ad 'τὸ μεταξὺ ὑποτιθέναι' sed ad 'διὰ τὸ εὐαλλοίωτον ὑποτιθέναι' pertinere, hac significatione: 'siquidem propter facilitatem commutationis ponit τὸ μεταξύ'. Agitur enim hoc loco de ratione, ob quam quodque principium antea nominatum positum sit.

ἀόριστον κατ' εἶδος καὶ κατὰ μέγεθος', illum in constituendis elementis corporeis similem esse Anaximandro." Quodsi Theophrastus Anaxagoram ea condicione dicit similem fieri Anaximandro, si eius mixtio putetur esse '*μία φύσις ἀόριστος κατ' εἶδος καὶ κατὰ μέγεθος*', eum oportet in priore quadam disputationis parte ipsius Anaximandri principium '*μίαν φύσιν ἀόριστον κατ' εἶδος*' appellavisse. Certe autem ita appellavit non quod ipse Anaximander suum principium hoc modo definivisset, sed quod ipsius Anaximandri definitio hoc modo interpretanda esset. Namque vocabulum '*φύσιν ἀόριστον κατ' εἶδος*' non esse nisi quandam interpretationem ab ipso Theophrasto profectam, iam ipse Simplicius satis aperte eo significat, quod alio loco, quo iterum eadem Theophrasti verba adfert, hunc non sine vituperatione dicit Anaxagoram cum Anaximandro in unum conicere[1]), quodque ipse illo vocabulo nunquam in definiendo Anaximandri principio uti-

1) Phys. 33, a, post. m. (ubi de Anaxagora disputatur): „*καὶ ὁ Θεόφραστος δὲ τὸν Ἀναξαγόραν εἰς τὸν Ἀναξίμανδρον συνωθῶν καὶ οὕτως ἐκλαμβάνει τὰ ὑπὸ τοῦ Ἀναξαγόρου λεγόμενα, ὡς δύνασθαι μίαν αὐτὸν φύσιν λέγειν τὸ ὑποκείμενον. γράφει γὰρ οὕτως ἐν τῇ φυσικῇ ἱστορίᾳ κτλ.*" — sequitur idem locus, quem proxime laudavimus. Vituperatio continetur verbo '*συνωθῶν*'; id enim naturaliter actionem significat, in qua perficienda vis adhibenda sit, quae igitur ipsi rerum naturae repugnet; significat igitur hoc loco talem quandam interpretationem, qua duae sententiae diversae per vim ad unam reducantur. Simplicius hoc loco verbis quidem solum dicit, Theophrastum eo, quod Anaxagorae mixtionem *μίαν φύσιν ἀόριστον κατ' εἶδος* interpretetur, huius sententiam per vim ad Anaximandri sententiam reducere; inde autem per se non sequitur, ut etiam Anaximandri principium non nisi per interpretationem quandam ab ipsius sententia alienam a Theophrasto *φύσιν ἀόριστον κατ' εἶδος* appellari putaverit; sed hanc esse eius opinionem, ut non repugnat loci verbis, ita eo probatur, quod, cum alias semper fere Theophrastum sequatur, hoc vocabulum nunquam de Anaximandri principio adhibet.

tur; et idem ipsi paullo post alio argumento probabimus. Quod si verum est, eum in priore disputationis parte oportet etiam talem quandam ipsius Anaximandri definitionem proposuisse, e qua illa interpretatio sequeretur. Haec autem definitio vix potest eo contineri, quod Anaximandrum dixit principium ponere *τὶ παρὰ τὰ στοιχεῖα*, quoniam e notione naturae, quae sit *παρὰ τὰ στοιχεῖα*, nisi accedente alia nota accuratius etiam definitur, vix effici potest, ut haec natura dicenda sit '*φύσις ἀόριστος κατ' εἶδος*'. Sumendum igitur est, eum aliud etiam vocabulum adhibuisse, quo ipsius Anaximandri sententiam redderet; quod vocabulum non aliud fuisse nisi *τὸ μεταξὺ*, pluribus rationibus videtur probari.

Primum cum hac opinione consentit, quod Simplicius, ob quam caussam posteriore generalis illius disputationis loco Anaximandrum posuisse dicit *τὸ μεταξύ*, ob eandem priore loco eum dixit *τὸ παρὰ στοιχεῖα* posuisse[1]). Deinde haec opinio confirmari videtur, si cum Simplicio comparaveris Philoponum. Nam quae Philoponus in generali de diversis philosophorum principiis disputatione, quam pariter atque Simplicius ad explicandum Physicorum libri I. caput 2. instituit, de Anaximandri principio disserit, magna ex parte non sententia solum sed partim verbis quoque cum iis, quae e Simplicio attulimus, plane consentiunt, ita ut ex eodem fonte, id est, e Theophrasto, sumpta esse putanda sint[2]). Iam vero Philoponus statim illius disputationis initio Anaximandri principium modo disiunctivo dicit '*τὸ μεταξὺ ἢ ἀέρος καὶ ὕδατος ἢ πυρὸς καὶ ἀέρος*'.

---

1) Posteriore loco (Phys. 8, b, init.) ait: „*τὸ μεταξὺ διὰ τὸ εὐαλλοίωτον ὑποτίθεται*“, priore autem: „*δῆλον δὲ ὅτι τὴν εἰς ἄλληλα μεταβολὴν τῶν τεσσάρων στοιχείων οὗτος θεασάμενος οὐκ ἠξίωσεν ἕν τι τούτων ὑποκείμενον ποιῆσαι, ἀλλά τι ἄλλο παρὰ ταῦτα.*“

2) Hoc ut intellegatur, quae ab utroque dicuntur, inter se comparanda sunt; singillatim iuvat conferre haec verba:

Quare non absonum est credere, hanc quoque definitionem ex aliqua Theophrasti disputatione fluxisse; quamquam fieri etiam potest, ut ab alio auctore accepta sit.

Postremo autem una est ratio, qua omnis videatur de hac re dubitatio tolli. Vidimus, a Theophrasto Anaximandri principium '*μίαν φύσιν ἀόριστον κατ' εἶδος*', ab Aristotele autem uno Metaphysicorum loco '*μῖγμα*' appellari[1]). Hae duae eiusdem principii definitiones repugnantes sunt, ita ut certe non utraque possit Anaximandri esse. Iam vero incredibile est, aut Theophrastum aut Aristotelem veram Anaximandri rationem ignoravisse. Hinc igitur proficiscentibus quaerendum est, qua ratione discrepantes illae eiusdem principii definitiones inter se conciliandae sint. Conciliari autem ita solum videntur posse, si sumimus, aut utramque aut certe alteramutram non esse nisi quandam eius, quam ipse Anaximander proposuerit, doctrinae interpretationem. Est autem utraque habenda interpretatio. Quod enim Aristoteles Anaximandri principium semel '*μῖγμα*' appellat, id ex ipso Aristotele iam ostendimus nihil esse nisi quandam interpretationem, qua Anaximandri doctrinam ad suam de elementis doctrinam reduceret[2]). Sed Theophrasti etiam illam definitionem non nisi interpretationem esse, primum, ut paullo ante exposuimus[3]), inde concludi potest, quod a Simplicio, a quo solo refertur, nunquam ad-

Simplicii:
„δῆλον δὲ ὅτι τὴν εἰς ἄλληλα μεταβολὴν τῶν τεσσάρων στοιχείων οὗτος θεασάμενος οὐκ ἀξίωσεν ἕν τι τούτων ὑποκείμενον ποιῆσαι, ἀλλά τι ἄλλο παρὰ ταῦτα.

Philoponi:
„ἐπεὶ γὰρ ἐν τῇ μεταβολῇ τῇ ἐξ ὕδατος εἰς ἀέρα οὐκ ἀμέσως γίνεται ἡ μετάβασις . . . οὗτος δὲ τῶν μὲν ἄλλων μᾶλλον κατώρθου, διότι μὴ ἕν τι τῶν στοιχείων τὴν ὕλην ἔλεγεν, ἀλλ' ἕτερόν τι παρὰ ταῦτα.“

1) Vide supra p. 47 sq.; 50 sq.; 145.

2) Vide supra p. 50 et 54.

3) Vide supra p. 146 et not. 1.

hibetur, immo etiam vituperari videtur. Tum colligendum est inde, quod haec eadem Anaximandri principii interpretatio iam ab Aristotele proposita est; hunc enim aliquo loco, quem certum est ad Anaximandrum pertinere, ostendere vidimus, principium inter duo elementa medium, si poneretur esse aliquid ab elementis diversum, non esse posse naturam, quae sua quadam qualitate uteretur, sed talem solum naturam, quae in qualitatum contrariarum privatione versaretur, id est, non esse posse nisi '*μίαν φύσιν ἀόριστον κατ' εἶδος*' [1]); ac probabile sane est, Theophrastum illius hanc interpretationem suscepisse. Postremo, si Anaximander ipse principium suum esse voluisset *μίαν φύσιν ἀόριστον κατ' εἶδος*, Aristoteles sine dubio hanc eius sententiam cognovisset; si autem cognovisset, sine dubio eam, utpote cum sua unius informis materiae opinione consentientem, probaturus nec vero illam *φύσιν ἀόριστον* mixtionis notione interpretaturus fuisset, siquidem ipse potius Anaxagorae mixtionem ita interpretatur, ut eam, si recte cogitetur, nihil aliud dicat esse posse quam '*τὸ ἀόριστον πρὶν . . μετασχεῖν εἴδους τινός*' [2]). Ergo Aristoteles talem quandam Anaximandri sententiam non cognovit; si autem non cognovit, nec Anaximander eam proposuerat; atque inde sequitur, ut illa Theophrasti definitio non possit esse nisi quaedam Anaximandri doctrinae interpretatio.

Iam vero, cum duae illae definitiones non nisi interpretationes sint, quaeritur, qua condicione fieri potuerit, ut idem principium et *μῖγμα* et *μία φύσις ἀόριστος κατ' εἶδος* explicaretur. Eâ vero, si Anaximander principium suum naturam quandam inter duo elementa mediam dixerat; hanc enim naturam, quemadmodum vidimus, iam ipse Aristoteles ostendit aut priore aut altera ratione interpretandam esse; ac ne coniectura quidem, opinor, fa-

---

1) Vide supra p. 52 et 53 cum adnot. coll. 66, 1.

2) Metaph. I, 8. 989 a 30 sq., b 16.

cile alia principii cuiusdam notio invenietur, quae duplicem hanc interpretationem admittat. Hoc si verum est, Theophrastum in sua de Anaximandro disputatione, antequam illam interpretationem proponeret, rettulisse oportet, Anaximandri principium ipsius sententia '*μεταξύ τι*' esse.

Iam, si Theophrastus Anaximandri principium non solum *τὶ παρὰ τὰ στοιχεῖα* verum etiam *μεταξύ τι* appellavit, apud eum omnino iam reperiebatur illa Anaximandri principii notio, quam ab Aristotelis interpretibus proponi vidimus. Hoc autem si ita se habet, vix poterit dubitari, quin Theophrastus, quippe e quo Simplicium pleraque sumpsisse certo constet, primus ac gravissimus illius notionis fons sit.

Atque hoc ego quidem non solum verisimillimum sed etiam paene certum esse existimo; quamquam enim non ipsum quidem ab illis interpretibus est traditum, tamen ex ipsis eorum testimoniis ratiocinatione, ut mihi quidem videtur, necessario fere conclusum est; ac revera ea demum condicione, si hoc verum esse ponitur, et ipsa ea, quae ab iis referuntur, et magna eorum in his rebus referendis consensio et dicendi certitudo plane intelleguntur. Possint quidem dubitationem movere Damascenus et Porphyrius, quorum ille, Simplicio teste, *τὸ μεταξὺ* inter aerem et ignem ad Diogenem Apolloniatem rettulit, Porphyrius autem in hac re illum secutus est, Anaximandri vero principium esse contendit 'corpus rebus subiectum in universum, cuius species ab illo non definiretur'. Verisimile enim esse dices, hos quoque Theophrasto usos esse, atque, si usi sint, ex eo illam Anaximandri principii notionem suscepturos fuisse, si apud eum invenissent. At Damascenus quidem ea parte, qua Diogeni *τὸ μεταξὺ* tribuat, a Simplicio ipsius Theophrasti testimonio refutatur; is igitur hac certe parte aut non usus est Theophrasto aut eius auctoritatem sprevit. Porphyrius autem ea parte, quatenus *τὸ μεταξὺ* referat ad Diogenem, a Simplicio dicitur secutus esse Damascenum; ergo is quoque hac certe parte aut non usus

est Theophrasto aut eius testimonium sprevit. Quod autem idem Anaximandri principium dicit esse 'corpus rebus subiectum, cuius species ab illo non definiatur', haec definitio non necessario quidem a Theophrasto dissentit, quatenus is Anaximandri principium esse dicit aliquid *παρὰ τὰ στοιχεῖα*, et quodammodo etiam, ut postea apparebit, explicari potest, si Theophrastum ponimus illud principium modo disiunctivo aut inter haec aut inter illa elementa medium dixisse; sed omnino pugnat cum eo, quod illud principium a Theophrasto dicitur *μία φύσις ἀόριστος κατ' εἶδος*, siquidem 'corpus, cuius species non definiatur', sua ipsius natura non solum potest, sed quoniam corpus est, debet etiam definitum esse, quae autem dicitur *φύσις ἀόριστος κατ' εἶδος*, per se omni specie definita caret. Quare Porphyrius hac quoque parte censendus est aut non usus esse Theophrasto, aut eius testimonium sprevisse aut non satis accurate intellexisse. Ergo e Damasceni et Porphyrii opinionibus nihil sequitur, quod cum sententia proposita pugnet.

Sed sive illi Aristotelis interpretes suam de Anaximandri principio sententiam a Theophrasto acceperunt sive non acceperunt, cum duo auctores haud sane mediocres prorsus dissentiant, de illius sententiae veritate non poterimus certi esse, nisi eam aliis etiam testimoniis omnino indubiis comprobaverimus. Talia autem testimonia reperiri non possunt nisi apud Aristotelem; ad hunc igitur revertimur.

13. Itaque antea ex ipsis Aristotelis locis singillatim allatis demonstravimus, vocabula *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* et *τὸ μεταξύ*, sive id singillatim tum inter aerem et ignem, tum inter aerem et aquam, sive modo disiunctivo a u t inter aerem et ignem a u t inter aerem et aquam medium dicitur, ab eo ad significandum unum idemque principium adhiberi, quod quidem principium sua quadam natura tale esse oporteret, ut pari iure utroque modo medium dici

posset; hacque re simul demonstravimus, omnibus illis vocabulis ab eo principium significari unius eiusdemque philosophi[1]). Nunc igitur propositum est ex ipsis Aristotelis locis ostendere, hunc unum philosophum ab eo intellegi Anaximandrum. Loci, quibus utendum erit, bipartiti sunt. Unus eorum est, isque omnium et gravissimus et impeditissimus, quo, si modo ipsa eius ratio grammatica recte perspicitur, nominatim Anaximandrum appellat eum, qui *τὸ μεταξὺ ἀέρος καὶ πυρὸς* principium ponat. Alteri ii sunt, quibus non nominat quidem Anaximandrum, verum aut, postquam *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* vel *τὸ μεταξὺ* memoravit, huius auctorem talibus insignit notis, quas demonstrari possit Anaximandri omnino proprias esse, aut eos, qui *τὸ μεταξὺ* statuant, partem ponit talis cuiusdam divisionis, e qua non nisi Anaximandrum intellegi posse appareat.

14. Ordimur ab eo loco, quem primum posuimus. Is igitur locus, quem iam saepius memoravimus, legitur initio capitis quarti primi Physicorum libri[2]); quem, quo facilius explicari possit, totum huc transscribemus. Itaque Aristoteles, postquam eiusdem libri capite secundo et tertio rationem, qua Eleatae id quod est (*τὸ ὄν*) unum esse vellent, exposuit et reprobavit, ad physicorum rationem conversus haec scribit: „*ὅτι μὲν οὖν οὕτως ἓν εἶναι τὸ ὂν ἀδύνατον, δῆλον. ὡς δ' οἱ φυσικοὶ λέγουσι, δύο τρόποι εἰσίν. οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα τὸ ὑποκείμενον, ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο, ὅ ἐστι πυρὸς μὲν πυκνότερον ἀέρος δὲ λεπτότερον, τἆλλα γεννῶσι πυκνότητι καὶ μανότητι πολλὰ ποιοῦντες· (ταῦτα δ' ἐστὶν ἐναντία, καθόλου δ' ὑπεροχὴ καὶ ἔλλειψις, ὥσπερ τὸ μέγα φησὶ Πλάτων καὶ τὸ μικρόν, πλὴν ὅτι κτλ.) οἱ δ' ἐκ τοῦ ἑνὸς ἐνούσας τὰς ἐναντιότητας ἐκκρίνεσθαι, ὥσπερ*

---

1) Vide supra p. 103.

2) Phys. I, 4. 187 a 12.

Ἀναξίμανδρός φησιν[1]). *καὶ ὅσοι δ' ἓν καὶ πολλά φασιν εἶναι, ὥσπερ Ἐμπεδοκλῆς καὶ Ἀναξαγόρας.*"

Priusquam ipsum locum explicemus, duae partes videntur secludendae esse, quae ab ipsa loci sententia alienae sunt. Primum verba „*ταῦτα δ' ἐστὶν ἐναντία κτλ.*" ad eam rem, de qua agitur, non pertinent, sed Aristoteles ea continuationi sermonis media interponit, monitus quidem antegressis notionibus condensationis et rarefactionis, quippe quae inter se contrariae sint, eo autem consilio, ut, cum postea (inde ab initio capitis quinti) monstraturus sit, rerum sensilium principia oportere contraria esse et ab omnibus contraria poni, id iam hoc loco in exponendis physicorum principiis, addito etiam Platonis exemplo, simul significet. Rem ita se habere, et e ratione loci grammatica intellegitur et postea magis etiam apparebit ex eius sententia. Quare illa verba uncis interclusimus. Deinde secludenda sunt, quae in loci fine leguntur, „*καὶ ὅσοι δ' ἓν καὶ πολλά φασιν εἶναι κτλ.*" Ab hisce enim verbis plane nova incipit sententiarum series; id quod certissime apparet e generali omnium philosophorum divisione, initio capitis secundi proposita. Nam hac divisione Aristoteles duo maxima distinguit philosophorum genera, alterum eorum, qui id quod est vel summum rerum principium unum tantum esse velint, idque aut immotum aut motu insito praeditum, alterum eorum, qui plura ponant principia, haecque numero aut finita aut infinita; hancque philosophorum divisionem omnino sequitur disputatio. De priore genere disputatio verbis '*ὥσπερ Ἀναξίμανδρός φησιν*' terminatur, quare post ea maxima interpunctione usi sumus; a verbis autem '*καὶ ὅσοι δ' ἓν καὶ πολλά φασιν εἶναι*', ut protinus ex ipsis patet, incipit disputatio de altero genere. Arcta autem, quae inter prioris disputationis finem et posterioris initium

---

1) Cur post '*φησίν*' maxima usi simus interpunctione, paullo post explicabitur.

intercedere videtur, coniunctio eo effecta est, quod Aristoteles, postquam Anaximandri sententia dixit 'τὰς ἐναντιότητας ἐκκρίνεσθαι', hac secretionis notione, quippe quae ad Anaxagoram et Empedoclem etiam pertineat, ita usus est, ut ad hos transiret. Proeuntibus res magis etiam apparebit[1]). His praemonitis ad ipsam loci explicationem adgredimur.

15. Ac principio quaerendum est, quid sit id, de quo proprie hoc loco agatur; de qua re qui dixerunt, maximo opere dissentiunt. Zellerus enim, quamvis enuntiationis ab Aristotele propositae praedicata contineantur duobus iis modis, quibus physici in rebus gignendis utantur, tamen proprie solum de numero et qualitate elementorum agi censet, nec vero de ea ratione, qua e principiis rerum multitudo oriatur; et Haymium aliter sentientem impugnat[2]). De qua re ego sic existimo, dici quidem de utroque, et de principiorum numero, si modo unum dici potest numerus, et de eorum qualitate, neutrum autem esse id ipsum, de quo agatur. Alius Aristotelem opinatur id solum agere, ut in physicorum quoque principiis cerni ostendat rationem contrariorum[3]). Quae opinio non solum tota commenticia est, quoniam et ab ipsis loci verbis et ab ea, ad quam is

---

1) Cf. de hac posteriore loci parte supra p. 57, ubi omisimus addere, eam maxima interpunctione a priore separandam esse.

2) Zeller I, p. 191 et not. 1: „Nehmen wir hinzu, dass es sich in dem fraglichen Abschnitt der Physik ursprünglich überhaupt nicht um die Art, wie die Dinge aus den Elementen entstehen, sondern um die Zahl und Beschaffenheit der Stoffe handelt u. s. w.“

3) Lütze, das Apeiron Anax. p. 57: „Gehen wir etwas näher auf den Zusammenhang ein, so erkennen wir alsbald, dass es sich zunächst und hauptsächlich weder darum handelt, was Zeller will, noch auch um eine Entgegensetzung unter den Physiologen selbst, sondern . . . um die Aufzeigung von Gegensätzen in den Principien dieser Philosophen.“

locus pertinet, sententiarum serie omnino aliena est, sed etiam plane inutilis ad eam rem, cuius caussa excogitata est, ad removendam eam rationem, ob quam Schleiermacherus et Zellerus negant, *τὸ μεταξὺ* ab Aristotele ad Anaximandrum referri[1]). Cum igitur de summa loci sen-

1) Quae a Lützio, ac partim quidem satis imperspicue, disputantur, haec fere sunt. Postquam contendit, Aristotelem proprie id agere, ut in physicorum quoque principiis contrariorum rationem cerni ostenderet, id (p. 58) ait aperte („klar und deutlich") inde sequi, quod capite secundo et tertio contra Eleatas ostendat, id quod est non posse esse unum, capite autem quinto contendat, omnes philosophos contraria ponere principia, atque ita quidem contendat, ut antea dicta repetat ac congreget. Sed haec ratio prorsus commenticia est. Etenim Aristoteles capite quinto non antea dicta repetit, sed disputationem plane novam inchoat. Id primum patet e forma orationis; namque particula 'δὴ' in verbis '*πάντες δὴ τἀναντία ἀρχὰς ποιοῦσιν*' non conclusionem quandam significant, ut Lützius putat, — vertit enim „demnach" — sed vim vocabuli '*πάντες*' auget atque cumulat. Deinde pariter patet e rebus; nam Aristoteles, simulatque hanc sententiam proposuit, eo probat, quod, quae a singulis philosophis posita sint principia contraria, nominatim adfert, atque in his Parmenidis quoque duo illa rerum sensilium principia, *τὸ θερμὸν καὶ ψυχρόν*, quorum antea nulla facta est mentio, et Democriti *τὸ στερεὸν καὶ κενόν*, de quibus antea non locutus est (cf. c. 2. 184^{b} 21); et hanc enarrationem ita concludit, ut ex ea sententiam propositam apertam esse dicat (188^{a} 26). Denique patet e tota primi libri dispositione; hic enim in duas dividitur partes, quarum priore (cap. 2—4) priorum philosophorum de principiis opiniones explicat et existimat, posteriore (inde a cap. quinto usque ad finem) suam ipsius sententiam exponit, atque, cum rerum sensilium principia demonstraturus sit contraria esse oportere, disputationem ita incipit, ut ab omnibus philosophis dicat principia contraria poni.

Sed ut opinio tota commenticia est, ita plane inutilis est ad removendam eam loci rationem, ob quam Aristoteles putatur *τὸ μεταξὺ* non ad Anaximandrum referre. Quamquam quae Lützius de hac re loquitur, vix clara cogitatione concipi possunt, tamen aptius significata et composita haec fere sunt. Aristotelem, ait, si proprie id agat, ut in ipsis physicorum principiis inesse ostendat ra-

tentia dissentiatur, ab hac autem singulorum explicatio pendeat, diligentius de ea quaerendum est, praesertim cum locus a nemine etiam, quantum sciam, plane explicatus sit. Arctissime autem eius sententia cum iis cohaeret, quae antecesserunt; quare ab his proficiscendum est.

Itaque Aristoteles initio capitis secundi, ubi incipit

---

tionem contrariorum, iam non id primum agere, ut duos eos quibus ad res gignendas utantur, modos (condensationem et rarefactionem dico et contrariorum secretionem) inter se opponat; et quamvis quandam eorum oppositionem significare videatur, tamen noluisse significare, quoniam revera nulla sit („obgleich sie Arist. nahe gelegt und veranlasst hat, die aber genauer besehen gar nicht stattfindet, auch nicht beabsichtigt ist.“ p. 59). Quodsi autem ab Aristotele duo illi generationis modi inter se non opponantur, nec Anaximandrum opponi reliquis physicis, et idcirco nihil impedire, quominus Anaximander, cui generatio per contrariorum secretionem tribuatur, ab Aristotele intellegatur is, qui τὸ μεταξὺ ponat, licet ab eo, qui τὸ μεταξὺ ponant, in iis adferantur, qui condensatione et rarefactione utantur. — Ista igitur num refutatione egent? Quid enim hoc est, Aristotelem significare quidem illos generandi modos tamquam oppositos, nec vero voluisse significare? Aristoteles duobus his generandi modis utitur principio, quo physicos in duas dividit species, eos, qui condensatione et rarefactione, et eos, qui conrariorum secretione rerum multitudinem gigni velint. Num ulla est dicendi ratio, qua apertius duae res inter se possint opponi quam divisione? an Aristoteles putandus est nescivisse, quid diceret? Iam vero Aristoteles in illa divisione, ut quidem Lützius verba eius intellegit, eos, qui τὸ μεταξὺ statuant, in eorum specie ponit, qui condensatione et rarefactione utantur; ergo non potest in eorum etiam specie ponere, qui contrariorum secretione res gignant, veluti Anaximander, siquidem illis generandi modis physicos in disiunctas species dividit. Ergo fieri non potest, ut Anaximandrum τὸ μεταξὺ ponere putet. Itaque aut ex ipsa loci ratione grammatica demonstrandum est, eos, qui τὸ μεταξὺ statuant, ab Aristotele non in ea physicorum specie poni, cui ab eo generatio per condensationem et rarefactionem tribuatur, aut concedendum, ab eo τὸ μεταξὺ non ad Anaximandrum referri. Atque haec hactenus!

disputare de principiis, hanc ponit divisionem: rerum principium aut unum solum est aut plura, et, si unum, aut immotum, quemadmodum Eleatis placet, aut motu insito praeditum, quemadmodum statuunt physici[1]). Cum autem principii notio angustior sit notione ipsius entis, quoniam id quod est (*τὸ ὄν*) — intellego autem id quod est per excellentiam — non necessario est principium, velut unum illud ens absolutum Eleatarum, e quo nihil gignitur[2]), pro principii notione reponit notionem entis, sic fere dicens: eodem modo id quod est aut unum est aut plura, et, si unum, aut immotum aut motu praeditum[3]); atque hac divisione deinceps pro illa priore semper utitur, ut simul Eleatarum doctrinam comprehendat. Hac igitur divisione posita, tota ea disputatione, cuius is de quo quaerimus locus altera pars est, de iis agit, qui id quod est unum ponant, quos, ut vidimus, in duo divisit genera, Eleatas et physicos.

Priore huius disputationis parte[4]) de Eleatis agit. Quos cum antea id quod est unum et immotum ponere dixerit, nunc accuratius doctrinam eorum sic explicat, ut eos dicat id quod est et numero et specie sive forma unum, id est, unum et simplex ponere, et, quoniam immotum ponant, id unum putare omnia esse, ita ut praeter hoc nihil sit omnisque rerum multitudo tollatur[5]); et hanc ob caussam illud eorum unum ens nec principium vocari posse,

1) Phys. I, 2. 184 15.

2) Ibid. 185^{a} 3.

3) Ibid. 184^{b} 22; cf. v. 25 et c. 3. 187^{a} 10.

4) Inde a 184^{b} 25 (a verbis; *τὸ μὲν οὖν εἰ ἓν καὶ ἀκίνητον τὸ ὂν σκοπεῖν*“) usque ad 187^{a} 11.

5) Hae entis Eleatarum notae magis e tota Aristotelis disputatione sequuntur, quam ab eo singillatim certis verbis exprimuntur; patent autem prae ceteris e locis 185^{a} 7 et 21—30; ibid. ^{b} 3—5; 186^{a} 19 et 25 sq.; 187^{a} 6.

siquidem principium sua ipsius notione referatur ad alia, quorum principium sit[1]).

Postquam Eleatarum doctrinam exposuit simulque subtilissima disserendi arte existimavit ac refutavit, altera eiusdem disputationis parte, eo loco, de quo quaerimus, doctrinam physicorum explicat, tam presse, ut haud sciam an ullo loco tam paucis verbis tanta sententiarum vis contineatur. Cum igitur physicos in generali illa divisione dixerit id quod est unum et motu insito praeditum ponere, nunc hanc eorum doctrinam accuratius, si universam loci sententiam respicimus, sic definit: physicos pariter atque Eleatas id quod est et numero et forma unum[2]), hoc est, unum et simplex dicere; namque dicere unum corpus id, quod omnibus subiectum sit (*ἓν σῶμα τὸ ὑποκείμενον*); quoniam autem id unum corpus omnibus subiectum statuant motu insito praeditum esse, non, quemadmodum Eleatas, ita unum dicere, ut praeter id ipsum nihil sit, sed ita, ut id motu ipsi insito ex sese omnem rerum multitudinem progignat; et, cum hac re omnes physici consentiant, eo in duas dividi species, quod alteri illum motum in condensatione et rarefactione, alteri in contrariorum secretione ponant. Iam ex ipsis verbis huius explicationis veritas probanda est.

Aristoteles disputationem de Eleatis his concludit verbis:[3]) „*ὅτι μὲν οὖν οὕτως ἓν εἶναι τὸ ὂν ἀδύνατον, δῆλον.*" In his verbis vox '*οὕτως*' eam rationem significat, qua Eleatae id quod est unum dicant. Cuius rationis Aristoteles uno tantum loco accuratam proposuit definitionem, in generali illa divisione toti disputationi praemissa, qua dixit Eleatas id quod est unum et immotum ponere;

---

1) 185 a 3.

2) Vocabula „numero et forma" addidi e loco 186 a 19—20, de quo inferius agetur.

3) 187 a 10.

quam quidem definitionem in sequenti disputatione nunquam repetit, sed explicat solum et reprobat. Ad illum igitur locum vox *οὕτως* referenda est; quod si fit, verborum sententia haec est: ʻapparet igitur, id quod est non posse unum esse ea ratione, quatenus id simul immotum diciturʼ[1]). His dictis Aristoteles continuo convertitur ad physicorum doctrinam, hisce verbis: „*ὡς δὲ οἱ φυσικοὶ λέγουσι* (sc. *ἓν εἶναι τὸ ὄν* — id enim patet mente addendum esse), *δύο τρόποι εἰσίν*.“ In quibus verbis voce ʻ*ὡς*ʼ aperte ea significatur ratio, qua physici id quod est unum dicant. Huius autem rationis Aristoteles pariter uno tantum loco definitionem proposuit, in eadem illa generali divisione, qua physicos dixit id quod est unum et motu insito praeditum (*ἓν καὶ κινούμενον*) ponere[2]). Hanc igitur physicae rationis definitionem voce ʻ*ὡς*ʼ intellegit[3]) huiusque rationis duas formas (*δύο τρόπους*) esse dicit. Quod si verum est, verborum sententia haec efficitur: ʻeius autem rationis, qua id quod est ita unum dicitur, ut simul praeditum sit motu, quae est ratio physicorum, duae sunt formaeʼ.

Itaque his verbis duo continentur, primum, quae communis omnium physicorum doctrina sit, deinde, huius doctrinae apud physicos duas esse formas; atque ipsam doctrinam e relatione vocis ʻ*ὡς*ʼ apparet in eo poni, quod id quod est unum et motu praeditum dicant, hancque omnibus

---

1) Sententia apparet, si verba ita supplentur: „*ὅτι μὲν οὖν οὕτως ἓν εἶναι τὸ ὂν ἀδύνατον, ὥστε ἀκίνητον εἶναι, ὥς φησι Παρμενίδης καὶ Μέλισσος, δῆλον.*“ Cf. 184b 15 et 25.

2) 184b 15—18.

3) Vocem ʻ*ὡς*ʼ referendam esse ad locum quendam antecedentem, patet etiam ex ipsa enuntiationis forma. Namque enuntiatio aperte in eo versatur, ut physicae rationis duae esse dicantur formae; haec ratio ipsa autem tamquam nota sumitur, nec vero nota esse potest nisi ex antegressis. Ac revera sententia statim sequenti duae illae formae aperte enuntiantur, ipsa autem illa ratio non nisi quadam adpositione explicatur.

communem esse, e vocabulo '*οἱ φυσικοὶ*' intellegitur; duas autem huius doctrinae apud physicos formas esse, ipsis verbis '*δύο τρόποι εἰσὶν*' enuntiatur. Sed quaeritur, ad quamnam communis illius doctrinae partem haec physicorum differentia pertineat. Cum omnes physici id quod est his duobus definiant, quod unum et quod motu praeditum esse dicunt, cumque priore cum Eleatis consentiant altero autem ab iis differant, physicorum inter se ipsos differentia non nisi in aliqua posterioris notae differentia posita esse potest. Ergo illi '*δύο τρόποι*' necessario sunt *δύο τρόποι τῆς κινήσεως*, quam uni enti volunt insitam esse; ac revera sententia sequenti hunc motum alteri in condensatione et rarefactione, alteri in contrariorum secretione ponere dicuntur. Itaque tota Aristotelis sententia haec est, omnes physicos eo consentire, quod id quod est unum et motu praeditum dicant, quadam autem huius motus differentia in duas dividi species.

Iam vero illa physicorum entis definitio, qua unum et motu praeditum dicitur, omnino infinita est nec ullo modo ipsum huius entis naturam patefacit. Certe ipsa eius natura non eadem est atque entis Eleatarum. Cum enim physicorum ens ab Eleatarum ente eo differat, quod praeditum est motu, unumquodque autem genus differentiae alicuius accessione ipsum quodammodo immutetur[1]), physicorum ens ab ente Eleatarum non solum illa differentia differt, verum tota sua natura ab illo differre oportet; oportet enim sua ipsius natura ad recipiendum motum aptum esse, velut oportet corporeum nec vero incorporeum esse. Exspectabis igitur, Aristotelem ipsam quoque physicorum entis naturam indicavisse, praesertim cum, quas paullo post adfert illius differentias, duas illas dico motus formas, sine hac natura non possint intellegi. Indicavit

---

1) Cf. Aristot. Metaph. X, 8. 1058 a 2 sq.; Part. An. I, 3. 643 a 1.

autem hac sententia sequenti: „*οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα τὸ ὑποκείμενον, ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο, ὅ ἐστι πυρὸς μὲν πυκνότερον ἀέρος δὲ λεπτότερον, τἆλλα γεννῶσι πυκνότητι καὶ μανότητι πολλὰ ποιοῦντες, ... οἱ δ' ἐκ τοῦ ἑνὸς ἐνούσας τὰς ἐναντιότητας ἐκκρίνεσθαί* [*φασιν*]." Ut autem, quo eam modo indicet et, cum hic modus paullo inelegantior sit, cur hoc modo indicet, intellegatur, pauca de totius orationis forma praemittenda sunt.

Ergo Aristoteles, ut e verbis, *ὡς δ' οἱ φυσικοὶ λέγουσι, δύο τρόποι εἰσίν*' apparet, postquam ab Eleatarum de uno ente doctrina ad doctrinam physicorum transiit, continuo cogitatione processit ad concipiendas duas huius doctrina formas; atque hunc cogitationis cursum secutus statim, quod cogitatione conceperat, verbis pronuntiavit, dicens, '*ὡς δ' οἱ φυσικοὶ λέγουσι, δύο τρόποι εἰσίν*', communem autem eorum de ipsa entis natura doctrinam accuratius indicare omisit. Hac sententia pronuntiata iam ipsa inchoatae orationis forma cogebatur, statim illas duas formas indicare, id quod fecit his verbis: „*οἱ μὲν γὰρ . . . τἆλλα γεννῶσι πυκνότητι καὶ μανότητι, . . . οἱ δ' ἐκ τοῦ ἑνὸς ἐνούσας τὰς ἐναντιότητας ἐκκρίνεσθαί* [*φασιν*];" hae enim sunt illae duae formae. Cum igitur hanc ob caussam omisisset communem physicorum de ipsa entis natura doctrinam separatim indicare, ipsa autem cogitatione indicare cogeretur, propterea quod sine ea duae illae formae non solum intellegi sed ne recte exprimi quidem poterant, ita indicavit, ut eam in illa physicorum divisione singillatim ad utramque partem tamquam rationem utrique communem adponeret, vel potius ita, ut ad priorem partem adponeret nominatim, ad alteram autem mente suppleret.

Verba, quibus continetur, sunt haecce ipso sententiae initio ad '*οἱ μὲν γὰρ*' adposita: „*ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα τὸ ὑποκείμενον, ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο, ὅ ἐστι πυρὸς μὲν πυκνότερον ἀέρος δὲ λεπτότερον.*" Haec enim verba, quam-

quam oratione ad '*οἱ μὲν*' solum sive ad priorem physicorum partem adposita sunt, pariter tamen ad '*οἱ δὲ*' quoque sive ad alteram partem pertinent ad hancque mente supplenda sunt. Quam rem ita se habere, paullo post in alia caussa demonstrabimus; quare hoc loco, ne bis idem dicendum sit, sumimus. Quodsi autem pariter ad utramque partem pertinent, non significant quandam doctrinae differentiam priori parti propriam, verum doctrinam utrique parti, id est, omnibus physicis communem. Haec doctrina quae sit, ex ipsorum verborum explicatione patebit.

Quod primum attinet ad verborum rationem grammaticum, facile patet, '*τὸ ὂν*' esse obiectum, '*ποιήσαντες ἓν σῶμα τὸ ὑποκείμενον, ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο κτλ.*' praedicatum[1]). In hoc praedicato verbis '*ποιήσαντες ἓν σῶμα*' duae sententiae coniunctae sunt, altera, illos physicos id quod est unum, altera, eos id unum ens corpus esse velle; quae duae sententiae seorsum concipiendae sunt. '*Τὸ ὑποκείμενον*' est attributio ad '*ἓν σῶμα*', qua infinita notio unius corporis, in quo illi positum esse velint *τὸ ὄν*, peculiari quadam proprietate definitur et in notionem convertitur eius unius corporis, quod omnibus rebus, id est, omnibus singularibus corporibus, subiectum sit[2]). Denique verba '*ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο ὅ ἐστι πυρὸς*

---

1) Verborum ratio grammatica haec est: „*οἱ μὲν γὰρ τὸ ὂν ποιήσαντες ἓν σῶμα τὸ ὑποκείμενον, ἢ — ἤ.*“

2) Attributio illa '*τὸ ὑποκείμενον*' omnium maxime ipsam entis notionem a physicis propositam continet, pariter atque in definitionibus differentia maxime rei naturam aperit; quare utile, immo necessarium esse videtur, paucis eius vim exponere. — Eleatae id quod est ita unum esse statuebant, ut praeter id unum nihil esset omnisque rerum multitudo tolleretur. Aristoteles de hac doctrina disserens, quoniam vocabulum *τὸ ὂν* pluribus modis intellegatur, ab Eleatis quaerendum esse ait, *τὸ ὄν*, quod ista ratione unum dicant,

μὲν πυκνότερον ἀέρος δὲ λεπτότερον' sunt adpositio ad

---

cuiusmodi esse velint, num forte unam substantiam, veluti unum hominem vel equum, an unam qualitatem quantitatemve (Phys. I, 2. 185 a 20). Pariter nunc, si Aristoteles physicos dixisset id quod est unum corpus ponere, nulla huius unius corporis attributione addita, quoniam plura sunt corporum genera, quaerendum esset, hoc unum corpus num forte unum continuum globum cubumve an unius animalis corpus vel plantae vel alius cuiusdam rei esse voluissent; praeterea incertum relinqueretur, an forte physici quoque, in hac re cum Eleatis consentientes, id quod est ita unum corpus dixissent, ut praeter hoc unum corpus, veluti unum globum vel unius animalis corpus, nihil esset, omni rerum multitudine sublata; atque si id quidem credi non posset, quoniam pugnat cum ea physicorum ratione, quod id quod est motu volunt praeditum esse atque tali quidem motu, quod per se generans sit multitudinis, tamen nullo modo appareret, qua ratione id quod est et unum et tale dici posset corpus, quod propter motum insitum multitudinem simul contineret. Haec igitur ambiguitas prorsus tollitur eo, quod ad *ἓν σῶμα* attributio '*τὸ ὑποκείμενον*' additur. Hac enim attributione generalis illa atque infinita unius corporis notio, quippe qua quodlibet unum corpus significari possit, convertitur in notionem unius corporis peculiari quadam vi ac proprietate definiti, eius dico corporis, quod unum omnibus rebus sive omnibus corporibus singularibus subiectum sit; eadem attributione simul intellegitur, qua ratione id quod est et unum et tale dici possit corpus, quod propter motum ipsi insitum rerum multitudinem contineat; propterea enim dicitur unum, quod substantia omnibus rebus subiecta omnesque res suo motu ex sese generans una sit. In universum autem attributionis cum articulo nomini postpositae ea est vis, ut generaliorem nominis notionem in unius speciei vel etiam unius rei singularis notionem convertat; veluti si quis, ut hoc exemplo nunc succurrenti utar, ita loquatur, „*πόλεως ἄρχων ἔστω εἷς ἄνθρωπος ὁ ἄριστος*", patet, attributione '*ὁ ἄριστος*' infinitam ac vagam unius hominis notionem, quippe qua quivis homo singularis intellegi possit, abire in notionem unius hominis omnino definiti, praeter quem nullus alius possit intellegi. Atque talis attributionis is, quem explicavimus, locus luculentum est exemplum.

'ἓν σῶμα τὸ ὑποκείμενον', qua huius corporis notio per eius ambitum, id est per eius formas a diversis physicis adhibitas modo disiunctivo explicatur[1]); atque, ut hoc breviter adiciam, ex hac ipsa re, quod diversae hae formae adpositionis modo ad 'ἓν σῶμα τὸ ὑποκ.' adduntur neque autem separatim enuntiantur, intellegi potest, hoc loco non potissimum de distinguendis ipsis his formis id est, de distinguendis diversis principiorum qualitatibus, verum de alia quadam re agi. His disputatis apertum videtur esse, ab Aristotele illis verbis communem omnium physicorum, qui quidem id quod est unum volebant esse, de ipsa entis natura doctrinam hoc modo definiri: physicos id quod est ponere unam substantiam corpoream, eam, quae omnibus rebus subiecta sit, atque quidem aut unum e tribus elementis aut aliam quandam naturam inter aerem et ignem mediam, illa subtiliorem hac autem densiorem.

Haec explicatio confirmatur etiam priore quodam Aristotelis loco, quo is, contra Eleatarum doctrinam disserens, „nec vero", „inquit, id quod est forma potest unum esse nisi ea ratione, quod natura rebus subiecta formâ est una; hac autem ratione etiam physicorum aliqui id quod est dicunt forma unum esse, neque autem illa ratione (ea, qua volunt Eleatae, qui cum multitudine rerum etiam omnem formarum diversitatem tollunt); namque (physicorum illorum sententia) homo et equus (id est, res singulares) et contraria (quae ab illis non tolluntur, quemadmodum ab Eleatis, verum ex illa una natura omnibus subiecta motu insito generantur), formâ diversa sunt"[2]).

---

1) Haec adpositio cum prioribus verbis coniuncta sic poterit verti: „physici, qui id quod est volunt esse unum corpus, id quod omnibus rebus subiectum sit, atque quidem aut unum ex tribus elementis aut aliud inter aerem et ignem medium", vel etiam: „— quod quidem aut unum ex tribus elementis sit, aut vel . . ."

2) Vid. Phys. I, 3. 186^a 19, ubi haec leguntur: „ἀλλὰ μὴν

His enim verbis iam breviter quidem sed perspicue eadem physicorum doctrina significatur, quam posteriore loco accuratius exponi vidimus. Atque ex hisce verbis etiam sumptum est, quod supra physicos id quod est et numero et forma unum sive unum et simplex ponere diximus. Deinde id quoque veritatis signum est, quod illa explicatio non solum cum reliqua physicorum doctrina omnino consentit sed etiam ab ea postulatur. Cum enim ipsa physicorum doctrinae proprietas ab Aristotele in eo ponatur,

---

οὐδὲ τῷ εἴδει οἷόν τε ἓν εἶναι, πλὴν τῷ ἐξ οὗ· οὕτως δὲ ἓν καὶ τῶν φυσικῶν τινὲς λέγουσιν, ἐκείνως δ' οὔ· ἄνθρωπος γὰρ ἵππου ἕτερον τῷ εἴδει καὶ τἀναντία ἀλλήλων." In hisce verbis '*πλὴν τῷ ἐξ οὗ*', quod clarius diceretur, *πλὴν τῷ τοῦ ἐξ οὗ*', significat: '*πλὴν τῷ εἴδει τοῦ ὑποκειμένου*'. Qui memorantur '*τῶν φυσικῶν τινές*', sine dubio intelleguntur ii, qui id quod est vel rerum principium unum esse volebant, quibus ex altera parte opponuntur ii, qui plura rerum principia ponebant. Cf. Phys. I, 2 init. Reliqua ex versione interpositionibus explicantibus aucta satis patebunt. Unum tantum addendum puto. Verba: '*ἄνθρωπος γὰρ ἵππου ἕτερον τῷ εἴδει καὶ τἀναντια ἀλλήλων*' ita pronuntiantur, quasi iis Aristoteles suo nomine demonstrare velit, id quod est non posse ita unum esse, ut Eleatae velint, qui omnem rerum multitudinem ideoque omnem etiam formarum diversitatem tollant. Sed haec verborum interpretatio a loci ratione omnino aliena est. Etenim Aristoteles, ut e particula *γὰρ* apparet, haec verba adhibet argumentum, quo probetur, quod proxime dixit, physicos id quod est non ita forma unum dicere ut Eleatas. Iam vero physicos id quod est non ita forma unum ponere, ut omnem formarum diversitatem tollant, nullo modo inde probatur, quod Aristotelis opinione sunt plures res singulares, quae forma diversae sint, sed ita solum probatur, si physici ipsi praeter unum illam substantiam, in qua ponunt id quod est, esse agnoscunt plures res singulares ex illa substantia ortas, quippe quae forma diversae sint. Quare ex ipsa loci ratione post verba '*ἄνθρωπος γὰρ . . . καὶ τἀναντία ἀλληλων*' aliquid mente supplendum est veluti *ἃ ἐκεῖνοι ἐκ τοῦ ἑνὸς γεννῶσιν*', vel '*ἃ ἐκεῖνοι ὑποτίθενται εἶναι*', ut Aristotelis sententia appareat.

quod id quod est non unum et *immotum*, quemadmodum Eleatae, sed unum et *motu insito praeditum* statuant, cumque is motus non in sola quadam loci mutatione consistat sed talis sit, ut ipse per se rerum multitudinem efficiat, ex hac re duo sequuntur de physicorum ipsius entis notione: primum, ut id quod est non simpliciter unum ponere potuerint, quemadmodum Eleatae, sed ea solum ratione, ut substantiam omnibus rebus subiectam omnesque res ex sese generantem unam esse dicerent; deinde, quoniam ille motus non potest inesse nisi in natura corporea, ut substantiam illam rebus subiectam ponere debuerint corpoream. Atque haec duo sunt ipsa ea, quae illis verbis quibus physici dicuntur '*ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα τὸ ὑποκ. κτλ.*' contineri ostendimus.

Iam quae disputavimus brevibus complectanda sunt. Quaerebatur, quae eius loci, de quo disceptavimus, summa esset sententia. Ad quam quaestionem nunc iam haec videntur respondenda esse: Aristoteles hoc loco non agit de *numero* principiorum; namque toto loco, cuius is, de quo quaeritur, ultima pars est, de solis iis philosophis disputat, qui id quod est velint *unum* esse, et hac ipsa ultima loci parte *singillatim* de physicis, qui id quod est vel, ut nunc iam dicere possumus, rerum principium *unum et motu praeditum* dicant, de iis autem, qui plura rerum principia ponant, sequenti demum loco disserit. Nec agit de *diversis principiorum qualitatibus*; nam quamquam diversa, quae a physicis posita sint, principia distinguit, hisce verbis ad '*ἓν σῶμα τὸ ὑποκείμενον*' adpositis, „*ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο κτλ.*“, quibus illius, quod a physicis principium ponatur, corporis *formae* indicantur, tamen inde, quod hae formae non nisi *adpositionis modo* adferuntur, satis patet, illam principiorum distinctionem non esse id, quod potissimum voluerit. Sed id agit, ut exponat, qua ratione physici, quos iam antea dixit id quod est unum et motu praeditum ponere, *ipsam*

huius unius entis naturam definiant et quibus motus formis ex hoc uno ente rerum multitudinem gignant.

16. Postquam summam loci sententiam cognovimus, iam ad eam transimus loci partem, cuius caussa totam illam de summa loci sententia instituimus, eam dico partem, qua explicata patebit, ut opinor, naturam illam inter aerem et ignem mediam ab Aristotele ipso tribui Anaximandro. Hanc partem quam intellegamus, vix poterit ambiguum esse. Aristoteles enim in exponenda physicorum doctrina, postquam dixit, 'οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα τὸ ὑποκείμενον', ad verba 'ἓν σῶμα τὸ ὑποκείμενον' hanc addit adpositionem, 'ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο, ὅ ἐστι πυρὸς μὲν πυκνότερον ἀέρος δὲ λεπτότερον'. Quaerendum igitur est, ad quemnam physicum horum corporum unumquodque referendum sit; cum autem trium elementorum, aquae aeris ignis, auctores omnino noti sint, iam omnis quaestio in eo versatur, quis e physicorum numero ab Aristotele intellegatur is, qui unum illud corpus omnibus rebus subiectum naturam quandam velit esse inter aerem et ignem mediam, illo subtiliorem hoc autem densiorem. Huius autem quaestionis solutio omnino pendet ab alia quaestione satis difficili, quae tota est de ratione grammatica verborum 'ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα τὸ ὑποκείμενον κτλ.', quae in illa Aristotelis sententia ad 'οἱ μὲν' adposita leguntur. Ab hac igitur quaestione incipiendum est, atque ita quidem, ut primum ipsa quaestionis caussa planius exponatur.

Itaque in illa sententia, ut patet e vocibus *οἱ μὲν — οἱ δέ*, quae generis alicuius divisionem significant, physici ii, qui id quod est unum et motu praeditum esse statuant (de his enim solis agitur), in duas dividuntur partes; differentia, qua dividuntur, in eo ponitur, quod alteri ex una re omnibus subiecta rerum multitudinem condensatione et rarefactione, alteri contrariorum secre-

tione generari velint, quae quidem differentia perspicue indicatur ipsis verbis, quae ita scribuntur: „*οἱ μὲν* . . . . *τἆλλα γεννῶσι πυκνότητι καὶ μανότητι πολλὰ ποιοῦντες, οἱ δὲ ἐκ τοῦ, ἑνὸς ἐνούσας τὰς ἐναντιότητας ἐκκρίνεσθαί* [*φασιν*]". Iam vero ad '*οἱ μὲν*', id est, ad priorem physicorum partem, addita sunt verba, '*ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα τὸ ὑποκείμενον, ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο, ὅ ἐστι πυρὸς μὲν πυκνότερον ἀέρος δὲ λεπτότερον*', quae verba aperte sunt adpositio, qua illi '*οἱ μὲν*', aliquo modo definiuntur; ad '*οἱ δὲ*' autem nulla eiusmodi adpositio addita est, sed nudi quasi cum suo praedicato coniunguntur. Quae cum ita sint, necessario haec exoritur quaestio, illa verba ad '*οἱ μὲν*' adposita utrum ad hos solos pertineant, an ad '*οἱ δὲ*' quoque, id est, ad alteram physicorum partem, referenda sint. Haec autem quaestio ad loci intellectum gravissima est; namque si ad '*οἱ μὲν*' solum pertinent, quandam significant differentiam, qua hi ab altera physicorum parte differant, quam quidem differentiam illa summa differentia, quam in diversa de rerum generatione doctrina poni vidimus, priorem esse illiusque rationem continere oporteat; sin autem pariter ad '*οἱ δὲ*' quoque referenda sunt, significant rationem utrique parti sive omnibus physicis communem. Ad quam quaestionem quamquam antea iam ita respondimus, ut verba illa pariter ad '*οἱ μὲν*' et ad '*οἱ δὲ*', id est ad utramque physicorum partem pertinere diceremus, tamen caussas, ob quas ita respondendum esse videretur, non attulimus; hae igitur nunc iam indicandae sunt.

Primum igitur non obstare rationem grammaticam, quominus illa verba ad '*οἱ μὲν*' adposita ad '*οἱ δὲ*' quoque referantur, facili opere intellegitur. Quamvis enim elegantius et ad graecae linguae usum accommodatius sit, si genus aliquod vocabulis *ὁ μὲν* — *ὁ δὲ* vel *οἱ μὲν* — *οἱ δὲ* in partes dividitur, ipsum genus eiusque attributiones anteponere ac tum demum genus in partes dividere, tamen

a cogitandi dicendique legibus non abhorret, ab indicandis partibus incipere et cum unaquaque parte generis notionem coniungere, sive ita, ut singillatim cum unaquaque coniungatur, sive ita, ut coniungatur cum prima solum et ad reliquas mente suppleatur. Quare si ponimus, verba '*ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν κτλ.*' pariter ad *οἱ μὲν* et ad *οἱ δὲ* pertinere ideoque, quod cum hac sententia coniunctum est, illis verbis contineri statuimus notionem generis, quod vocabulis *οἱ μὲν* — *οἱ δὲ* in duas distribuatur partes, divisio maxime quidem esset et ad rerum ordinem disposita et ad graecae linguae usum accommodata, si generis notione praeposita hoc modo diceretur: '*ἓν γὰρ ποιήσαντες* [*οἱ φυσικοὶ*] *τὸ ὂν σῶμα . . . . οἱ μὲν τἆλλα γεννῶσι πυκνότητι καὶ μανότητι πολλὰ ποιοῦντες, οἱ δὲ ἐκ τοῦ ἑνὸς ἐνούσας τὰς ἐναντιότητας ἐκκρίνεσθαί* [*φασιν*]'; sed tamen ita quoque et ad naturalem cogitandi rationem recte et ad intellegendum satis aperte exprimi potuit, ut statim initio partes ponerentur hisque notio generis, cuius partes intellegendae essent, adponeretur, in hunc modum: '*οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα . . . . τἆλλα γεννῶσι π. κ. μ. π. π., οἱ δὲ* [sc. *ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα . . .*], *ἐκ τοῦ ἑνὸς ἐ. τ. ἐ. ἐκκρίνεσθαί* [*φασιν*]'; quo ipso modo loci verba scripta sunt[1]). Atque in promptu etiam est, quam ob

---

1) Ex usu videtur esse, rem exemplo illustrare. Itaque si philosophi aliqui in quadam doctrina consentientes tamquam genus in duas dividantur partes, hoc modo: „alteri philosophi, qui summam rerum caussam menti tribuunt, hanc mentem ipsis rebus insitam, alteri separatam a rebus per seque constantem esse volunt," in qua divisione „philosophi qui — tribuunt" genus significant utrique parti commune, haec divisio nec dissentit a naturali cogitationis motu et satis perspicue sententiam aperit, quamvis elegantius et distributius sit, si, generis notione praemissa, in hunc modum dicatur: „philosophi, qui — tribuunt, partim —, partim —" vel „philosophorum, qui — tribuunt, alteri —, alteri —". Num apud graecos auctores illa dividendi ratio sit frequentior, nunc dicere non

caussam Aristoteles hanc posteriorem orationis formam elegerit; cum enim proxime duas physicorum doctrinae esse dixisset formas, partes physicorum his doctrinae formis differentes ita in eius mente proximae debebant esse, ut ab his ipsis indicandis inciperet ac tum demum generis notione eas definiret.

Sed verba illa non possunt solum pariter ad 'οἱ μὲν' et ad 'οἱ δὲ' pertinere, verum necessario ad utrosque referenda sunt; id quod sic puto demonstrari. Si verba 'ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα τὸ ὑποκείμενον, ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο κτλ.' non ad utrosque pertinent, quandam significant differentiam, qua prior physicorum pars ob altera differat, cuius differentiae quam oporteat esse rationem, antea vidimus[1]). Hoc autem si ponimus, cum non una solum generis differentia sit sed duae, quae ita inter sese habeant, ut altera alteri sit contraria, sequitur, ut alteri physici, qui dicuntur 'οἱ δέ', differentia definiendi sint illi contraria, ut igitur, quoniam contrariorum utrumque alterius implicat negationem, dicendi sint 'τὸ ὂν μὴ ἓν ποιήσαντες σῶμα τὸ ὑποκ., ἢ — ἢ'. Cum autem contrariorum natura ea sit, ut utrumque eorum non solum alterius negationem contineat verum ipsum etiam sit aliquid, quod in eodem quidem versetur genere atque alterum, sed ab hocce sua ipsius qualitate omnium maxime diversum sit, haec differentia accuratius definienda est. Iam vero facile patet eam triplici ratione informari posse. Cum enim priores physici non una simplici notione sed tribus notionibus de-

---

ausim, quoniam in legendo animum ad hanc rem non attendi; in praesentia unius tantum memini loci, qui legitur in Parmenidis fragmentis v. 126, Mullach:

„αἱ γὰρ στεινότεραι πεποίηντο πυρὸς ἀκρίτοιο, αἱ δ' ἐπὶ ταῖς νυκτός", in quibus verbis στεινότεραι (στεφάναι) genus continent, quod vocibus αἱ — αἱ δὲ in duas partes dividitur.

1) P. 168.

finiantur, eo, quod id quod est unum, et quod hoc unum unum corpus, et quod hoc unum corpus aut unum e tribus elementis aut naturam quandam inter duo elementa mediam esse velint, ea, quae alteri physicorum parti mente addenda est, differentia ad quamlibet illarum notionum referri potest, et idcirco primum potest in eo poni, quod hi physici id quod est corpus quidem nec vero unum sed plura [1]), deinde in eo, quod unum quidem, nec vero corpus, neque unum ex elementis neque inter duo elementa medium (corpore enim negato simul negantur eius species), sed aliquid incorporeum (*ἀσώματόν τι*), denique in eo, quod et unum et corpus quidem, nec vero aut unum ex elementis aut inter duo elementa medium, sed corpus aliquod ab hisce diversum esse velint; protinus autem apparet, unamquamque harum differentiarum illi priori contrariam esse [2]). Quaeritur igitur, quam earum Aristoteles in altera physicorum parte intellegi voluerit.

---

1) Quoniam haec prima differentia in eo solum posita est, quod id quod est negatur unum esse, proprie sic significanda esset, ut hi alteri physici dicerentur id quod est corpus quidem, idque aut unum e tribus elementis aut inter duo elementa medium, nec vero unum sed plura ponere; sed si fingimus, hos physicos id quod est corpus quidem hoc autem non unum sed plura ponere, vix cogitari potest, haec plura corpora omnia unius cuiusdam elementi aut unius cuiusdam naturae mediae qualitatem habere.

2) Cum priores physici, siquidem verba '*ἓν ποιήσαντες κτλ.*' differentiam significant, ab Aristotele sic definiantur: „*οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα τὸ ὑποκείμενον ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο,*" trium illarum differentiarum natura contraria optime apparet, si eas Graecis verbis illis Aristotelis verbis opponimus. Itaque prioribus physicis alteri hac triplici ratione opponi possunt:

1. „*οἱ δὲ ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα μὲν τὸ ὑποκείμενον, μὴ ἓν δὲ ἀλλὰ πολλά.*"

2. „*οἱ δὲ ἓν μὲν ποιήσαντες τὸ ὄν, μὴ σῶμα δέ, μηδὲ ἕν τι τῶν τριῶν μηδὲ ἄλλο, ἀλλ' ἀσώματόν τι.*"

Atque primam quidem certe non intellexit; namque et e sententia proxime antecedenti apparet, eum hoc loco de iis solum physicis agere, qui id quod est unum dicant, et hoc ipso loco Anaximandrum, quem in altera horum physicorum parte ponit, *ἐκ τοῦ ἑνὸς* refert contrariorum secretione rerum multitudinem generare. Sed nec fieri potest, ut aut secundam aut tertiam intellegi voluerit. Namque si ponimus, Aristotelem alteros physicos a prioribus eo voluisse differre, quod id quod est unum quidem nec vero corpus, ideoque neque unum e tribus elementis neque corpus quoddam inter aerem et ignem medium, sed aliquid incorporeum dicerent, sequitur, ut Anaximandrum, quem paullo post in his alteris physicis numerat, id quod est non corporeum aliquid sed incorporeum dicere putaverit. Quodsi autem ponimus, Aristotelem alteros physicos prioribus ea ratione opponi voluisse, quod id quod est unum corpus quidem, nec vero aut unum ex elementis aut corpus quoddam inter duo elementa medium, sed quandam corporis formam ab hisce omnibus diversam dicerent, rursus sequitur, ut Anaximandrum negaverit id quod est corpus quoddam ponere inter aerem et ignem medium. Aristotelem autem neque illo neque hoc modo de Anaximandro sensisse, primum quidem pluribus aliis ipsius locis probari potest, quorum alteris quidam philosophi memorantur qui corpus quoddam sensile, alteris quidam, qui naturam quandam aut inter aquam et aerem aut inter aerem et ignem mediam rerum principium ponant; quibus quidem locis Anaximandrum intellegi, etsi non aperte no-

---

3. *οἱ δὲ τὸ ὂν ποιήσαντες ἓν σῶμα μὲν, μὴ τῶν τριῶν δέ τι ἢ ἄλλο, ἀλλ' ἕτερόν τι σώματος εἶδος.*"

Praeter has tres differentias etiam quarta in eo poni possit, quod id quod est nec unum nec corpus esse velint sed plures res incorporeas; sed de hac non opus est seorsum quaerere, quoniam, si duae primae forte refutatae fuerint, simul refutata erit.

minatur, tamen aut ex ipsis aut e plurium locorum comparatione certo cognoscitur. Sed hisce argumentis ex aliorum locorum comparatione petitis nunc non utimur, quoniam, si verum esse volumus, quod diximus naturam inter aerem et ignem mediam nostro loco certis verbis ab Aristotele Anaximandro tribui, id ex ipsa huius loci ratione debet perspicuum esse. Appariturum autem esse opinor hoc modo.

Diximus, si verba ad 'οἱ μὲν' adposita significarent differentiam quandam, qua priores physici ab alteris, qui illis vocabulo 'οἱ δὲ' opponuntur, differrent, ad hos alteros mente addendam esse differentiam illi contrariam, de hacque differentia quaerentes quae esset, non unam tantum sed tres invenimus, quae pariter illi essent contrariae. Iam vero amplius quaerentes, quamnam ex his tribus differentiis Aristoteles putandus sit voluisse intellegi, si ipsum hunc Aristotelis locum per se solum spectamus, primum in orationis forma omnino nihil esse cognoscimus, quo haec quaestio diudicari possit; cum enim prior illa differentia e tribus notionibus iuncta sit, Aristoteles eam propositione 'οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες' non ita verbis pronuntiat, ut, in quanam trium illarum notionum ipsam differentiae vim positam esse voluerit, ullo modo possit dignosci; et hanc ob caussam in illis tribus differentiis nulla est, quae prae reliquis duabus quasi quadam cogitationis necessitate priori opponatur. Quod deinde ad res attinet, ex hisce iam antea cognovimus, primam differentiam, eam, quod alteri physici fortasse id quod est non unum sed plura ponere dicerentur, ab Aristotele intellegi non potuisse, propterea quod id cum aliqua huius ipsius loci sententia pugnaturum esset; atque inde sequitur, ut, si omnino aliquam intellexit, alteramutram reliquarum duarum intellegere debuerit; utrum autem intellexerit, ut non ex orationis forma, ita nec e rebus ullo modo potest conici. Sed hanc ipsam ob caussam, quod nec e forma orationis

nec e rebus ullo modo, utram voluerit intellegi, divinari potest, necessario fere statuendum est, eum nec unam nec alteram intellegi voluisse, quoniam, si voluisset, sine dubio aliquo certe modo, utram vellet, significaturus fuisset, praesertim cum in promptu esset sine ulla orationis mutatione aut ita dicere: '*οἱ δὲ ἓν μὲν ποιήσαντες τὸ ὄν, μὴ σῶμα δέ, ἀλλ' ἀσώματόν τι* (vel brevius etiam: '*οἱ δὲ ἓν ποιήσαντες ἀσώματόν τι*') *ἐκ τοῦ ἑνός κτλ.*', aut ita: '*οἱ δὲ ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα μέν, μὴ τῶν τριῶν δέ τι ἢ ἄλλο* (vel brevius: '*οἱ δὲ ποιήσαντες μὴ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο*'), *ἀλλ' ἕτερόν τι σῶμα παρὰ ταῦτα*'. Si quis nihilo minus fieri posse putet, ut Aristoteles alteramutram intellegi voluerit, respondendum est, hanc rem per se non esse quidem in iis, quae omnino non possint fieri, sed eam ne levissimo quidem argumento probari posse, neque directo ex ullo huius ipsius loci momento, neque inde, quod locus aliter non possit explicari, siquidem eum alia ratione explicari posse iam ostendimus. Praeterea autem ex aliis Aristotelis locis, quos antea iam significavimus sed in hac disputatione praetermittendos esse censuimus, demonstrabitur, ab Aristotele alterorum physicorum, id est Anaximandri, principium corpus quoddam hocque corpus naturam quandam inter duo elementa mediam esse putari; quae demonstratio sententiam de hoc loco propositam firmabit, ut ipsa ea firmabitur.

His expositis iam breviter sic licet concludere: si Aristoteles, cum alteros physicos, eos, qui vocabulo '*οἱ δὲ*' intelleguntur, prioribus opponeret, in hisce alteris non aliquam e tribus illis differentiis intellegi voluit, sequitur, ut nec verbis '*ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν κτλ.*' ad '*οἱ μὲν*' adpositis significare voluerit quandam differentiam, qua priores ab alteris different. Quodsi autem illa verba non significant priorum physicorum ab alteris differentiam, necessario utrorumque genus sive rationem omnibus physicis communem significant. Quare locus, si simul to-

tam eius rationem grammaticam respicimus, sic intellegendus est: „οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα τὸ ὑποκείμενον, ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο, ὅ ἐστι πυρὸς μὲν πυκνότερον ἀέρος δὲ λεπτότερον, τἆλλα γεννῶνι πυκνότητι καὶ μανότητι πολλὰ ποιοῦντες· οἱ δὲ [ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα τὸ ὑποκ., ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο κτλ.] ἐκ τοῦ ἑνὸς ἐνούσας τὰς ἐναντιότητας ἐκκρίνεσθαί φασιν". Atque nunc iam facile apparet, in ipsis Aristotelis verbis 'οἱ δὲ ἐκ τοῦ ἑνὸς ἐνούσας τ. ἐ. ἐ. φ.' vocabulum 'τοῦ ἑνὸς' ita intellegendum esse, quasi scriptum sit 'τοῦ ἑνὸς ἐκείνου (τοῦ διωρισμένου δηλονότι)', significare igitur unum, quod eodem modo atque in priore physicorum parte definitum sit. Haec autem loci interpretatio quanto opere consentiret cum ea re, quod physici id quod est non solum unum sed etiam motu insito praeditum esse vellent, supra explicavimus[1]).

17. Iam pergimus ad quaestionis partem gravissimam. Postquam Aristoteles physicos id quod est ponere dixit 'ἓν σῶμα τὸ ὑποκείμενον', id corpus a physicis positum modo disiunctivo per eas, quae a singulis physicis positae sint, ipsius formas explicat, hac adpositione: 'ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο, ὅ ἐστι πυρὸς μὲν πυκνότερον ἀέρος δὲ λεπτότερον'. Ex hac disiunctiva explicandi ratione, si ipsam disiunctionis notionem respicimus, sequitur, ut Aristoteles omnes, quae a physicis positae essent, corporis formas indicaverit [2]). Quod si verum est, prorsus soluta est quaestio, de qua agimus. Namque si omnes, quae a physicis positae essent, formas indicavit, consectaneum est, ut ad unumquemque physicorum una aliqua ex hisce for-

---

1) P. 161.

2) Possis obicere, praeter has corporis formas ab Aristotele aliis locis memorari etiam naturam inter aerem et aquam mediam. At iam ostendimus, ab Aristotele eandem rem tum inter aerem et ignem, tum inter aerem et aquam mediam dicere.

mis pertineat utque nullus eorum sit, qui formam posuerit corporis ab hisce diversam. Quare ambiguum solum est, ad quem quaeque forma referenda sit; atque cum ex ipso Aristotele satis notum sit, quos dicat unum e tribus elementis, aquam aerem ignem, ponere, iam id solum quaeritur, quem intellegat eum, qui corpus omnibus rebus subiectum naturam quandam esse velit inter aerem et ignem mediam. Id autem facili negotio ex ipso loco cognoscitur.

Etenim Aristoteles hoc ipso loco Anaximandrum in iis numerat physicis, quorum doctrinam hoc loco exponit, et hac ipsa re eum dicit unam ex illis corporis formis, id est, aut unum e tribus elementis aut naturam quandam inter aerem et ignem mediam ponere. Atqui certe eum non dicit unum ex elementis ponere, siquidem ipse, ut ex aliis locis omnino patet, naturam ei tribuit ab elementis diversam, pariter atque Theophrastus, qui eum posuisse refert '*ἑτέραν τινα φύσιν παρὰ τὰ στοιχεῖα*'. Ergo reliquum solum est, ut Aristoteles Anaximandrum intellegat eum, qui naturam quandam ponat inter aerem et ignem mediam. Itaque Aristoteles naturam inter aerem et ignem mediam hoc loco aperte tribuit Anaximandro, non ita quidem, ut ipsis verbis dicat, at ita, ut ex ipsis verbis sine ulla dubitatione appareat[1]).

18. Postquam locum ex ipsis eius verbis explicavi-

---

1) Cum non abs re videatur esse, totam, qua Aristoteles hoc loco usus est, dicendi rationem exemplo illustrare, hac utimur divisione partim iam antea proposita: „Alteri philosophi, qui summam rerum caussam ponunt in mente, quam quidem mentem aut rebus insitam aut separatim a rebus per se constantem esse volunt, ita res oriri statuunt, ut mentem in res quasi abire in easque se explicare, alteri ita, ut res creari a mente dicant." Iam cuivis legenti patebit, hanc divisionem, quae illi Aristotelis loco omnibus numeris similis est, quamvis careat elegantia, tamen nec a naturali cogitandi motu alienam esse, nec intellectu difficilem.

mus, iam ad veteres interpretes convertimur. Quamquam enim interpretationem propositam ita certam esse censemus, ut nec consensione interpretum videatur magno opere posse firmari nec dissensione labefactari, tamen iucundum erit, si interpretes illos invenerimus consentientes, nec molestum, si quem forte dissentientem deprehenderimus. Sed iam hoc loco licet contendere, interpretes illos ad unum omnes de ea loci ratione, e qua reliqua necessitudine quadam sequuntur, quae posita est in ea quaestione, utrum verba '*ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν κτλ*' ad '*οἱ μὲν*' solum an pariter etiam ad '*οἱ δὲ*' pertineant, omnino eam sequi sententiam, quam ipsi probavimus. Ordiendum autem videtur esse a Porphyrio, qui omnium maxime, seductus partim certe a Nicolao Damasceno, loci perspicuitatem obscuravit certamque eius intellegentiam impedivit.

De Porphyrio igitur Simplicius in huius loci interpretatione, postquam naturam inter aerem et ignem mediam ab Alexandro referri dixit ad Anaximandrum, haec scribit[1]): „*ὁ μέντοι Πορφύριος, ὡς τοῦ Ἀριστοτέλους ἀντιδιαιροῦντος τοὺς σῶμα τὸ ὑποκείμενον ἀδιόριστον ποιήσαντας πρὸς τοὺς ἢ τῶν τριῶν στοιχείων ἓν ἢ ἄλλο τι τὸ μεταξὺ πυρὸς καὶ ἀέρος, σῶμα μὲν τὸ ὑποκείμενον ἀδιορίστως Ἀναξίμανδρον λέγειν φησὶν ἄπειρον*[2]), *οὐ διορίσαντα τὸ εἶδος, εἴτε πῦρ εἴτε ὕδωρ εἴτε ἀήρ· τὸ δὲ μεταξὺ καὶ αὐτὸς, ὥσπερ Νικόλαος ὁ Δαμασκηνὸς, εἰς Διογένην τὸν Ἀπολλωνιάδην ἀνέπεμψεν.*“ Sententia in

---

1) Phys. f. 32 a p. med.

2) Quod ad rationem grammaticam vocabuli *ἄπειρον* attinet, haec dupliciter accipi possit, primum ita, ut *ἄπειρον* sit obiectum verbi *λέγειν*, *σῶμα τὸ ὑποκ.* autem pertineat ad praedicatum, deinde ita, ut *σῶμα τὸ ὑποκ.* sit obiectum *ἄπειρον* autem ad hoc vocabulum attributio. Quamvis prior ratio ad rem longe aptissima sit, tamen, quoniam, si *ἄπειρον* esset obiectum, vix omitti potuisset articulus *τὸ*, altera ratio amplectenda erit.

aperto est. Porphyrius Simplicio teste locum ita interpretatur, quasi Aristoteles primum physicos generaliter dicat id quod est unum ponere tumque eos ratione rei, quam unam ponant, bifariam dividat in eos, qui hoc unum dicant corpus rebus subiectum in universum, non definientes eius speciem, et in eos, qui hoc unum esse velint corpus quoddam definitum, atque quidem aut unum e tribus elementis aut corpus quoddam inter duo elementa medium; interpretatur igitur ita, quasi scriptum sit '*οἱ μὲν γὰρ τὸ ὂν ποιήσαντες ἕν, ἢ σῶμα τὸ ὑποκείμενον (ἀδιορίστως λεγόμενον), ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο κτλ.*' [1]). Atque ita interpretatus posteriorem divisionis partem opinatur ad eos pertinere, qui ab Aristotele '*οἱ μέν*', priorem ad eos, qui '*οἱ δὲ*' dicantur, id est, ad Anaximandrum, qui solus ab Aristotele in hisce nominetur.

Ex proposita Porphyrii de Aristotelis loco sententia protinus apparet, eum de ratione loci grammatica sic iudicare, ut verba '*ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν κτλ.*' ad '*οἱ μὲν*' ad posita pariter ad '*οἱ δὲ*' pertinere putet, et eo tantum eius interpretationem differre ab ea, quam ipsi antea pro-

---

1) Quod ad Porphyrii vocabulum '*σῶμα τὸ ὑποκείμενον ἀδιορίστως λεγόμενον*' attinet, id plane idem significat atque Aristotelis vocabulum '*σῶμα τὸ ὑποκείμενον*' per se sumptum. Cum enim Aristoteles physicos dicat id quod est ponere '*ἓν σῶμα τὸ ὑποκείμενον, ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο*', '*σῶμα τὸ ὑποκ.*' per se solum non significat nisi corpus quoddam in universum, quod verbis '*ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο*' modo disiunctivo duabus formis definitur. Porphyrius vocabulum '*σῶμα τὸ ὑποκ.*' per se a duabus illis formis separat iisque opponit, ergoque intellegit generali ea significatione, quae ipsi per se soli convenit, intellegit igitur corpus in universum sive corpus infinite dictum. Quae generalis vocabuli significatio ut plane intellegatur, perspicuitatis caussa ad '*σῶμα*' addit '*ἀδιορίστως λεγόμενον*'.

bavimus, quod, cum nos ostenderimus physicos tamquam generis notione ab Aristotele eo definiri, quod omnes id quod est unum atque unum quidem corpus ponant et tum demum propter duas, quae ab iis ponantur, huius corporis formas in duas partes dividi, is putet physicos tamquam generis natione eo solum definiri, quod omnes id quod est unum ponant, et tum statim ratione rei, quam unam statuant, bifariam dividi in eos, qui illud unum ens unum corpus infinite dictum, et in eos, qui illud unum ens aut unum aliquod elementum aut corpus quoddam medium esse velint. Quamvis enim, quod Anaximandrum sive alteros physicos pariter atque priores ab Aristotele dici putat id quod est unum ponere, e loci verbis '*οἱ δ' ἐκ τοῦ ἑνὸς κτλ*' sumere potuerit, tamen non alteram duarum illarum partium, quas verbis '*οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες κτλ.*' distingui opinatur, credere potuisset de Anaximandro intellegi, nisi verba '*ἓν ποιήσαντες κτλ.*' ad '*οἱ μὲν*' adposita pariter ad '*οἱ δὲ*' pertinere credidisset.

Facile autem apparet, posteriorem interpretationis Porphyrii partem, qua a nostra interpretatione differt, plane absurdam esse, ita ut mireris etiam, qui Porphyrius, vir in primis doctus, ad eam potuerit devenire. Nam et illa physicorum divisio, quam Aristotelis verbis opinatur contineri, quaque suae de Anaximandro sententiae utitur fundamento, ab illis verbis omnino aliena est[1]), et illa ipsa de Anaximandro sententia apertissime pugnat cum aliqua Aristotelis sententia, quae ipsis eius verbis planissime continetur; de qua repugnantia mox videbimus ipsum Simplicium subtiliter disserere. Sed qua movente ratione Por-

1) Aristoteles certe, et quivis vel mediocris scriptor, si illo modo dividere voluisset, scripturas fuisset '*οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες τὸ ὄν, ἢ σῶμα τὸ ὑποκείμενον ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο*, et ad *σῶμα τὸ ὑποκ.* additurus fuisset veluti '*ὅλως*' vel '*ἀδιορίστως*'.

phyrius existimandus est ad Aristotelis interpretationem tam imprudentem atque insolentem devenisse? Ut naturam inter aerem et ignem mediam ad Diogenem Apolloniatem referret, aperto Simplicii testimonio Damasceni auctoritate videtur commotus esse[1]). Qua autem ratione ad ipsam de Anaximandri principio sententiam pervenerit, e Simplicii verbis non apparet. Simplicius enim, qui proprie id solum agit, ut illum Aristotelis locum explicet, tantummodo dicit, Porphyrium illum locum ita interpretari, ut Aristotelem dicat physicos dividere in eos, qui rerum principium corpus quoddam infinite dictum, et in eos, qui aut unum ex elementis aut naturam mediam ponant; hacque explicatione posita Anaximandrum contendere eum esse, qui principium priore modo definiverit. Num autem eum putaverit ab hac interpretatione ad illam de Anaximandro sententiam, an ab illa sententia ad hanc interpretationem pervenisse, ex ipsis eius verbis non intellegitur. Sed si ipsam rem consideramus, protinus patet, hanc Porphyrii interpretationem ita a tota illius loci Aristotelici ratione abhorrere, ut e sola huius loci contemplatione omnino non potuerit nasci; atque inde concludendum est, Porphyrium illam de Anaximandro sententiam iam ex alio fonte susceptam habuisse et idcirco ineptam istam loci Aristotelici interpretationem excogitavisse, ut hunc locum cum illa sententia conciliaret. Id quod eo etiam confirmatur, quod eadem de Anaximandri principio sententia et apud Diogenem Laertium[2]), quippe qui Porphyrio paullo antiquior sit, et apud Pseudo-Plutarchum[3]) invenitur. De qua re postea iterum dicetur.

---

1) Simplic. Phys. 32, 6 p. m.: „*Νικόλαος δ' ἐν τῇ περὶ θεῶν πραγματείᾳ τοῦτον (τὸν Διογένη) ἱστορεῖ τὸ μεταξὺ πυρὸς καὶ ἀέρος τὴν ἀρχὴν ἀποφήνασθαι, καὶ τῷ Νικολάῳ συνηκολούθησεν ὁ φιλομαθέστατος τῶν φιλοσόφων Πυρφύριος.*“

2) Diog. Laert. II, 1.

3) Plut. Plac. I, 3. Cf. Stob. I, 10, p. 292.

Priusquam Porphyrium mittamus, iam hoc loco videtur monendum esse, quo postea utemur, a Porphyrio Anaximandrum non dici ponere corpus, quod ipsum per se nullis qualitatibus definitum sit, sed ponere corpus, cuius speciem sive qualitatem ipse non definiat; id quod clarissime apparet e verbis „σῶμα μὲν τὸ ὑποκ. ἀδιορίστως Ἀναξίμανδρον λέγειν φησὶν ἄπειρον, οὐ διορίσαντα τὸ εἶδος, εἴτε πῦρ εἴτε ὕδωρ εἴτε ἀήρ.“ [1]). Atque id quidem prudenter a Porphyrio dicitur, quoniam notio corporis nullis qualitatibus definiti ipsa secum pugnat; nam etiam si corpus intellegitur generaliter, in huius notione notio inest quarandam qualitatum. Quare, qui Anaximandri infinitum putant esse materiam qualitatibus definitis carentem, Porphyrii testimonio uti non possunt.

19. Pergimus ad Simplicium. Copiosa eius de hoc Aristotelis loco diputatio [2]) quadripartita est. Postquam ipso disputationis initio duo esse dixit physicorum genera, alterum eorum, qui id quod est unum, alterum eorum, qui plura esse statuerent [3]) Aristotelis de prioribus sententiam hoc modo exponit: „καὶ τῶν ἓν λεγόντων δύο τρόπους εἶναί φησι τῆς ἐξ οὗ τῶν ὄντων γενέσεως. Πάντες μὲν γὰρ σωματικόν τι τὸ ἓν ὑποτίθενται τοῦτο, ἀλλ' οἱ μὲν ἕν τι τῶν τριῶν στοιχείων, ὥσπερ Θαλῆς μὲν καὶ Ἵππων τὸ ὕδωρ, Ἀναξιμένης δὲ . . . , τινὲς δὲ ἄλλο τι τῶν τριῶν ὑπέθεντο, ὅ ἐστι πυρὸς μὲν πυκνότερον ἀέρος δὲ λεπτότερον“. In his si verba ‘πάντες μὲν γὰρ . . . ἀλλ' οἱ μὲν — τινὲς δὲ . . considerамus, protinus duo apparent. Primum his verbis manifesto explicatio Aristo-

1) Ratio grammatica haec est: Ἀναξίμανδρον ἀδιορίστως λέγειν σῶμα τὸ ὑποκείμενον ἄπειρον’, quod quidem ‘ἀδιορίστως λέγειν’ explicatur verbis: ‘οὐ διορίσαντα τὸ εἶδος εἴτε κτλ.’

2) Phys. 32, a, med. Cf. supra p. 117 sq.

3) Est haec ea divisio, quam Aristotelem Phys. I, 2. 184^b 15 sq. proponere vidimus.

telis verborum '*ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν κτλ.*' continetur; verba '*σωματικόν τι τὸ ἓν ὑποτιθενται τοῦτο*' loco sunt Aristotelis verborum '*ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα*', et reliqua reliquis Aristotelis verbis respondent. Deinde iisdem verbis universa horum physicorum doctrina et generaliter definitur et in duas suas species dividitur, eo, quod hi physici omnes (*πάντες*) id quod est unum atque unum quidem corpus omnibus subiectum ponere dicuntur tumque ipsi a duabus huius corporis formis vocabulis '*οἱ μὲν — τινὲς δὲ*' in duas dividuntur partes, alteram eorum, qui illud unum corpus unum ex elementis, alteram eorum, qui naturam quandam mediam esse velint. Inde autem apertissime sequitur, ut Simplicius Aristotelis verba '*ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα κτλ.*' pariter ad utramque physicorum partem, ad '*οἱ μὲν*' et ad '*οἱ δὲ*', pertinere censeat, tamquam notionem generis, quod statim suis partibus explicetur. Atque inde patet, Simplicii sententiam de Aristotelis loci ratione grammatica eam esse, quam ipsi antea exposuimus.

Sed quamvis haec res ex hisce Simplicii verbis sine ulla dubitatione pateat, tamen in sequenti altera disputationis parte sunt quaedam, quae cum ea videri possint pugnare, atque revera cum ea pugnant, si ita sunt explicanda, ut ab omnibus, qui iis hucusque usi sunt, accipiuntur. Quare de hac disputationis parte rursus seorsum quaerendum est, ut tandem hic Simplicii locus, a multis laudatus a nemine autem explicatus, omnium partium explicatione pateat. Priusquam autem ad ipsam explicationem aggrediamur, de re quadam videtur praemonendum esse, quae ad intellegendam Simplicii sententiam gravissima est. Etenim propter inelegantiorem illam atque ambiguam rationem eius Aristotelis loci, ad quam haec Simplicii disputatio pertinet, duae huius disputationis partes, secunda et tertia, ita comparatae sunt, ut, si per se solae spectantur, pari fere iure duplici modo explicari possint. Quare, cum

in his partibus explicandis utraque explicatio proponenda sit, eam, quam forte veram putabimus, ex ipsis Simplicii verbis ostendere solum poterimus non minus probabilem vel etiam probabiliorem esse quam alteram, de ipsa autem eius veritate non nisi ex ipsius cum universa Simplicii sententia consensione et alterius ab eadem dissensione iudicari poterit. Cum autem universa Simplicii sententia non nisi ex omnium partium explicatione plane cognosci possit, etiam illius alterius explicationis necessitas primum in totius nostrae disputationis fine plane patebit.

Simplicius igitur altera disputationis parte, postquam priore parte iam eos, qui id quod est unum e tribus elementis ponerent, nominatim attulit, Thalem et Hipponem, Anaximenem et Diogenem Apolloniatem, Heraclitum et Hippasum, de iis quaerit, qui ab Aristotele naturam inter aerem et ignem mediam ponere dicantur. In qua quaestione postquam primum ab Alexandro hanc naturam narravit ad Anaximandrum referri, tumque Porphyrii opinionem plane contrariam proposuit, continuo ad hunc convertitur refellendum, hisce verbis: „*εὐφυέστερον δέ μοι δοκεῖ κατὰ τὴν λέξιν, μὴ ὡς ἀντιδιῃρημένου τοῦ σώματος πρὸς τὰ στοιχεῖα καὶ τὸ μεταξὺ ἀκούειν, ἀλλ' ὡς διαιρουμένου μᾶλλον εἴς τε τὰ τρία καὶ τὸ μεταξύ· σῶμα γὰρ τὸ ὑποκείμενόν φησιν ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο, ὅ ἐστι πυρὸς μὲν πυκνότερον ἀέρος δὲ λεπτότερον· καὶ μέντοι κοινῶς περὶ τῶν προειρημένων ἐπήγαγεν, ὅτι τὰ ἄλλα γεννῶσι μανότητι καὶ πυκνότητι, καίτοι τοῦ Ἀναξιμάνδρου, ὡς αὐτός φησι, μὴ οὕτως γεννῶντος, ἀλλὰ κατ' ἔκκρισιν τὴν ὑπὸ τοῦ ἀπείρου· πῶς οὖν, εἰ τοῦτον ἔλεγεν εἶναι τὸν σῶμα ἀδιορίστως ὑποτιθέμενον, κοινῶς ἐπήγαγεν τὴν κατὰ ἀλλοίωσιν γένεσιν.*"

Facile patet, hanc Simplicii contra Porphyrium disputationem e duabus partibus constare. Priore parte eam refellit Porphyrii opinionem, a qua is profectus suam de

Anaximandro sententiam proponat[1]), ostendens, illam, quam Porphyrius Aristotelis verbis 'ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν κτλ.' contineri contendat, physicorum divisionem non convenire cum orationis forma ab Aristotele adhibita. Altera parte, quae illa priore nititur, magna sane disserendi subtilitate demonstrat, ipsam Porphyrii de Anaximandro sententiam prorsus pugnare cum aliqua sententia, quae ipsis Aristotelis verbis aperte contineatur. Atque prior illa disputationis pars et quod ad intellectum et quod ad veritatem attinet, omnino perspicua est. Obscurior est altera pars, quae incipit a verbis 'καὶ μέντοι κοινῶς'[2]); de hac igitur iam disserendum est.

Pro argumentationis fundamento Simplicius hanc ponit propositionem: 'καὶ μέντοι κοινῶς περὶ τῶν προειρημένων ἐπήγαγεν, ὅτι τὰ ἄλλα γεννῶσι μανότητι καὶ πυκνότητι'. Quae propositio ut recte intellegatur, omnium primum id quaerendum est, qui intellegendi sint ii, qui a Simplicio 'οἱ προειρημένοι' appellantur; id enim non protinus apparet. Qua quaestione saluta explicandum erit, qua ratione verum sit, quod Simplicius Aristotelem dicit de hisce communiter praedicare (κοινῶς ἐπάγειν) eam generationis formam, quae in condensatione et rarefactione consistat; namque id etiam videbimus non protinus apertum esse.

Quod primum ad vocabulum 'οἱ προειρηένοι' pertinet, id dupliciter potest referri. Ac primo quidem adspectu necessario videtur referendum esse ad totam hanc Aristotelis orationem 'οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα τὸ ὑποκ., ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο'. Quod si sumitur, οἱ προει-

1) Simplicium ipsum hoc modo de Porphyrii ratione iudicare, patet ex hisce verbis supra p. 177 laudatis: „Πορφύριος, ὡς τοῦ Ἀριστοτέλους ἀντιδιαιροῦντος . . . Ἀναξίμανδρον λέγειν φησίν."

2) In 'καὶ μέντοι' particula καὶ significat novi argumenti additionem; μέντοι autem hoc loco auget adfirmationis et certitudinis vim, velut si latine dicitur „et vero" vel „et vero etiam."

ρημένοι intellegendi sunt omnes ii physici, qui id quod est unum corpus rebus subiectum atque quidem aut unum ex elementis aut corpus quoddam medium ponant. Sed hoc si ponimus, maximam quandam Simplicio tribuimus sententiarum repugnantiam. Sequitur enim, ut Simplicius contendat, ab Aristotele de iis physicis, qui id quod est unum ponant corpus rebus subiectum, et de iis, qui id corpus unum ex elementis, et de iis, qui id naturam quandam mediam esse velint, eam praedicari generationis formam, quae in condensatione et rarefactione consistat. Iam vero eundem in prima disputationis parte, eadem Aristotelis verba explicantem, dicere vidimus, omnes physicos, qui id quod est unum ponerent, id unum corpus quoddam ponere, eo autem in duas species dirimi, quod alteri id corpus unum ex elementis, alteri naturam quandam mediam ponerent. Quare si sententiam illam Simplicii esse ponimus, sequitur, ut simpliciter de omnibus physicis, qui id quod est unum ponant, illam generationis formam ab Aristotele praedicari dicat. At in tertia et quarte disputationis parte, ut paullo post videbimus, in hisce physicis Anaximandrum quoque numerat et hunc ait ab Aristotele dici non condensatione et rarefactione, sed contrariorum secretione res generare, ait igitur, illam generationis formam ab Aristotele non de omnibus illis physicis praedicari. Num quis facile putabit, Simplicium ita fuisse socordem, ut hanc repugnantiam non videret, aut ita neglegentem, ut omitteret verbis indicare?

Verum alia etiam esse potest vocabuli ʿοἱ προειρημένοιʾ relatio. Etenim in illa Aristotelis oratione ʿοἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες κτλ.ʾ, qua priores physici definiuntur, cernitur quidam vocabulorum sive notionum ordo, siquidem illi id quod est initio unum, deinde corpus rebus subiectum, denique id corpus aut unum ex elementis aut naturam quandam mediam ponere dicuntur. Iam si reputaveris, totam hanc Simplicii disputationem in refel-

lenda Porphyrii de hoc Aristotelis loco sententia versari, Porphyrium autem hunc locum ita intellegere, ut eos, qui id quod est unum ponant, statim dividi dicat in eos, qui id unum ens corpus infinite dictum et in eos, qui id unum ens aut unum e tribus elementis aut naturam quandam inter duo elementa mediam esse velint, Simplicium contra ita, ut eos, qui id quod est unum atque unum quidem corpus ponant, dividi dicat in eós, qui id corpus unum ex elementis et in eos, qui id naturam quandam mediam esse statuant, vix poteris non credere, vocabulum ‘*οἱ προειρημένοι*’ dictum esse a vocabulorum sive notionum ordine, quibus illi ‘*οἱ μὲν*’ sive priores physicis deinceps definiuntur, referrique solum ad haec priora illius orationis verba ‘*οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα τὸ ὑποκείμενον*’. Hoc autem si sumitur, *οἱ προειρημένοι* intelleguntur priores physici, quatenus hi primum illis Aristotelis verbis generaliter id quod est unum atque unum quidem corpus, nec vero, quatenus id corpus modo disiunctivo aut unam aut alteram huius corpus speciem ponere dicantur.

Utra vocabuli relatio accipienda sit, ex hoc solo Simplicii loco non potest diudicari; nam et utramque pariter cum naturali vocabuli significatione convenit, et utraque posita eadem contra Porphyrium sequitur conclusio. Sed posterior magis commendatur, quod coniunctior est cum ipso loci consilio. Nam Simplicius hoc loco id solum agit, ut sententiam Porphyrii, qui Anaximandri principium esse dicat corpus infinite dictum, refellat; refellit autem eo et eo solum potest refellere, quod ostendit, Aristotelem de iis, qui id quod est unum et qui corpus rebus subiectum ponant, coniunctim (*κοινῶς*) praedicare eam generationis formam, quae in condensatione et rarefactione consistat, de Anaximandro vero hanc generationis formam negare; num Aristoteles hanc generationis formam

iis etiam tribuat, qui illud corpus unum ex elementis et qui naturam quandam mediam ponant, ad alias res fortasse multum, ad Porphyrii autem opinionem refellendam nihil refert. Fit autem haec posterior vocabuli relatio eo necessaria, quod sola, ut in disputationis fine apparebit, cum universa Simplicii sententia congruit[1]).

Cum hac quaestione de vocabuli '*οἱ προειρημένοι*'

1) Omnes, qui hucusque hoc Simplicii loco usi sunt, simpliciter priorem vocabuli '*οἱ προειρημένοι*' relationem acceperunt, quasi praeter hanc nulla alia esset. Schleiermacherum ab hac vocabuli relatione profectum esse, ex ea patet ratione, qua Simplicii locum explicat. Ait enim (Werke III, 2, p. 180), Simplicium hoc loco ostendere, naturum illam mediam non pertinere ad Anaximandrum, atque eo quidem ostendere, quod Aristoteles auctorem naturae illius mediae condensatione et rarefactione uti, Anaximandrum autem non uti dicat. Cum qua interpretatione coniunctum est, quod Simplicium putat hoc loco Alexandrum refellere. Vix opus est monere, hanc interpretationem a loci et verbis et consilio omnino alienam esse. — Eadem vocabuli relatione utitur Fr. Lütze; ait enim (l. l. 86), Simplicium hoc loco indicare velle, condensationem et rarefactionem Aristotelis sententia proprie ad eos solum pertinere, qui unum ex elementis et qui naturam mediam principium ponant. Quae loci explicatio non solum ab eius et verbis et consilio, verum etiam ab ipsa ratione rerum, de quibus agitur, prorsus abhorret; quid enim istud sit, condensationem et rarefactionem proprie ad eos solum pertinere, qui unum ex elementis et qui naturam mediam ponant, nemo facile intelleget, cum nec hoc nec alio loco praeter hos ulli memorentur alii, qui hac generationis forma usi sint. Sed Lützius, ut eum Aristotelis locum, ad quem haec tota Simplicii disputatio pertinet, ratione commenticia explicavit, ita etiam huius disputationis rationem omnino non adsecutus est. Opinio eius de ea huius disputationis parte, quae ad Porphyrium pertinet, non solum ab huius partis sententia prorsus aberrat, sed etiam per se ipsa probabili sententia caret; et quae de parte sequenti loquitur, ab exteriore solum sermonis specie petita sunt. Si Simplicius res tam pugnantes ac contrarias dixisset, quam Lützius eum dixisse sumit, cum repugnantiam nullo modo indicet ideoque ne animadvertisse quidem videatur, non socordiae solum verum etiam stupiditatis accusandus esset.

relatione arctissime cohaeret quaestio, utrum Simplicius in Aristotelis propositione '*οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες κτλ.*' verbis '*ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα τὸ ὑποκείμενον, ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο*' significari putaverit differentiam, qua priores physici (*οἱ μὲν*) ab alteris (*οἱ δὲ*) differrent, an doctrinam omnibus his physicis communem statim per duas ipsius species explicatam. Si verba illa priore ratione accepit, *οἱ προειρημένοι* necessario referuntur ad totam hanc Aristotelis orationem *οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες — ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο*', intelleguntur que omnes ii physici, qui id quod est unum corpus rebus subiectum atque quidem aut unum ex elementis aut naturam quandam mediam ponant[1]). Si posteriore modo accepit, *οἱ προειρημένοι* non referuntur nisi ad verba '*οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα τὸ ὑποκείμενον*', intelleguntur que non omnes ii physici, qui id quod est unum corpus atque quidem aut unum ex elementis aut naturam mediam ponant, sed eorum alteri solum, atque hi ipsi ea solum parte intelleguntur, quatenus pariter atque reliqui id quod est et unum et corpus (haec enim est ratio omnibus communis), nec vero ea parte, quatenus modo disiunctivo hoc corpus aut unum ex elementis aut naturam mediam ponere dicantur[2]); quae res paullo post magis appa-

1) Quoniam, ut sumpsimus, verba '*ἓν ποιήσαντες κτλ.*' significant differentiam, qua priores physici ab alteris differant, *οἱ μὲν* necessario intelleguntur omnes ii, qui hac differentia a reliquis distinguantur ipsique huius differentiae differentia in duas partes dividantur; hique omnes res condensatione et rarefactione generare dicuntur.

2) Quoniam, ut iam sumpsimus, verba '*ἓν ποιήσαντες κτλ.*' significant doctrinam omnibus physicis communem statim in duas suas species divisam, illi *οἱ μὲν* sunt alteri solum eorum physicorum, qui id quod est unum corpus hocque aut unum ex elementis aut naturam mediam ponant. Hi alteri sunt quidem necessario tales, qui id quod est et unum et corpus ponant; utrum autem ii sint,

rebit. Utra ratione Simplicius verba illa acceperit, rursus ob easdem, quas antea diximus, caussas non ex hoc loco sed solum ex universa eius sententia plane diudicari potest.

Iam Simplicius *περὶ τῶν προειρημένων* Aristotelem dicit '*κοινῶς ἐπαγαγεῖν*' eam generationis formam, quae in condensatione et rarefactione consistat. Quid sit '*κοινῶς ἐπάγειν*', ex ipsis vocabulis patet; significat enim aliquid unum communitur de pluribus praedicare, sive haec plura unius rei notionem efficiunt sive sunt plures res, quae in hoc praedicato consentiant[1]). Sed cum *οἱ προειρημένοι* dupliciter intellegi possint, quaeritur num utroque intellectu de iis communitur illa generationis forma praedicetur; nam si uno vel altero intellectu de iis non communiter praedicatur, consectarium est, ut hoc intellectu a Simplicio non dicti sint. Primum igitur si Aristoteles verba '*ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν κτλ.*' significare voluit differentiam priori physicorum parti propriam, propositionis '*οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες — — τἆλλα γεννῶσι πυκνότητι καὶ μανότητι*' haec est sententia: „omnes ii physici, qui id quod est unum ponunt corpus rebus subiectum, atque quidem aut unum ex elementis aut naturam quandam mediam, rerum multitudinem condensatione et rarefactione gignunt"[2]). Quare si Simplicius verba '*ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν κτλ.*' hac ratione accepit ergoque *τοὺς προειρημένους* referri voluit ad totam

---

qui hoc corpus unum ex elementis, an ii, qui naturam mediam ponant, incertum est, quoniam hae sunt duae unum et corpus ponentiam species. Hi alteri res condensatione et rarefactione generare dicuntur; itaque ii, de quibus haec generationis forma praedicatur, sunt quidem tales, qui id quod est et unum et corpus ponant, utrum autem simul ii sint, qui hoc corpus unum ex elementis, an ii, qui naturam mediam ponant, rursus incertum manet.

1) Prioris rationis exemplum hoc est: „qui prudenter et honeste agunt, laudantur"; posterioris hoc: „et qui prudenter agunt et qui honeste, laudantur".

2) Cf. supra p. 188, not. 1.

hanc Aristotelis orationem: 'οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες — — ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο', recte ait, de hisce ab Aristotele communiter praedicari illam generationis formam. Sin autem Aristoteles illis verbis non quandam priorum physicorum differentiam, sed doctrinam omnibus physicis communem statim per duas ipsius species explicatam significari voluit, propositionis 'οἱ μὲν γὰρ — — τἆλλα γεννῶσι πυκνότητι καὶ μανότητι' sententia iam non haec est: 'omnes ii physici —', sed haecce: 'alteri (vel aliqui) eorum physicorum, qui id quod est unum ponunt corpus atque quidem aut unum ex elementis aut naturam mediam, rerum multitudinem condensatione et rarefactione gignunt'[1]). Hac igitur propositione quaeritur qua ratione hi alteri physici definiantur. Cum omnes physici dicantur id quod est unum corpus ponere, ab huius autem corporis forma statim in duas species dividantur, illi alteri physicorum necessario quidem tales sunt, qui id quod est et unum et corpus ponant; necesssario etiam in alterautra horum specie sunt ergoque modo diunctivo aut ii sunt, qui hoc unum corpus unum ex elementis, aut ii, qui id naturam mediam ponant, incertum autem est, utri sint. Ergo, cum de his alteris physicis generatio per condensationem et rarefactionem praedicetur, quatenus tales sunt, qui id quod est et unum et corpus ponant, de his et unum et corpus ponentibus communiter illa generationis forma praedicatur; quatenus autem modo disiunctivo aut ii dicuntur esse, qui id quod est unum corpus hocque unum ex elementis, aut ii, qui unum corpus hocque naturam quandam mediam ponant, illa generationis forma nec de illis nec de hisce praedicatur 'κοινῶς', sed de ambobus, ut hoc vocabulo utar illi contrario, praedicatur 'διεζευγμένως'; praedicatur enim aut de unis aut de alteris, incertum autem est, de utris prae-

---

1) Cf. supra p. 188, not. 2.

dicetur. Quare, si Simplicius illa Aristotelis verba hac ratione accepit ergoque τοὺς προειρημένους referri solum voluit ad verba 'οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα τὸ ὑποκείμενον', rursus recte ait, de hisce communiter ab Aristotele illam generationis formam praedicari. Revera autem Simplicium hac ratione illa verba accepisse, quamquam plane quidem non nisi ex universa eius sententia patebit, tamen iam hoc loco certum fere videbitur, si consideraverimus, qua ratione Porphyrius illum Aristotelis locum interpreatus sit et qua ratione Simplicius eius interpretationem refellat. Porphyrium igitur illum Aristotelis locum ita interpretari vidimus, quasi scriptum esset: 'οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες τὸ ὄν, ἢ σῶμα τὸ ὑποκείμενον (ἀδιορίστως λεγόμενον) ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο — τἆλλα γεννῶσι κτλ.' Qua ratione si locus accipitur, sententia efficitur haec: 'alteri eorum physicorum, qui id quod est unum ponunt, atque quidem aut corpus infinite dictum, aut corpus quoddam specie definitum, rerum multitudinem condensatione et rarefactione generant'. Hac igitur loci explicatione posita rursus quaeritur, qua ratione hi alteri physici informandi sint. Cum omnes physici eo solum dicantur consentire, quod id quod est unum ponant, statimque eo, quod hoc unum aut corpus infinite dictum aut corpus quoddam definitum ponant, in duas dividantur species, illi alteri primum necessario tales sunt, qui id quod est unum ponant, deinde necessario etiam alterautra horum sunt species, aut ii, qui hoc unum esse velint corpus infinite dictum, aut ii, qui esse velint corpus quoddam definitum; incertum autem est, utra sint species. Quare, cum de his alteris generatio per condensationem et rarefactionem praedicetur, certe de iis, quatenus tales sunt, qui id quod est unum ponant, illa generationis forma praedicatur; quatenus autem modo disiunctivo aut ii sunt, qui id quod est unum hocque corpus infinite dictum, aut ii, qui unum hocque corpus definitum ponant, nec de illis nec de his illa gene-

rationes forma *κοινῶς* praedicatur, sed de ambobus praedicatur *διεζευγμένως*; praedicatur enim necessario de alterisutris, de utris autem praedicetur, incertum est. Ac revera Porphyrius illam generationis formam ab Aristotele non de iis, qui id quod est unum hocque corpus infinite dictum, sed de iis, qui unum hocque corpus definitum ponant, communiter praedicari censet; et Simplicius hanc eius opinionem ita refellit et ita solum potest refellere, ut ostendat, ab Aristotele illo loco, quippe quo alteros physicos dicat id quod est et unum et corpus ponere, de unum et de corpus ponentibus communitur illam generationis formam praedicari.

Haec omnia si probabiliter disputata sunt, Simplicii contra Porphyrium argumentatio facile intellegitur. Oportet autem hanc argumentationem duplicem esse, prout Simplicius Aristotelis verbis '*ἓν ποιήσαντες κτλ.*' aut differentiam prioribus physicis propriam aut doctrinam omnibus communem significari putavit ideoque *τοὺς προειρημένους* aut priore illo aut posteriore ratione intellexit. Si verbis illis putavit significari differentiam, ab hac proficiscitur propositione: Aristoteles de iis physicis qui id quod est unum atque quidem unum corpus ponant, et de iis, qui id corpus unum ex elementis, et de iis, qui naturam mediam esse velint, communiter eam praedicat generationis formam, quae in condensatione et rarefactione consistat. Adsumitur: Anaximandrum autem negat hac generationis forma uti, siquidem eum dicit res contrariorum secretione generare. Concluditur: ergo Anaximandrum non dicit id quod est unum corpus infinite dictum ponere, quemadmodum Porphyrius contendit[1]). Namque — sic ipse Simplicius sen-

---

1) Cum in propositione simpliciter dicatur „unum corpus", in conclusione autem „unum corpus infinite dictum", animadvertendum est, utrique vocabulo eandem notionem subesse. Utrumque enim pariter refertur ad Aristoteles vocabulum *ἓν σῶμα τὸ ὑποκείμενον*, quod per se solum generalem corporis notionem si-

tentiam concludit — si hunc, illa generationis forma non utentem, putavisset eum esse, qui id quod est unum corpus infinite dictum poneret, qui potuisset illam generationis formam communiter praedicare de iis (haec enim verba e propositione supplenda sunt), qui id quod est unum et unum quidem corpus ponerent?[1]) Patet, hac argumentatione Porphyrii de Anaximandro sententiam refutari; sed eadem simul demonstratur, Anaximandrum id quod est nec naturam quandam inter duo elementa mediam nec in universum corpus ponere. Id autem ipsius Simplicii sententiae omnino repugnat, et idcirco non credibile est, Simplicium ab ea, quam initio posuimus, propositione profectum esse. Sin autem Aristotelis verbis '*ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν κτλ.*' significari putavit doctrinam omnibus physicis communem, ab hac proficiscitur propositione: Aristoteles de alteris physicis, qui pariter atque reliqui id quod est unum et unum quidem corpus ponant, — ergo de aliquibus id quod est et unum et corpus ponentibus — communiter praedicat condensationem et rarefactionem. Si adsumitur: Anaximandrum autem negat hac generationis forma uti, per se quidem non potest concludi, ab Aristotele Anaximandrum non dici id quod est unum corpus infinite dictum ponere; is enim physicorum unum atque unum quidem corpus ponentium altera pars esse potest. Sed Porphyrii opinione Aristoteles Anaximandrum dicit eum esse, qui id quod est unum corpus infinite dictum ponat, ita ut hoc Anaximandri proprium sit. Hanc Porphyrii opi-

---

gnificat; et illa duo vocabula per se eo solum differunt, quod in posteriore haec generalis significatio separatim indicatur. Cf. supra p. 178 not. 1.

1) „*πῶς οὖν, εἰ τοῦτον ἔλεγεν εἶναι κτλ.*" Vide locum supra p. 183. Lütze (p. 67 et ib. not. 20) haec verba, quae ipsam argumentationis absolutionem continent, additamentum esse arbitratur e margine invectum.

nionem si adhibemus, illa adsumptione: 'Anaximandrum autem Aristoteles negat condensatione et rarefactione uti', haec continetur sententia: 'nullum autem physicum, qui id quod est unum corpus infinite dictum ponat, dicit hac generationis forma uti'. Haec vero sententia omnino pugnat cum eo, quod Aristoteles de aliquibus id quod est et unum et corpus ponentibus communiter praedicat. Atque inde sequitur, ut Aristoteles Anaximandrum non dicat eum esse, qui id quod est unum corpus infinite dictum ponat. Namque, — ut rursus iisdem Simplicii verbis utamur, quibus is argumentationem absolvit — si hunc, hac generationis forma non utentem, voluisset eum esse, qui id quod est unum corpus infinite dictum poneret, qui potuisset hanc generationis formam communiter praedicare de aliquibus (haec enim rursus verba e propositione supplenda sunt) et unum et corpus ponentibus? Itaque hac quoque argumentatione Porphyrii sententia prorsus refellitur, haecque et sola omnino se applicat ad ipsam Porphyrii sententiae rationem (huius enim sententia illa generationis forma non de physicis et unum et corpus infinite dictum ponentibus, sed de physicis et unum et corpus quoddam definitum ponentibus communiter praedicatur), et sola cum universa Simplicii sententia consentit. Atque haec de loco ad Porphyrium pertinenti videntur satis esse.

Postquam Simplicius prima et secunda disputationis parte quaesivit, qui physici ab Aristotele id quod est unum e tribus elementis et qui naturam quandam inter aerem et ignem mediam ponere dicerentur, tertia et quarta parte agit de ea Aristotelis sententia, qua is physicorum alteros rerum multitudinem condensatione et rarefactione, alteros contrariorum secretione generare dicit. Atque in tertia quidem parte, pariter atque in prima, initio rursus physicorum doctrinam et generaliter definit et in suas species dividit, dividit autem non a forma corporis, quod omnibus rebus subiectum esse velint, quemadmodum in prima

parte, sed a forma eius motus, quo ex illo corpore rerum multitudinem generari statuant. Ait igitur: omnes hi physici eo consentiunt, quod rerum principium unum atque quidem — hoc enim e prima disputationis parte addendum est — unum corpus omnibus subiectum esse statuunt, bifariam autem dividuntur a duplici ratione, qua ex uno principio rerum multitudinem generant[1]). Deinde singillatim quaerit de iis, qui ab Aristotele dicantur res condensatione et rarefactione generare. In hisce autem significandis rursus talibus utitur verbis, ut haec pari fere iure dupliciter intellegi possint. Primum enim, si per se sola spectantur, facillime ita intelleguntur, ut Simplicius hanc generationis formam putare videatur ab Aristotele, illa propositione '*οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες . . . ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο — τἆλλα γεννῶσι πυκνότητι καὶ μανότητι*', communiter praedicari et de iis, qui unum ex elementis, et de iis, qui naturam quandam mediam ponant. Quodsi autem verborum coniunctionem cum oratione antegressa consideramus, pari vel etiam meliore iure ita explicari possunt, ut Simplicius eos, de quibus ab Aristotele generatio per condensationem et rarefactionem praedicetur, non illos utrosque dicat, sed priorem solum partem, eos, qui unum e tribus elementis ponant. Utrum prior an posterior explicatio vera sit, inde rursus pendet, utrum Simplicius verbis '*ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν κτλ.*' differentiam significari putaverit prioribus physicis propriam an doctrinam omnibus physicis communem statimque per duas ipsius

1) Post Porphyrii refutationem Simplicius continuo sic pergit (32, a, part. inf.): „*κοινωνοῦντες δὲ οὗτοι πάντες κατὰ τὸ μίαν λέγειν τὴν ἀρχὴν διχῇ διαιροῦνται κατὰ τοὺς τρόπους τῆς γενέσεως.*“ Verbis '*οὗτοι πάντες*' significantur omnes physici, qui ab Aristotele verbis '*οἱ μὲν — οἱ δὲ*' a forma generandi rerum multitudinem in duas partes dividuntur. Ad verba '*κατὰ τὸ μίαν λέγειν τὴν ἀρχὴν*' ex ipso Simplicio addendum est '*καὶ ταύτην σωματικήν*', siquidem ipse in prima disputationis parte omnes dicit '*σωματικόν τι τὸ ἓν*' ponere.

species explicatam. Sed si priorem ponimus veram esse, mirabilem Simplicio tribuimus sententiarum repugnantiam; si posteriorem, omnis repugnantia ab eo removetur. Ipsa Simplicii verba et duplicem eorum explicationem adnotationis modo proposuimus, ne nimis disputationis progressio interrumperetur[1]).

---

1) Post verba proxime laudata (p. 195 not. 1) Simplicius sic pergit: „*καὶ γὰρ οἱ μὲν ἐκ τοῦ ὑλικοῦ ἑνὸς γεννῶσι τὰ ἄλλα μανότητι καὶ πυκνότητι, ὡς Ἀναξιμένης . . . . . ἐπὶ γὰρ τούτου μόνου Θεόφραστος ἐν τῇ ἱστορίᾳ τὴν μάνωσιν εἴρηκε καὶ τὴν πύκνωσιν. δῆλον δὲ ὡς καὶ οἱ ἄλλοι τῇ μανότητι καὶ πυκνότητι ἐχρῶντο· καὶ γὰρ Ἀριστοτέλης περὶ πάντων τούτων εἶπε κοινῶς, ὅτι τὰ ἄλλα γεννῶσι πυκνότητι καὶ μανότητι πολλὰ ποιοῦντες.*“ Hoc igitur loco rursus dubitari potest, vocabula '*οἱ ἄλλοι*' et '*πάντες οὗτοι*' quorsum refeferenda sint. Ac primum quidem *οἱ ἄλλοι* — dicuntur autem *οἱ ἄλλοι* comparati cum Anaximene — non intellegi possunt simpliciter omnes reliqui physici praeter unum Anaximenem, sed reliqui prioris physicorum partis, eorum, de quibus ab Aristotele pariter atque de Anaximene generatio per condensationem et rarefactionem praedicetur; namque alteram physicorum partem ipse Simplicius proxime hac ipsa re a prioribus segregavit, quod res non condensatione et rarefactione verum contrariorum secretione generari vellent, atque certe non putari poterit adeo socors, ut nunc hos quoque illa generationis forma uti contendat.

Sed quaeritur, quosnam Simplicius intellegat eos, qui ab Aristotele pariter atque Anaximenes res condensatione et rarefactione generare dicantur; id autem verbis significat ita ambiguis, ut pari fere iure duplici modo explicari possint. Primum enim si respicimus verba: „*καὶ γὰρ Ἀριστοτέλης περὶ πάντων τούτων εἶπε κοινῶς, ὅτι τὰ ἄλλα γεννῶσι πυκνότητι καὶ μανότητι*“, haecque componimus cum Aristoteles verbis: „*οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν . . . ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο . . . τἆλλα γεννῶσι πυκνότητι καὶ μανότητι*“, Simplicius necessario fere videbitur putare, ab Aristotele hisce verbis illam generationis formam communiter praedicari et de iis, qui unum ex elementis, et de iis, qui naturam quandam mediam ponant. Sed si hanc eius statuimus esse sententiam, simul eum statuimus omnino secum pugnare. Namque prima disputationis parte omnes physicos,

Quarta denique parte seorsum de alteris agit physicis,

---

qui id quod est unum et unum quidem corpus ponant, dicit aut unum ex elementis aut naturam quandam mediam ponere; et in hisce omnibus physicis tertia et quarta disputationis parte numerat etiam Anaximandrum. Iam vero Anaximandrum hoc ipso loco ait ab Aristotele reliquis physicis eo opponi, quod res non condensatione et rarefactione, sed contrariorum secretione generari velit; ait igitur, ab Aristotele *non de omnibus* physicis in duas illas partes divisis illam generationis formam praedicari. Ergo Simplicius, si verba illa eo, quem diximus, modo explicantur, eodem loco idem et ait et negat.

Deinde autem eadem verba, si comparantur cum oratione antecedenti, rursus necessario fere ita explicantur, ut Simplicius eos, de quibus ab Aristotele generatio per condensationem et rarefactionem praedicetur, non utrosque illos physicos, verum priorem tantum eorum partem, *eos, qui unum e tribus elementis ponant*, videatur intellegere. Quod ut appareat, duae maxime Simplicii sententiae antecedenti oratione propositae spectandae sunt, primum, quod dicit ab Aristotele omnes physicos ea, qua utantur generationis forma, in duas partes dividi, deinde, quod a Theophrasto dicit alteram generationis formam, quae in condensatione et rarefactione consistat, non tribui nisi uni Anaximeni; namque ipsa de quibus agimus verba, 'δῆλον δὲ ὡς καὶ οἱ ἄλλοι κτλ.' et 'καὶ γὰρ Ἀριστ. περὶ πάντων τούτων κτλ.', eo solum tendunt, ut illi Theophrasti narrationi Aristotelis opponatur auctoritas. Haec igitur si consideramus, hasce fere cognoscemus in Simplicii mente esse sententias hocce ordine sese excipientes: 'omnes physici ab Aristotele in duas distribuuntur partes, alteram eorum, qui rerum generationem condensatione et rarefactione, alteram eorum, qui contrariorum secretione fieri statuant; in hac posteriore parte ab Aristotele unus ponitur Anaximander, atque inde sequitur, ut omnes reliqui ponantur in priore; Theophrastus quidem condensationem et rarefactionem soli tribuit Anaximeni, sed Aristotelis testimonio apertum est, reliquos quoque physicos omnes praeter unum Anaximandrum eadem genetionis forma usos esse; is enim 'περὶ πάντων τούτων', id est *de reliquis physicis praeter unum Anaximandrum*, hanc generationis formam praedicavit. At, dices, hanc generationis formam

iis, qui res contrariorum secretione generari velint; atque in his solum Anaximandrum nominat[1]).

---

ab Aristotele de reliquis omnibus pariter atque de Anaximene praedicari, Simplicius sumpsit ex Aristotelis verbis: '*οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες . . . ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο . . . τἆλλα γεννῶσι κτλ.*', ergo '*οἱ ἄλλοι*' et '*πάντες οὗτοι*' ab eo intelleguntur simul ii, qui unum e tribus elementis et ii, qui naturam quandam mediam ponant. Respondeo, nullam esse caussam, cur existimandus sit ex illis Aristotelis verbis sumpsisse, sed aeque fieri posse, ut e physicorum divisione proxime proposita concluserit; cum enim Aristoteles omnes physicos dicat aut condensatione et rarefactione aut contrariorum secretione res generare, hanc posteriorem autem generationis formam soli Anaximandro tribuat, sequitur, ut priore generationis forma reliquos omnes praeter unum Anaximandrum uti dicat; atque hac conclusione admodum facili Simplicius existimandus est usus esse, si eum nolumus eodem loco res pugnantissimas contendere.

Quos singulos philosophos intellexerit, qui pariter atque Anaximenes condensatione et rarefactione uterentur, itidem ex oratione antegressa cognosci potest. Namque in prima disputationis parte eos, qui unum e tribus elementis ponant, simul cum Anaximene Diogenem Apolloniatem, Thalem et Hipponem, Heraclitum et Hippasum dicit Cum autem continuo post Anaximandrum referat ab Alexandro eum dici, qui naturam inter aerem et ignem mediam ponat — atque hanc etiam ipsius Simplicii sententiam esse, partim iam significavimus, partim paullo post plane probabimus — cumque ipse nostro loco eundem Anaximandrum eum esse dicat, qui non condensatione et rarefactione sed contrariorum secretione utatur, concludendum est, a Simplicio '*τοὺς ἄλλους*', de quibus omnibus ab Aristotele pariter atque de Anaximene condensatio et rarefactio praedicetur, illos quinque, quos antea praeter Anaximenem nominavit, philosophos intellegi. Addo, hanc loci explicationem per se non quidem omnino necessariam sed tantum aeque probabilem esse quam eam, quam priore loco posuimus, sed necessariam fieri, si Simplicium velimus ipsum secum consentire.

1) Phys. 32 b. p. sup. „*ἕτερος δὲ τρόπος, καθ' ὃν οὐκέτι τὴν μεταβολὴν τῆς ὕλης αἰτιῶνται οὐδὲ κατὰ ἀλλοίωσιν τοῦ ὑποκειμένου*

Postquam singulas disputationis partes exposuimus, iam certo, opinor, poterit cognosci, qua ratione Simplicius Aristotelis locum intellexerit. Primum enim, ut vidimus, disputationis initio Aristotelis verba '*ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα τὸ ὑποκ., ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο*' ita explicat, ut omnes physicos dicat eo consentire, quod id quod est unum et unum quidem corpus ponant, eo autem bifariam dividi, quod alteri hoc corpus unum e tribus elementis, alteri corpus quoddam inter aerem et ignem medium esse velint; atque inde sequitur, ut verbis illis non differentiam quandam significari putet prioribus physicis propriam, sed doctrinam omnibus physicis communem statimque per duas ipsius species explicatam. Itaque hac certe disputationis parte eam sumit esse loci rationem grammaticam, quam ipsi antea probavimus.

Sed nunc quaeritur, quos philosophos ad unam quosque ad alteram duarum illarum partium pertinere putet; id quod ex ipsa eius disputatione hoc modo cognoscitur. Praeter divisionem physicorum modo propositam Simplicius adfert etiam alteram; tertia enim disputationis parte omnes physicos ait eo consentire, quod id quod est unum et unum quidem corpus ponant, eo autem bifariam dividi quod alteri ex hoc uno rerum multitudinem condensatione et rarefactione, alteri contrariorum secretione generent. Haec posterior divisio si cum priore coniungitur, aut secat prioris divisionis partes, ita ut harum utraque in duas partes subdividatur, aut in easdem atque prior partes incidit. Si ponimus secare, et eorum, qui unum ex elementis, et eorum, qui corpus quoddam medium ponant, alteri condensatione et rarefactione, alteri contrariorum secretione uti dicuntur;

τὰς γενέσεις ἀποδιδόασιν, ἀλλὰ κατὰ ἔκκρισιν· ἐνούσας γὰρ τὰς ἐναντιότητας ἐν τῷ ὑποκειμένῳ ἀπείρῳ, ὄντι [*ἀ*]*σώματι* (de hac lectione postea disputabitur), *ἐκκρίνεσθαί φησιν Ἀναξίμανδρος* . ." Vid. supra p. 14.

inde autem sequitur, ut aliqui esse dicantur unum ex elementis ponentes, qui contrariorum secretione, et aliqui corpus quoddam medium ponentes, qui condensatione et rarefactione utantur. At horum utrumque cum Simplicii opinione pugnat. Nam neque in iis, qui unum ex elementis ponant, ullum agnoscit, qui contrariorum secretionem statuat, siquidem hanc generationis formam uni tribuit Anaximandro, hunc autem ubique non unum ex elementis sed aliquid *παρὰ ταῦτα* ponere contendit; neque in iis, qui corpus quoddam medium ponant, ullum videtur agnoscere, qui condensatione et rarefactione utatur, siquidem Damascenum et Porphyrium, qui corpus illud medium ab Aristotele memoratum ad Diogenem Apolloniatem referunt hac generationis forma utentem, subtili argumentatione refellit. Ergo Simplicii sententia posterior illa divisio non secat prioris partes; restat igitur, ut eam putet in easdem atque priorem partes incidere. Hoc autem si ponimus, omnes physicos unum atque unum quidem corpus ponentes ita dividit, ut alteros unum e tribus elementis eosdemque condensationem et rarefactionem, alteros corpus quoddam inter aerem et ignem medium eosdemque contrariorum secretionem ponere dicat. Iam vero in iis, qui contrariorum secretione utantur, solum numerat Anaximandrum. Ergo, cum, ut e divisionibus apparet, contrariorum secretio coniuncta sit cum opinione corporis illius medii, Anaximandrum dicit eum, qui corpus inter aerem et ignem medium ponat. Ergo Aristotelis verba ‘*ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν . . . ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο*’ ita intellegit, ut posteriorem disiunctionis partem, eos, qui corpus inter aerem et ignem medium ponant, ad Anaximandrum, priorem, eos, qui unum e tribus elementis ponant, ad reliquos physicos pertinere credat. Itaque hac quoque parte eadem atque nos Aristotelis loci explicatione utitur.

Sed Simplicium naturam illam mediam Anaximandro tribuere etiam alio modo videtur ex eius disputatione pa-

tere. Secunda enim disputationis parte naturam illam mediam, ut antea vidimus, ab Alexandro ait ad Anaximandrum referri. Utrum ipse hanc Alexandri sententiam probet nec ne, hoc ipso loco certis verbis indicare omittit; sed hoc ipso loco subtili argumentatione refellit Porphyrii opinionem ab illa dissentientem, et ipse iam ante hunc locum naturam inter duo elementa mediam tribuit Anaximandro eandemque sententiam reliquis omnibus locis tuetur, non solum in commentario in libros physicos verum etiam in libros de Coelo, id quod antea singillatim persecuti sumus[1]), atque hinc concludendum est, Simplicium cum illa Alexandri sententia omnino consentire et propterea solum omisisse aperte indicare, quod et e Porphyrii refutatione et ex ipsius verbis antegressis satis pateret. Quodsi autem hoc modo constat, hanc esse Simplicii sententiam, inde rursus eius de Aristotelis loco sententia cognosci potest, tamquam e quodam effectu id, sine quo effectus esse non potest. Facile enim patet, Simplicium naturam illam, quae ab Aristotele memoratur, inter duo elementa mediam ita solum putare potuisse ad Anaximandrum pertinere, si verbis ‘*ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν κτλ.*’ significari putavit doctrinam omnibus physicis communem statimque in duas suas partes divisam.

Denique duobus quidem locis, eo, quo Porphyrius refellitur, et eo, quo separatim de iis agitur, qui ad res generandas condensatione et rarefactione utantur, Simplicii verba vidimus ita accipi posse, ut illis Aristotelis verbis putare videretur differentiam significari prioribus physicis propriam; sed ostendimus, eadem verba pari vel meliore etiam iure ita quoque explicari posse, ut existimandus esset credere, illis Aristotelis verbis doctrinam significari omnibus physicis communem. Cum autem pari certe iure hac po-

---

1) Vid. p. 113 sq.

steriore ratione accipi possint et solum hac ratione accepta cum Simplicii sententia modo exposita consentiant, necessario hac ratione accipienda sunt, nisi sine ulla caussa Simplicium credere volumus eodem loco de eadem re sententias pronuntiare omnino pugnantes.

Itaque, ut totam disputationem brevibus concludamus, Simplicius Aristotelis locum ita intellegit, ut verbis '*ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν κτλ.*' ad '*οἱ μὲν*' adpositis non differentiam prioribus physicis propriam, sed doctrinam omnibus physicis communem significari, ut hanc doctrinam communem statim verbis '*ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο*' modo disiunctivo per ipsius partes explicari, ut denique ad harum partium posteriorem solum Anaximandrum, ad priorem omnes reliquos physicos pertinere putet. Intellegit igitur ea ratione, quam solam veram esse supra demonstravimus[1]).

---

1) Erunt fortasse, qui hanc de Simplicii loco disputationem iusto longiorem esse putent. Qui si propterea ita iudicant, quod loci sententia brevioribus potuerit explicari, iudicium mutabunt, si ipsam huius loci naturam consideraverint. Est enim in hoc loco singularis quaedam ambiguitas, quae quidem tota inde proficiscitur, quod Aristoteles eo loco, in quo explicando Simplicii locus versatur, oratione utitur minus eleganti Cum enim, ut ostendimus, Aristoteles rationem omnibus physicis communem ad priorem eorum partem adponat et ad alteram mente suppleri velit, verba, quibus haec communis physicorum ratio significatur, in ea propositione, in qua ad priorem partem adponuntur, per se sola ita etiam accipi possunt, quasi significent differentiam huic parti propriam. Inde autem efficitur, ut in hisce verbis, si per se sola spectantur, duplex inesse possit intellectus. Namque si ita accipiuntur, quasi differentiam significent, toto suo ambitu ad propositionis subiectum, id est, ad priorem physicorum partem (*οἱ μὲν*) pertinent, tumque etiam propositionis praedicatum, generatio per condensationem et rarefactionem, de toto eorum ambitu intellegendum est; sin autem ita accipiuntur, ut accipi debent, non nisi altera ambitus sui parte ad illud propositionis subiectum pertinent, tumque etiam illud propositionis prae-

20. De Philopono brevibus esse licet: is enim Aristotelis locum non solum, quod ad eius sententiam attinet,

---

dicatum non nisi de altera huius ambitus parte intellegendum est. Atque inde patet, sententiam effici omnino diversam, prout aut illa aut hac ratione accipiuntur. Iam vero Simplicius, quamvis, ut e tota eius disputatione apparet, veram illorum verborum rationem perspexerit, tamen omittit, eam certis verbis indicare; et dum in Aristotelis loco explicando singulas eius sequitur partes, duobus explicationis locis iisdem illis verbis, ut ab Aristotele posita sunt, utitur; atque inde efficitur, ut in hisce duobus locis eadem cernatur ambiguitas, quam in Aristotelis loco significavimus. Duo autem in Simplicii disputatione sunt, quae omni ambiguitate carent, primum duae illae generales physicorum divisiones, deinde eius generationis, quae in contrariorum secretione consistit, ad unum Anaximandrum relatio. Itaque ab hisce duabus rebus tamquam a certo initio in explicanda Simplicii disputatione proficiscendum erat. Ut autem appareret, ab hisce alteros illos duos locos non dissentire, de illis ipsis singillatim ita erat tractandum, ut duplex illa, qua intellegi possent, ratio in ipso conspectu poneretur.

Si qui autem forte propterea disputationem iusto longiorem putent, quod res tantum diligentiam non mereat, his facile potest responderi. Dicere quidem possim, in rebus vel minimis veritatem veritatisque certitudinem propter se ipsam amandam esse; sed id hoc loco praetereo, cum ipse hic Simplicii locus per se in quaestione de Anaximandri philosophia gravissimus sit. Namque multae illae de hac philosophia dubitationes, dissensiones, falsae opiniones nunquam natae essent, si huius loci sententia fuisset perspecta. Ut paucis rem ostendam, Schleichermacherus maxime falsa huius loci interpretatione impeditus est, quominus veram illius Aristotelis loci rationem perspiceret (cf. Werke III, 2, p. 180); hac falsa interpretatione commotus Alexandri de Anaximandro testimonium contemnit, quippe quod a Simplicio refelli censeat (ibid. p. 180 et 181), cum is eandem atque Alexander sententiam sequatur eamque contra Porphyrium defendat; hac commotus Porphyrium laudat (ibid. p. 175), quamvis is revera a Simplicio ex ipso Aristotele prorsus refutetur; hac commotus Simplicium a semet ipsum dissentire ideoque fide indignum esse iudicat (ib. 180 sq.); hac denique quasi securus factus

eodem modo atque nos ipsi intellegit[1]), verum etiam unus omnium interpretum ipsam loci rationem grammaticam certis verbis indicat, qua illa sententia continetur. Quare satis erit, haec ipsa eius verba attulisse. Philoponus igitur in commentario in h. Arist. l., postquam monuit, Aristotelem divisionis membra minus apte collocavisse[2]), sic pergit: „*δεῖ οὖν μικρὸν μεταῤῥυθμίσαι τὴν λέξιν, ἵνα τὴν ἀκόλουθον ἀνταπόδοσιν ἴδωμεν· οὕτως οὖν ὑπερβιβαστέον τὴν λέξιν· ὡς δὲ οἱ φυσικοὶ λέγουσι, δύο τρόποι εἰσίν· ἓν γὰρ ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα τὸ ὑποκείμενον καὶ τὰ ἑξῆς, τὰ ἄλλα γεννῶσι οἱ μὲν πυκνότητι καὶ μανότητι, οἱ δὲ ἐκ τοῦ ἑνὸς ἐνούσας τὰς ἐναντιότητας ἐκκρίνεσθαι λέγουσιν*“.

Denique vix poterit dubitari, quin Alexander quoque locum eodem modo intellexerit. Namque hac solum condicione putare potuit, eum, qui ab Aristotele naturam inter aerem et ignem mediam ponere diceretur, esse Anaximandrum; quoniam, si locum illo altero modo intellexisset, non potuisset non animadvertere, hanc suam opinionem cum ipso loco pugnare.

21. Priusquam Aristotelis locum linquamus, recentiorum etiam de eadem quaestione sententiae indicandae sunt. Hi igitur in explicanda Aristotelis propositione: ‘*οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν — — τἆλλα γεννῶσι κτλ.*’ a

---

suam de Anaximandro opinionem proponit. Ob hunc locum Zellerus (Gesch. der Philos. I, p. 189) Simplicium existimat de ipsa Anaximandri doctrina esse incertum; et haec, opinor, caussa est, cur in exponenda Anaximandri doctrina Simplicii testimonia non respiciat. In universum autem sine huius Simplicii loci certa intellegentia eae, quae de Anaximandri principio sunt, lites non possunt componi.

1) Vid. supra p. 127 not. 1.

2) „*οὐ δοκεῖ οἰκείως τῇ ἀνταποδόσει κεχρῆσθαι· εἰπὼν γὰρ ‘οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν’ ἀνταποδοὺς φησι πρὸς τοῦτο ‘οἱ δ’ ἐκ τοῦ ἑνὸς ἐνούσας καὶ τὰ ἑξῆς.’ ἀκόλουθον δὲ ἦν τῷ εἰπόντι ‘οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες’ ἀνταποδιδόντι εἰπεῖν ‘οἱ δὲ πολλὰ ποιήσαντες’*“.

veteribus Aristotelis interpretibus omnino discrepant; namque ad unum omnes sumunt, non aperta quidem sententiae enuntiatione, at certe re, verbis '*ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν σῶμα τὸ ὑποκ., ἢ τῶν τριῶν τι ἢ ἄλλο*' significari differentiam, qua prior physicorum pars ab altera differat. Omnes enim haec verba, tamquam si id per se omnino certum sit, referunt solum ad '*οἱ μὲν*' sive priorem physicorum partem; et huc referentes locum sic interpretantur, ut Aristotelem dicant physicos ab ea ratione, qua id quod est vel summum principium definiant, bifariam dividere in eos, qui id quod est unum ponant corpus rebus subiectum, atque id quidem aut unum ex elementis aut naturam quandam inter aerem et ignem mediam, et in eos, qui simpliciter ponant aliquid unum, — huius enim naturam ab eo non definiri —; atque prioribus quidem omnibus, et iis, qui corpus rebus subiectum unum ex elementis, et iis, qui id naturam illam mediam ponant, eam multitudinis generandae rationem tribuere, quae in condensatione et rarefactione, alteris autem omnibus eam, quae in secretione contrariorum consistat. Atque ita locum interpretati, cum Aristoteles in alteris physicis, quos simpliciter id quod est aliquid unum ponere ex hocque res non condensatione et rarefactione, sed contrariorum secretione gignere dicit, Anaximandrum, atque hunc quidem solum nominet, concludunt, ab Aristotele Anaximandrum non intellegi eum, qui id quod est naturam inter aerem et ignem mediam ponat[1]).

---

1) Recentiores intellego Schleiermacherum et eos, qui post hunc de Anaximandro scripserunt; nam Tennemannus (Histor. philos. I, p. 68 not. 18 et p. 69 not. 19) hoc Aristotelis loco ita utitur, ut eum videatur leviter tantum inspexisse. Nec vero in animo est, omnes adferre, sed eos solum, qui quasi chorum ducunt. Itaque Schleiermacherus, qui primus hunc locum adhibuit ad demonstrandum, naturam mediam ab Aristotele non tribui Anaximandro, eum

Quae quidem conclusio, hac loci interpretatione posita, necessaria est; nam profecto absurdum est putare,

---

his verbis interpretatur (Werke III, 2, p. 129): „Einige der Physiker setzen das Seiende als Eins, nämlich einen zu Grunde liegenden Körper, entweder von den drei Elementen einen — oder einen andern, der dichter ist als Feuer, dünner aber als Luft, und erzeugen das übrige, indem sie durch Verdichtung und Verdünnung das Viele entstehen lassen. . . . Andere aber scheiden aus ihrem Einen, welches hier leider wieder unbestimmt gelassen wird, die darin befindlichen Gegensätze aus, wie Anaximander sagt, und erzeugen also auf diese Art das übrige Viele.“ Atque sic interpretatus concludit: „Wenn also nach Arist. vermittelst des Mitteldings . . nur auf dem Wege der Verdünnung und Verdichtung erzeugt wird, Anaximander aber ausdrücklich nicht so erzeugt haben soll, so kann ihm Aristoteles jenes Mittelding nicht als Urstoff zuschreiben.“ — Cum Schleiermachero consentiunt Brandisius (vide Hist. philos. Gr. Rom. I, p. 128, e et p. 130, a) et Ritterus (Hist. philos. vet. I, p. 283 et not. 2 et 3).

Prae ceteris autem in hac sententia est Zellerus, qui locum paullo audacius sic interpretatur (I, p. 190): „Die einen, von der Voraussetzung Eines bestimmten Urstoffes ausgehend, lassen die Dinge durch Verdünnung und Verdichtung daraus entstehen, die andern, wie Anaximander, Anaxagoras und Empedokles, behaupten, dass die Gegensätze in dem Einen Urstoff schon enthalten seien und durch Ausscheidung aus ihm hervorgehen.“ In qua interpretatione statim animadvertendum esse puto, duo ea quae ponantur divisionis membra sibi parum respondere. Cum enim prius membrum sic proponatur: 'alteri, materiam ponentes qualitate definitam, condensatione et rarefactione res generant', cum igitur hi alteri definiantur naturâ principii ab ipsis positi, ut divisio iusta esset, in altero quoque membro, quod sic proponitur: 'alteri autem, quemadmodum Anaximander, Anaxagoras, Empedocles, contrariorum secretione res generant', talis quaedam definitio addi debebat, aut eadem atque prioribus aut aliqua illi opposita, dicendum igitur erat aut hoc modo: 'alteri autem materiam ponentes qualitate definitam — cet.', id quod Zellerus non volt, aut hoc modo: 'alteri autem materiam ponentes qualitate non definitam, cet.'

eundem Aristotelem, qui omnes eos physicos, qui id quod est aut unum ex elementis aut naturam mediam ponant, ad res generandas condensatione et rarefactione uti dicat, Anaximandrum autem hac generationis forma uti neget, Anaximandrum eum esse velle, qui naturam illam mediam ponat. Quare imprudentissime ii agunt, qui, cum hanc loci interpretationem sequantur, nihilo secius fieri posse putent, ut Aristoteles Anaximandro naturam mediam tribuat; atque aut concedendum est, Aristotelem hoc loco ab Anaximandro naturam illam mediam abiudicare, et, cum alii sint loci, quibus videatur ei tribuere, hos aut demonstrandum est ad Anaximandrum non pertinere — id quod facere student Schleiermacherus et Zellerus —, aut sumen-

---

Quare vix credi potest, hanc Zelleri divisionem cum Aristotelis sensentia convenire. De ea re, quod Anaxagoram et Empedoclem cum Anaximandro in eodem divisionis membro ponit, paullo post in ipsa dissertatione dicetur. — Illa igitur interpretatione posita, ita concludit: „Hier ist doch ganz deutlich, dass sich Aristoteles die Verdünnung und Verdichtung mit der Annahme eines qualitativ bestimmten Urstoffes ebenso wesentlich verknüpft denkt, wie die Ausscheidung mit der Voraussetzung einer ursprünglichen Mischung aller Dinge oder eines Urstoffes ohne qualitative Bestimmtheit"; concludit igitur, Aristotelis sententia omnes, qui materiam qualitate definitam ponant condensatione et rarefactione res generare, nullumque eorum esse, qui alia generationis forma utatur (id enim est, Aristotelis sententia cum ipsa materiae definitae opinione coniunctam esse opinionem condensationis et rarefactionis), omnes autem, qui aut materiam ex omnibus rebus mixtam aut materiam omni qualitate definita carentem ponant, ad res generandas contrariorum secretione, nullum autem illa priore generationis forma uti. Quae quidem conclusio eatenus vera est, quatenus vera est illa Aristotelis loci interpretatio. Quod autem Zellerus in posteriore conclusionis parte pro Anaximandro dicit 'eos, qui materiam ponant qualitate definita carentem', id facit ex sua ipsius de Anaximandro sententia; nam ipse Aristoteles neque hoc neque alio loco quidquam dicit, e quo haec sententia colligi possit.

dum, id quod in hac re maxime incredibile est, Aristotelem ipsum a sese mirabili quodam modo dissentire, — aut concedendum, illam loci interpretationem falsam esse. Sed ipsi antea satis vidimus, illam interpretationem, si prior divisionis illius pars: 'οἱ μὲν γὰρ ἓν ποιήσαντες τὸ ὂν — τἆλλα γεννῶσι' κτλ.', per se sola spectaretur, facillimam quidem videri, simulatque autem altera quoque divisionis pars: 'οἱ δὲ ἐκ τοῦ ἑνὸς — ἐκκρίνεσθαί [φασιν]' spectaretur, apparere talem, quae omnino non posset cum Aristotelis sententia convenire. Nolumus repetere, quae antea de hac re disputavimus; id solum placet iterum monere, quoniam hoc loco clarius etiam quam antea apparet, hac interpretatione posita evenire, ut Aristoteles in illa physicorum divisione prioris partis principium accurate definiverit, alterius autem partis omnino infinitum reliquerit[1]); quo nihil potest esse inelegantius, nihil et a disserendi arte et a naturali cogitationis ratione alienius.

Praeterea plerique in posteriore illius divisionis parte, in iis, qui sic significantur: 'οἱ δὲ ἐκ τοῦ ἑνὸς ἐνούσας τὰς ἐναντιότητας ἐκκρίνεσθαί [φασιν]', praeter Anaximandrum numerant etiam Anaxagoram et Empedoclem, quos Aristoteles loco statim sequenti pariter contrariorum secretione res generare dicit; idque non solum ii faciunt, qui Anaximandri principium mixtionem[2]), verum etiam ii, qui naturam quandam simplicem esse volunt[3]). Sed meo iudicio fieri non potest, ut Aristoteles hoc voluerit. Nam quamquam Anaxagoram et Empedoclem dicit pariter atque Anaximandrum res contrariorum secretione generare, tamen eos ab Anaximandro ipso genere segregat. Etenim vi-

1) Vide Schleiermacherum et Zellerum in adnot. praecedenti.

2) Ritter l. l. I, 283 not. 3.

3) Vide in primis Zellerum Philos. Gr. I, p. 190 (cf. supra p. 206) et p. 183, 3. Eodem modo Brandis I, p. 133, g; Ueberweg Grundr. I, § 13; al.

dimus, eum in generali illa divisione[1]), quam disputationi de diversis philosophorum principiis praemittit quamque in hac ipsa disputatione sequitur, omnes physicos in duo dividere genera, alterum eorum, qui rerum principium sive id quod est unum solum, alterum eorum, qui plura esse statuerent. Quae nostro loco verbis *οἱ μὲν — οἱ δὲ* proponitur divisio, prioris generis est — de hoc enim solo hoc loco agi supra ostendimus —[2]), atque in huius altera parte Anaximander ponitur; Anaxagoras et Empedocles autem pars posterioris generis sunt, ea scilicet pars, quae id quod est simul unum et plura ponebat, et ab Aristotele ipso in hoc genere ponitur[3]). Ergo, cum diversa genera nullas habere possint partes easdem (nam etiam, si aliqua unius generis pars et aliqua alterius generis pars eadem utuntur differentia, tamen hae partes ipsae propter generis diversitatem omnino diversae sunt), Anaxagoras et Empedocles non recte simul cum Anaximandro nec in aliqua prioris illius nec in aliqua posterioris generis parte poni possunt; quamvis enim illi cum Anaximandro in ratione generandae multitudinis, in secretione contrariorum, consentiant, tamen haec ipsa contrariorum secretio in utrisque necessario diversa est, propterea, quod alterius sententia fit e principio uno et simplici[4]), alterorum autem sententia ex uno ex ipsis contrariis mixto, quae qui-

---

1) Phys. I, 2. 184 b 15 sq. Vid. supra p. 153.

2) Vid. suprá ibid. et p. 158.

3) Phys. I, 2. 184 b 18: „*εἰ δὲ πλείους (τὰς ἀρχὰς φάσκουσιν), ἢ πεπερασμένας ἢ ἀπείρους, καὶ εἰ πεπερασμένας πλείους δὲ μιᾶς, ἢ δύο ἢ τρεῖς ἢ τέτταρας . . ., καὶ εἰ ἀπείρους, ἢ οὕτως ὥσπερ Δημόκριτος, . . ἢ καὶ ἐναντίας.*“ In hisce qui dicitur ‘*τέτταρας ἀρχὰς*’ ponere, aperte est Empedocles, qui ‘*ἀπείρους καὶ ἐναντίας*’, Anaxagoras intellegitur. Phys. I, 4. 187 a 21 utrumque ait *ἓν καὶ πολλὰ* ponere.

4) Vid. supra p. 153 et p. 158.

dem differentia ab ipso Aristotele aperte significatur[1]). Nec in universum ea qua Aristoteles utitur physicorum divisione illi duo physici cum Anaximandro possunt unius speciei notione comprehendi[2]). Quae cum ita se habeant, statuendum est, Aristotelem eo, quod statim post Anaximandrum Anaxagoram quoque et Empedoclem secretione contrariorum uti dicit, non hosce cum illo unius speciei notione comprehendere voluisse. Antea autem iam diximus[3]), Aristotelem propterea solum hosce statim cum illo coniunxisse, quod notio secretionis contrariorum ei facillimum praeberet ab uno genere ad alterum transitum. Nunc autem totam rem exposuimus accuratius, ut plane pateret, ab Aristotele ipsum Anaximandri principium omnino non componi cum principio Anaxagorae.

22. Demonstratum igitur videtur esse, ab Aristotele eo loco, de quo hucusque egimus, Anaximandrum *nominatim* eum dici, qui *naturam inter aerem et ignem mediam* summum rerum principium ponat. Antea autem ostendimus, ab Aristotele vocabula '*τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα*', '*τὸ μεταξὺ ἀέρος καὶ πυρός*, '*τὸ μεταξὺ ἀέρος καὶ ὕδατος*' sine ullo delectu ad significandum unum idemque principium adhiberi[4]); quare illa demonstratione proprie simul demonstratum est, ab Aristotele eos etiam, qui *τὸ μεταξὺ ἀέρος καὶ ὕδατος* et qui *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* principium ponant, non alios intellegi nisi unum Anaximandrum. Sed tamen tutius esse diximus, id ipsum de hisce etiam

---

1) Phys. I, 4. 187 a 23: „*ἐκ τοῦ μίγματος γὰρ* [*καὶ*] *οὗτοι ἐκκρίνουσι τἆλλα.*" Cf. de hoc loco supra p. 57 et 58, ubi ostendimus etiam, coniunctionem '*καὶ*' ante '*οὗτοι*' non esse Aristotelis.

2) Aliter res se haberet, si Aristoteles primum divisionis principium non a numero principiorum sed a *multitudinis generatione* repetiisset; sed hoc principio non utitur nisi in primorum generum subdivisione.

3) Vid. supra p. 153.

4) Vid. supra p. 103.

separatim demonstrare, ne, si forte de unis vel alteris non esset demonstratum, de eo etiam rursus dubitatio moveretur, quod diximus illis vocabulis unum idemque principium significari. Praeterea autem ex hac demonstratione simul plura redundabunt, quibus, quae ex Aristotelis loco proxime explicato cognovimus, omnino confirmentur.

Itaque inter eos locos, quibus Aristoteles aut *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* aut *τὸ μεταξύ* tum inter aerem et ignem tum inter aerem et aquam memorat, praeter illum, quem explicavimus, plures alii sunt, quibus non nominatim quidem illorum principiorum auctorem indicat, sed tamen tali ratione significat, ut, quin unus Anaximander intellegatur, dubitari omnino non possit. Sunt autem hi loci duplicis generis. Alteri sunt ii, quibus aliquod illorum principiorum pars ponitur talis divisionis, cuius unam aliquam partem ad Anaximandrum pertinere certum sit, hanc autem partem eam esse, quae illo principio contineatur, reliquarum exclusione demonstretur; alteri ii, quibus illorum principiorum auctor talibus insignitur notis, quas demonstrari possit Anaximandri omnino proprias esse.

Prioris generis duo sunt loci omnino eandem sententiam exprimentes; e quibus cognoscitur, Aristotelem eos, qui naturam inter aquam et aerem mediam ponant, Anaximandrum intellegere. Etenim Aristoteles in disputatione de infinito, qua dicit physicos non ipsam infinitatem, sed naturam quandam, quae sit infinita, principium ponere, contendit, nullum physicorum terram aut ignem, sed solum aut aquam aut aerem aut naturam inter haec duo elementa mediam ponere eam naturam, quae infinita sit[1]. Iam vero Anaximander Aristotelis sententia unus

---

1) Phys. III, 4. 203_a 16: „*οἱ δὲ περὶ φύσεως ἅπαντες ἀεὶ ὑποτιθέασιν ἑτέραν τινὰ φύσιν τῷ ἀπείρῳ τῶν λεγομένων στοιχείων, οἷον ὕδωρ ἢ ἀέρα ἢ τὸ μεταξὺ τούτων.*“ Vide supra p. 68 et not. 1. Particulam '*οἷον*', hoc loco explicandi, nec vero exempla ad-

eorum physicorum est, qui infinitum principium esse voluerint naturam quandam, quae esset infinita; ergo Aristotelis sententia unus eorum est, qui hoc principium aut aquam aut aerem aut naturam inter haec mediam posuerint. Certe autem Aristoteles Anaximandrum non eum putavit, qui infinitum principium aut aquam aut aerem poneret; ergo Anaximandrum necesse est eum putaverit, qui naturam inter aquam et aerem mediam poneret.

Alterius generis tres loci sunt, pariter inter se plane similes, quorum primo probatur, *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα*, altero *τὸ μεταξὺ* et inter aerem et ignem et inter aerem et aquam, tertio singillatim, *τὸ μεταξὺ* inter aerem et aquam ab Aristotele ad Anaximandrum referri.

Primo igitur loco, qui legitur in capite primo secundi de Gen. et Corr. libro[1]), de iis disserit, qui unam omnium rerum materiam ponant '*τὶ παρὰ τὰ στοιχεῖα*' hocque *σωματικὸν καὶ χωριστόν*, vel, ut paullo post significatur, *σῶμα αἰσθητὸν* esse velint, pro illo vocabulo simpliciter reponit vocabulum '*τὸ ἄπειρον τοῦτο ὅ τινες λέγουσι τὴν ἀρχήν*'; atque inde sequitur, ut eos, qui *τὸ ἄπειρον τοῦτο* principium ponant, eosdem dicat atque eos, qui illud *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* unam rerum materiam esse statuant. Utitur igitur Aristoteles vocabulo '*οἱ τὸ ἄπειρον τοῦτο λέγοντες τὴν ἀρχὴν*', ut antea iam monuimus, tamquam nomine proprio. Ita autem eo uti non potuit nisi si erant, quibus id ipsum, *τὸ ἄπειρον τοῦτο λέγειν τὴν ἀρχήν*, omnino proprium esset. Quaeritur igitur, hi qui sint; quod ut cognoscatur, accuratius videndum est, hoc vocabulum quam contineat notionem. Primum in hoc vocabulo ad *τὸ ἄπειρον*

---

ferendi vim habere, patet e loco sequenti, ut illic iam diximus. Ibid. 5. 205_a 26: „— *οὐδεὶς τὸ ἓν καὶ ἄπειρον πῦρ ἐποίησεν οὐδὲ γῆν τῶν φυσιολόγων, ἀλλ' ἢ ὕδωρ ἢ ἀέρα ἢ τὸ μέσον αὐτῶν.*" Vide supra p. 70 et not. 1.

1) 329^a 8. Vid. locum supra p. 65 not. 1; cf. p. 86.

pronomen *τοῦτο* adpositum est; quo pronomine *τὸ ἄπειρον*, cum ipsum in oratione antegressa nondum memoratum sit, ad cognitam ipsius notionem refertur, estque '*τὸ ἄπειρον τοῦτο*' idem atque 'notum illud infinitum' [1]); ita autem appellari non potest nisi id, quod ab uno tantum, aut, si a pluribus, ab omnium primo positum sit, aut quod ob aliam quandam caussam prae ceteris omnino insigne sit. Verum *τὸ ἄπειρον τοῦτο* statim in eodem vocabulo accuratius etiam definitur eo, quod adponitur, '*ὅ τινες λέγουσι τὴν ἀρχήν*'; in qua adpositione animadvertendum est, aliud esse, *τὴν ἀρχὴν* dicere '*ἄπειρον*' et *τὴν ἀρχὴν* dicere '*τὸ ἄπειρον*'; nam illo dicendi modo tantum cum principii notione notio infiniti tamquam quaedam attributio coniungitur, hoc autem modo in ipsa principii infinitate maxime ipsa principii vis ponitur. Significantur igitur illo vocabulo non omnes ii, qui rerum principium statuerint infinitum esse, sed ii tantum, qui principium dixerint id quod esset infinitum, qui igitur in ipsa principii infinitate maxime ipsam principii vim posuerint. Haec autem omnia, quae illo vocabulo contineri vidimus, in unum Anaximandrum cadunt. Primum enim, ipso Aristotele teste, plerique quidem physici principium statuebant infinitum esse, quod quidem infinitum principium alii aquam, alii aerem, alii naturam inter haec mediam ponebant; — quorum ne quis credat nullos ad nostrum locum pertinere, reputandum est, quod supra demonstravimus *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* et *τὸ μεταξὺ* apud Aristotelem eandem rem significare; — sed nullum omnium scimus praeter unum Anaximandrum, qui principium dixerit id quod esset infinitum. Hunc enim solum omnes veteres scriptores inde a Theophrasto uno ore referunt non *τὴν ἀρχὴν* dixisse *ἄπειρον* sed dixisse

---

1) De hac significatione pronominis *οὗτος* vid. Math. Gr. Gr. 470, 4; Stallbaum ad Plat. Phaed. 69, C. Cf. praeterea supra p. 111.

τὸ ἄπειρον[1]), immo hunc unum Simplicius, Theophrastum sine dubio secutus, refert principium ipso τοῦ ἀπείρου nomine appellavisse[2]). Deinde reliqua etiam, quae illo vocabulo continentur, uni Anaximandro conveniunt. Namque hic unus est, quem referunt rerum principium dixisse 'τὸ ἄπειρον'; si quis autem nihilo minus fieri posse opinetur, ut alii quoque eandem sententiam proposuerint, quamquam haec opinio nec ullo historiae testimonio nec ulla alia ratione probari potest, hunc certe Simplicius eum dicit, qui primus rerum principium appellaverit 'τὸ ἄπειρον'. Accedit, quod ipse Aristoteles eo loco, quo de physicorum infinito agit, solum Anaximandrum nominatim adfert quodque, quae de caussis, cur τὸ ἄπειρον ponatur principium, et quae de infiniti vi ac natura disputat, ab Anaximandro sumpsisse videtur[3]); inde enim colligi potest, Aristotelem, si forte plures, a quibus τὸ ἄπειρον principium poneretur, cognosceret, Anaximandri certe doctrinam omnium maxime insignem putavisse. Ex hisce igitur omnibus iam concludendum est, Aristotelem vocabulo 'οἱ τὸ ἄπειρον τοῦτο λέγοντες τὴν ἀρχήν' nullos alios intellegere nisi unum Anaximandrum. Iam vero Aristoteles hoc loco eos, qui τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα unam rerum materiam ponant, eosdem esse dicit atque illos, qui τὸ ἄπειρον τοῦτο principium ponant. Ergo eos, qui τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα ponant, unum Anaximandrum intellegit. Supra autem demonstravimus[4]), quod hoc loco diceretur τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα, plane idem

---

1) Vid. locos supra p. 3 sq. Aristoteles in disputatione de infinito hanc physicorum differentiam non accurate significat; ait enim, Phys. III, 4. 203 a 3: „πάντες [τὸ ἄπειρον] ὡς ἀρχήν τινα τιθέασι τῶν ὄντων —"; et inferius, de physicis, 203 b 4: „εὐλόγως δὲ καὶ ἀρχὴν αὐτὸ τιθέασι πάντες."

2) Vid. supra p. 6 sq.

3) Vid. supra p. 25 sq.

4) Vid. supra p. 86.

intellegi atque id, quod paullo ante *τὶ μεταξὺ ἀέρος καὶ πυρὸς* dictum esset; atque hac re insigni modo confirmatur, quod antea e celebri illo Physicorum loco ostendimus, ab Aristotele *τὸ μεταξὺ* inter aerem et ignem ad Anaximandrum referri auctorem.

Altero loco, qui legitur in eiusdem libri capite quinto, quo subtilius etiam ostendit, unam omnium rerum materiam non esse posse *τὶ παρὰ τὰ στοιχεῖα*, hocque modo disiunctivo explicat esse naturam quandam mediam sive inter aerem et ignem sive inter aerem et aquam, qui illud *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* modo illo disiunctivo explicatum ponant, eo indicat, quod ait a l i q u o s (*τινὰς*) t a l e e s s e v e l l e '*τὸ ἄπειρον καὶ τὸ περιέχον*' 1). De quibus priusquam plura dicamus, explicanda est quaedam ambiguitas grammatica, quae in ipsis Aristotelis verbis cernitur.

Cum Aristoteles a l i q u o s (*τ ι ν ὰ ς*) dicat illius modi *τὸ ἄπειρον καὶ τὸ περιέχον* esse velle, pronomen 'aliqui' autem partem significet alicuius generis, quaerendum est, cuiusnam generis illi 'aliqui' pars putandi sint. In qua quaestione id quidem protinus patet, illos 'aliquos' intellegi physicorum aliquos, eos, qui unam rerum materiam ponant *τὶ παρὰ τὰ στοιχεῖα* modo illo disiunctivo explicatum. Cum autem illi 'aliqui' *τὸ ἄπειρον καὶ τὸ περιέχον* tale putare ergoque ipsum *τὸ ἄπειρον καὶ τὸ περιέχον* rerum principium ponere dicantur, quaeritur, utrum hac ipsa re, quod *τὸ ἄπειρον καὶ τὸ περιέχον* principium ponant, a reliquis physicis distinguantur, utrum igitur i i d e m intellegantur atque ii, qui hoc ponant

---

1) Aristoteles ipse, postquam illud *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* explicavit, haec addit verba: „*ὥσπερ φασί τινες τὸ ἄπειρον καὶ τὸ περιέχον*". Vide totum locum eiusque explicationem grammaticam supra p. 66 not. 1. Praeterea conferenda sunt, quae diximus p. 87—94, quibus ostendimus, disiunctionem h. l. non significare duas mediae illius naturae species, quarum altera ad alteros pertineret philosophos, verum duas eiusdem naturae mediae interpretationes, quarum utraque pari iure adhiberi posset.

principium, an horum quoque aliqui tantum, id est, aliqua horum pars dicantur; facile enim patet ipsa Aristotelis verba pari iure utroque modo accipi posse. Videtur autem aliunde certo probari posse, illos 'aliquos' eosdem intellegi atque eos, qui *τὸ ἄπειρον καὶ τὸ περιέχον* principium ponant. Namque si horum non nisi aliqui intellegerentur, plures fuisse oporteret philosophos aliis quidem rebus dissentientes eo vero inter se consentientes, quod pariter *τὸ ἄπειρον καὶ τὸ περιέχον* principium ponerent. At paullo post ostendemus, plures quidem referri philosophos, qui rerum principium contenderint esse *ἄπειρον καὶ περιέχον*, sed unum solum, qui dixerit '*τὸ ἄπειρον καὶ τὸ περιέχον*'. Ergo illi 'aliqui', qui *τὸ ἄπειρον καὶ τὸ περιέχον* illud *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* dicant, necessario intelleguntur omnes ii, qui *τὸ ἄπειρον καὶ τὸ περιέχον* principium ponant, intelleguntur igitur iidem atque ii, qui hoc ponant principium. Iam igitur quaeritur, qui ab Aristotele intellegantur ii, qui *τὸ ἄπειρον καὶ τὸ περιέχον* principium ponant.

Ex ipsis quaestionis verbis apparet, non intellegi posse omnes eos, qui rerum principium esse dicant *ἄπειρον καὶ περιέχον*, verum eos solum, qui dicant *τὸ ἄπειρον καὶ περιέχον* — sive *τὸ περιέχον* —; nihil enim refert, utrum ad hoc vocabulum articulus repetatur nec ne. Id autem ad unum pertinet Anaximandrum. Primum enim hunc certis historiae testimoniis scimus rerum principium posuisse *τὸ ἄπειρον* atque etiam *τοῦ ἀπείρου* nomine appellavisse, praeter hunc autem refertur nullus, qui hoc modo principium definiverit. Deinde hunc ipse Aristoteles testatur infinitum principium dixisse „*περιέχειν ἅπαντα καὶ πάντα κυβερνᾶν*“ [1]), ac postea rursus, sine dubio hanc Ana-

---

1) Phys. III, 4. 203b 11, in disputatione de physicorum infinito, Aristoteles ait: „— *αὕτη (ἡ ἀρχὴ δοκεῖ) περιέχειν ἅπαντα*

ximandri sententiam respiciens, absurdum esse ait, *τὸ ἄπειρον* dicere '*τὸ περιέχον*' ac non potius '*τὸ περιεχόμενον*'[1]); unde patet, Anaximandrum ad significandam infiniti vim ipso *τοῦ περιέχειν* vocabulo usum esse. At obiciat aliquis, illo Aristotelis loco coniunctim dici *περιέχειν καὶ κυβερνᾶν*, horum autem vocabulorum *τὸ κυβερνᾶν* maxime videri esse id, quod proprium sit Anaximandro, *τὸ περιέχειν* vero per se solum ab aliis quoque physicis ad significandam principii vim adhiberi[2]). Sed id facili opere refellitur. Namque primum *τὸ περιέχειν* certe est vocabulum principalius, cuius notio notionem gubernandi quodammodo contineat nec vero hac contineatur; hucque accedit, quod Hippolytus quoque in brevi Anaximandri principii adumbratione, quae verbis fere consentit cum eo Aristotelis loco, quo proxime usi sumus, hoc solo vocabulo utitur, Anaximandri naturam infinitam dicens aeternam esse et nunquam senescentem, hancque „*πάντας περιέχειν τοὺς κόσμους*[3])." Deinde idem vocabulum de summo quidem rerum principio ab aliis quoque adhibetur, veluti statim Anaximandri discipulus, Anaximenes, infinitum aerem ait '*περιέχειν ὅλον τὸν κόσμον*'[4]); nullum autem praeter Anaximandrum scimus, qui principium posuerit *τὸ ἄπειρον* hocque *τὸ ἄπειρον* dixerit *τὸ πάντα περιέχον*. Itaque statuendum est Aristotelem eos, qui *τὸ ἄπειρον καὶ τὸ περιέχον* ponant, nullos alios intellegere nisi unum Anaximandrum. Iam vero eos,

---

καὶ πάντα κυβερνᾶν . . . καὶ τοῦτο εἶναι τὸ θεῖον· ἀθάνατον γὰρ καὶ ἀνώλεθρον, ὥς φησιν ὁ Ἀναξίμανδρος." Cf. supra p. 30 et 31.

1) Phys. III, 7. 208a 3. Cf. supra p. 30.

2) Vide Schleiermacher, Werke, III, p. 183. Quae Schleiermacherus hoc loco disputat, non ad eum Aristotelis locum pertinent, de quo nunc quaerimus; hunc enim pariter ac reliqui omittit; sed ad eum, qui legitur in tertio de Coelo libro, de quo deinceps agendum erit.

3) Hippol. Refut. I, 6. Vide locum supra p. 31 not. 2.

4) Plut. Plac. I, 3.

qui unam rerum materiam esse velint *τὶ παρὰ τὰ στοιχεῖα*, quod videlicet sit natura quaedam media sive inter aerem et ignem sive inter aerem et aquam, eosdem esse dicit atque hos, qui *τὸ ἄπειρον καὶ τὸ περιέχον* ponant. Ergo Aristoteles eos, qui *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* modo illo disiunctivo explicatum ponant, non alios nisi unum Anaximandrum intellegit. Addi potest, quod antea ostendimus, ab Aristotele id, quod hoc loco modo disiunctivo medium diceret sive inter aerem et ignem sive inter aerem et aquam, eandem rem intellegi atque id, quod antecedenti quodam eiusdem libri loco simpliciter '*τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα*', et anteriore etiam loco '*τὶ μεταξὺ ἀέρος καὶ πυρός*' dixisset[1]), quodque horum utrumque iam demonstravimus ab eo ad Anaximandrum referri auctorem.

Tertio denique loco, qui est in quinto cap. tertii de Coelo libri, quo aliquos refert unum solum rerum elementum statuere, atque alios quidem aquam, alios aerem, alios ignem, alios aliquid inter aquam et ignem medium illa subtilius hoc autem densius, in indicandis tribus prioribus solum ipsum elementum, quod quique posuerint, nominat, in indicandis autem iis, qui posuerint aliquid inter aquam et aerem medium, praeterea praecipuas etiam, quibus hanc naturam mediam definiverint, attributiones indicat, addens: '*ὃ περιέχειν φασὶ πάντας τοὺς οὐρανούς, ἄπειρον ὄν*'[2]).

In quo loco primum quaerendum est, cur Aristoteles,

---

1) Vide supra p. 90 sq.

2) Coel. III, 5. 303ᵇ 10. Vid. supra p. 62 not. 3. Locus est hicce: „*ἔνιοι γὰρ ἓν μόνον ὑποτίθενται, καὶ τοῦτο οἱ μὲν ὕδωρ, οἱ δ' ἀέρα, οἱ δὲ πῦρ, οἱ δ' ὕδατος μὲν λεπτότερον ἀέρος δὲ πυκνότερον, ὃ περιέχειν φασὶ πάντας τοὺς οὐρανούς, ἄπειρον ὄν.*“ Zellerus quidem (I, 188, 4) putat, pronomen relativum *ὁ* in verbis *ὃ περιέχειν φασὶ κτλ.* non necessario referri ad illud *ὕδατος λεπτότερον*, sed non minus recte referri etiam posse ad antegressum *ἕν* et idcirco ad omnia, quae enumerentur, elementa. At primum,

cum in indicandis iis, qui aquam, aerem, ignem unum rerum elementum ponant, horum elementorum nomina solum indicet, nullis, quibus quique unum suum elementum ornaverint, attributionibus additis, in indicandis iis, qui naturam inter aquam et ignem mediam ponant, ad ipsum huius naturae vocabulum addat etiam duas illas, quas huius naturae esse voluerint, attributiones. Cuius rei, opinor, non alia inveniri poterit caussa, nisi quod putaverit, eam rem, quam appellaverit naturam inter aquam et aerem mediam, non iam illo solo vocabulo, sed additis demum his attributionibus satis aperte significari. Quod si ita se habet, eorum, quos naturam inter aquam et aerem mediam unum rerum elementum ponere dicit, id ipsum, quod rerum principium 'ἄπειρον καὶ περιέχον πάντας τοὺς οὐρανοὺς' dicerent, ita oportet proprium fuisse, ut his vocabulis auditis nemini posset dubium esse, qui intellegerentur. Atque fuisse aliquos, quibus id prae ceteris proprium esset, inde etiam coniciendum est, quod, quamvis ii quoque, qui aquam aut aerem unum rerum elementum ponebant, his elementis infinitatem tribuerint[1]), Anaximenesque infinitum aerem etiam verbis dixerit 'περιέχειν ὅλον τὸν κόσμον'[2]), ab hisce hoc loco ii, qui principium dicant 'ἄπειρον καὶ περιέχον πάντας τοὺς οὐρανούς', omnino distinguantur. Iam vero si quaerimus, hi qui ab Aristotele intellegantur, rursus, ut e

---

quamvis ad ἕν referri possit, tamen non naturaliter sed non nisi artificiosa quadam interpretatione istuc refertur; atque si Aristoteles ad ἕν, ideoque etiam ad singula, quae enumerantur, elementa referri voluisset, facilius certe dicturus fuisset 'ἅ — φασίν . . ἄπειρα ὄντα'. Deinde, si ad ἕν referretur, quoniam simul ad singula quoque elementa, quae enumerantur, referendum esset, referretur etiam ad τὸ πῦρ idque diceretur ἄπειρον ὄν; ignem autem Aristoteles aperte negat a quoquam infinitum poni. Vid. Phys. III, 5. 205 a 25, et ibid. 4. 203 a 16. Cf. supra p. 211, 1.

1) Vide supra p. 213.

2) Vide supra p. 217, 4.

disputatione antegressa patet, nullos reperiemus nisi unum Anaximandrum. Nam si quis obiecerit, quod ipsi in disputatione antegressa diximus, Anaximandro id ab omnibus tribui proprium, quod *τὸ ἄπειρον* principium ponat, eos autem, qui hoc loco memorentur, dici quidem principium ponere *ἄπειρον* nec vero *τὸ ἄπειρον*, id ex ipsa loci natura facile explicatur. Cum enim hoc loco de iis agatur, qui unum solum rerum elementum posuerint, Anaximandri quoque principium, si hunc statuimus in illis numerari, ea parte nominandum fuit, qua id rerum elementum esset. Iam vero rerum elementum non erat, quatenus esset *τὸ ἄπειρον*, sed quatenus corpus quoddam esset, quemadmodum aqua et aer, id est, quatenus esset natura quaedam inter aquam et aerem media. Haec autem natura media non per se ipsa est *τὸ ἄπειρον*, verum ita solum est, si infinitatis qualitatem sive attributionem habet. Ergo Aristoteles, postquam Anaximandri principium ratione rei subiectae dixit naturam inter aquam et aerem mediam, eam Anaximandri sententiam, qua is principium dicebat *τὸ ἄπειρον*, ita solum exprimere poterat, ut adderet, illam naturam mediam ab Anaximandro dici infinitam esse sive infinitatis attributionem habere. Cum autem propter hanc dicendi rationem minus certum videri possit, num illi, qui naturam inter aquam et aerem mediam unum rerum elementum ponant, ii dicantur, qui principium ponant *τὸ ἄπειρον*, ideoque minus certum etiam, num Anaximander intellegatur, dubitatio tollitur ea re, quod iidem illi non solum eo definiuntur, quod illam naturam velint infinitam esse, verum simul etiam eo, quod eam propter hanc ipsam infinitatem dicant '*περιέχειν πάντας τοὺς οὐρανούς*'. Haec enim verba plane consentiunt cum iis, quibus Hippolytus refert Anaximandrum ipsum ad definiendam infiniti naturam usum esse. Ergos Aristoteles eos, qui unum rerum elementum naturam inter aquam et aerem mediam ponant, unum Anaximandrum intellegit. Hoc autem recte a nobis conclusum esse,

confirmatur duobus aliis argumentis; primum eo, quod paullo ante e duobus Physicorum locis demonstravimus, ab Aristotele eos, qui naturam inter aquam et aerem mediam ponerent infinitam, non alios intellegi posse nisi Anaximandrum[1]); deinde eo, quod supra ostendimus, eam rem, quae hoc loco inter aquam et aerem media diceretur, ab Aristotele intellegi eandem atque eam, quae aliis locis diceretur inter aerem et ignem media[2]); quam quidem rem ab eo ad Anaximandrum referri satis probavimus.

Priusquam progrediamur, breviter inicienda videtur res quaedam, quam in explicatione proposita tetigimus quidem nec vero persecuti sumus. Diximus, caussam, qua commotus Aristoteles solum in indicandis iis, qui naturam inter aquam et aerem mediam unum rerum elementum ponerent, praeter ipsam huius naturae mediae appellationem praecipuas etiam, quibus illi hanc naturam definirent, attributiones addidisset, eam esse videri, quod hanc appellationem ad significandam hanc naturam non sufficere putaret. Si non sufficere putabat, caussam esse oportet, cur ita putaverit. Iam vero satis ostendimus, Aristotelem Anaximandri principium non solum naturam inter aquam et aerem, verum non minus saepe naturam inter aerem et ignem atque uno etiam loco modo disiunctivo sive inter aquam et aerem sive inter aerem et ignem mediam appellare; atque has diversas eiusdem principii appellationes ita tantum diximus plane explicari, si poneremus, Anaximandrum ipsum principium suum nec inter aquam et aerem nec inter aerem et ignem medium dixisse, verum ita informavisse, ut pari iure utroque modo posset explicari. Id igitur hoc loco videtur omnino confirmari. Namque si Anaximander ipse principium dixisset naturam inter aquam et aerem mediam, ipsa huius naturae appel-

---

1) Vide supra p. 211 et not. 1.

2) Vide supra p. 100 sq.

latio satis significavisset, quae res intellegeretur, nec opus fuisset illas attributiones addere. Quare ex hoc loco concludendum est, Anaximandrum ipsum illam appellationem non adhibuisse sed eam non esse nisi quandam Aristotelis interpretationem.

Iam vero ei loco, quem explicavimus, ab Aristotele quaedam subiunguntur, e quibus patere putant, Anaximandrum illo loco ab Aristotele non posse intellegi eum, qui naturam inter aquam et aerem mediam unum rerum elementum ponat. Sunt autem Aristotelis verba haecce:[1]) „*ὅσοι μὲν οὖν τὸ ἓν τοῦτο ποιοῦσιν ὕδωρ ἢ ἀέρα ἢ ὕδατος μὲν λεπτότερον ἀέρος δὲ πυκνότερον, εἶτ' ἐκ τούτου πυκνότητι καὶ μανότητι τἆλλα γεννῶσιν, οὗτοι λανθάνουσιν αὐτοὶ αὑτοὺς ἄλλο τι πρότερον τοῦ στοιχείου ποιοῦντες.*“ Ab hoc igitur loco profecti sic ratiocinantur: hoc loco eos, qui unum rerum elementum ponant naturam inter aquam et aerem mediam, ab Aristotele aperte in iis numerari, qui rerum multitudinem condensatione et rarefactione generari velint; Anaximandrum vero ab Aristotele in Physicis aperte dici res non condensatione et rarefactione, sed contrariorum secretione generare; ergo Anaximandrum ab Aristotele non intellegi posse eum, qui naturam inter aquam et aerem mediam ponat[2]). In qua ratiocinatione quod Aristoteles dicitur contendere, Anaximandrum ad res generandas non uti condensatione et rarefactione, sine ulla dubitatione constat[3]). Quare si hoc loco revera dicit, eos, qui illam naturam mediam ponant, ex hac res condensatione et rarefactione generare, aut concedendum est, ab Ari-

---

1) Coel. III, 5. 303b 13.

2) Zeller, Philos. d. Griechen I, p. 189 et 190.

3) Quod Fr. Lütze, l. l. p. 118 opinatur, condensationem rarefactionemque et contrariorum secretionem ab Aristotele non inter se opponi, id supra satis refutavimus. Vid. p. 155 not. 1.

stotele Anaximandrum non intellegi eum, qui illam naturam mediam ponat, aut, si id propter ea, quae de hac re disputata sunt, concedi nequit, Aristoteli inaudita paene cogitandi et dicendi neglegentia tribuenda est. At Aristoteles hoc loco non dicit eos, qui naturam inter aquam et aerem mediam ponant, ad res generandas condensatione et rarefactione uti; id quod ex ipsa loci interpretatione intellegitur.

Primum igitur in verbis '*ὅσοι ποιοῦσιν εἶτα γεννῶσιν*' consideranda est particula *εἶτα*. Etenim huius particulae ea est vis, ut ad rem quandam memoratam aliquid addi significet, quod ipsa illa re nondum contineatur vel etiam cum ea videatur pugnare[1]). Itaque verba '*εἶτα — γεννῶσιν*' ad verba '*ὅσοι — ποιοῦσιν*' addunt aliquid, quod his ipsis per se non contineatur, habentque vim condicionis, qua adiuncta demum de his valeat id, quod de iis praedicetur. Quare verba '*ὅσοι — ποιοῦσιν, εἶτα — γεννῶσιν*' non significant: qui — ponunt quique omnes — generant', sed tota verborum sententia haec est: 'qui aut aquam aut aerem aut naturam inter haec mediam unum rerum elementum ponunt, si hi iidem res condensatione et rarefactione generant, inscientes ipsi sibi repugnant'. Inde autem patet, ipsis Aristotelis verbis omnino non significari, omnes illos philosophos revera hoc generationis modo uti, sed prorsus incertum relinqui, num omnes, an aliquos tantum, an etiam nullos putet hoc modo res generare. Deinde Aristoteles, ut ex ipsa orationis forma[2]) apparet, hoc loco

---

1) Vocabulum *εἶτα* sive *ἔπειτα* naturaliter quandam temporis rationem significat, eam, qua posterius aliquid se habet ad id, quod prius est; atque hinc ea, quam indicavimus, significatio proficiscitur. Cf. de hoc vocabulo scite disputantem Stallbaum ad Plat. Phaed. 70 E et locos ibi laudatos.

2) Verba dico '*ὅσοι* (id est, quicunque sive quotquot) *ποιοῦσιν — εἶτα γεννῶσιν*.'

non id agit, ut singulos quosdam philosophos, qui revera omnes res aut ex aqua aut ex aere aut e natura inter haec media condensatione et rarefactione generaverint, refellat, verum orationem a propriis singulorum philosophorum sententiis sevocatam ad ipsius generis refutationem traducit. Quoniam autem non id agit, ut singulos quosdam philosophos, sed ut ipsum eorum genus refellat, ea re, quod in hoc genere eos quoque nominat, qui naturam inter aquam et aerem mediam ponant, nullo modo contendit, esse quosdam, qui e tali quadam natura media res condensatione et rarefactione generari velint, sed solum, si qui forte e tali natura media illo modo res generari velint, in hosce eandem refellendi rationem cadere atque in illos, qui ex aqua aut aere illo modo res generent. Id quod inde etiam colligi potest, quod ipse ait in eos, qui ex igne omnes res generent, hanc rationem non cadere, propterea, quod ex igne res condensatione solum nec vero rarefactione quoque generari possint, quodque hanc ob caussam hosce in illo genere non ponit. Addi potest, quod uno etiam Metaphysicorum loco de iis, qui unum solum rerum elementum statuant, eadem generali disputandi ratione utitur[1]). Quod diximus, eo etiam confirmatur, quod Aristoteles iis locis, quibus ipsam quorundam philosophorum, qui naturam inter duo elementa mediam posuerint, opinionem refellit, aliis argumentis utitur; primnm eo, quod, si esset talis quaedam natura media, e qua omnia fierent, hanc oporteret sensibus apparere, propterea quod, e quo res gignantur, in id etiam resolvantur[2]); deinde eo, quod, si esset natura quaedam inter duo elementa media, hanc oporteret aut alterautra earum, quibus haec elementa definirentur, qualitatum contrariarum uti et idcirco alterumutrum horum

---

1) Metaph. I, 8. 988^b 22—24 et maxime 29—989^a 5.

2) Phys. III, 5. 204^b 29—35. Vid. supra p. 69 not. 1.

elementorum esse, aut, si neutram harum qualitatum haberet, rursus oporteret aut horum elementorum mixtionem esse aut materiam quavis qualitate definita carentem[1]). Ergo in illis Aristotelis verbis nihil est, quod non cum proposita loci explicatione omnino consentiat.

Verum una etiam dubitatio restat. Aristoteles enim et hoc et aliis locis, quibus naturam inter duo elementa mediam memorat, hanc altero elemento densiorem altero autem subtiliorem dicit. Itaque haec natura certe quadam densitatis et subtilitatis ratione definitur. Cum autem haec natura illa elementa, quibus aut densior aut subtilior esse dicitur, ex sese progignat, haec generatio certe non fit sine quadam ipsius condensatione et rarefactione; atque cum ab elementis ex ipsa ortis maxime suo densitatis subtilitatisve gradu distinguatur, facile quispiam suspicari possit, etiam rerum generationem proprie non nisi in condensatione et rarefactione consistere. Ad quam dubitationem solvendam hoc loco id solum respondeo, aliud esse, cum rerum generatione condensationem et rarefactionem coniunctam, esse, aliud, ipsam generationem in sola condensatione et rarefactione consistere. Si hoc ponitur, diversae rerum qualitates nihil sunt nisi diversi densitatis et raritatis gradus; si illud ponitur, ipsae diversae rerum qualitates notione certe priores sunt, ita ut, quamvis cum illarum ortu simul oriantur etiam diversi densitatis et raritatis gradus, horum tamen ortus ab illarum ortu pendeat. Atque haec posterior ratio ea est, quae ad Anaximandrum pertinet; id quod postea accuratius ostendetur.

Itaque tandem omnino demonstratum esse videtur, atque demonstratum quidem ex ipsius Aristotelis libris,

---

1) Gen. Corr. II, 1. 329^a 8 et 5. 332^a 20. Vid. supra p. 65 not. 1 et p. 66 not. 1.

apud Aristotelem vocabula *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* et *τὸ μεταξὺ* sive inter aquam et aerem sive inter aerem et ignem eandem rem significare et ab eo sine ullo delectu ad significandum idem Anaximandri principium adhiberi. Atque haec vocabula pariter a plerisque Aristotelis interpretibus ad Anaximandrum referri, antea iam ostendimus. Postea autem[1]) ostendemus, cum ipsa Anaximandri ratione universa ita coniunctum esse, ut unum omnium rerum principium inter duo contraria medium esse oporteat, ut necessario etiam debuerit medium ponere.

23. Iam revertimur ad eam quaestionem, propter quam totam hanc de naturae mediae auctore disputationem instituimus, quam ipso huius disputationis initio (cap. 1) proposuimus. Erat autem quaestio haecce, num Anaximander infinitum principium, quod ostendimus non esse mixtionem e diversis rebus compositam sed naturam quandam simplicem, esse putaverit naturam per se constantem propriaque sua qualitate utentem, an naturam cuiusvis definitae qualitatis expertem. Quae quidem quaestio quamquam disputatione antegressa iam videtur soluta esse, quoniam, si Anaximandri principium est natura inter duo elementa media, necessario etiam qualitate inter haec media uti videtur, tamen separatim de ea agendum est, et quod sunt, qui sequantur sententiam contrariam, et quod huius quaestionis diiudicatio aliquid etiam conferre videtur ad cognoscendam eam rationem, qua philosophorum doctrinae paullatim progressae sint.

Plerique igitur scriptores recentiores contendunt, Anaxandri infinitum principium esse naturam quandam quavis definita qualitate carentem. Natura autem quavis qualitate definita carens nihil est nisi materia informis, re ipsa non diversa ab ea, quam Aristoteles omnibus rebus docuit subiectam esse. Quare illorum sententia Anaximandri prin-

---

1) Vid. infra cap. 25 et 26.

cipium per se nihil est nisi materia informis, et ab Aristotelis materia eo solum differt, quod, ut postea videbimus, ipsum in sese habet aeternum quendam motum, quo ex ipso rerum multitudo generatur. Sunt autem illi scriptores iidem, qui, cum Anaximandri principium velint naturam quandam simplicem nec vero mixtionem esse, id negant naturam esse inter duo elementa mediam. Atque id omnino consentaneum est; nam si Anaximandri principium est natura quaedam simplex nec vero inter duo elementa media, facile patet, eam esse non posse nisi naturam quavis definita qualitate carentem. Principes eorum sunt Schleiermacherus, cuius potissimum auctoritate illa sententia primum invaluit — nam qui ante eum idem dixerunt, quoniam sumpserunt magis quam idoneis argumentis firmarunt, non iam nominandi sunt — Brandisius, Zellerus, quos secuti alii Anaximandrum etiam laudant, quod primus ipsam materiae notionem invenerit, et philosophantur de ea ratione, qua menti ad hanc notionem fuerit perveniendum[2]).

Sed illa sententia nullis veterum testimoniis probari potest, nec talibus, quibus aperte contineatur, nec talibus, e quibus ratiocinatione quadam colligi possit; omnino autem refellitur eo, quod sententia ipsi contraria indubiis argumentis probatur. Nullis autem eam veterum testimoniis probari posse, apparebit, si consideraverimus eas rationes, quibus eam defendunt. In qua re satis erit, Zelleri disputationem accuratius persequi, quoniam is et subtilissime omnium totam caussam tractat et praeter rationes a reliquis adhibitas plurimis novis utitur ac suis.

Zellerus igitur in disputationis fine[2]) certum esse contendit, Anaximandri principium non esse naturam ullis qualitatibus definitam, idque solum posse dubitari, utrum

---

1) Cf. Thilo, Pragmatische Gesch. der neuern Philos. p. 6.
2) Gesch. etc. I, p. 192.

Anaximander apertis verbis a suo principio omnes qualitates separaverit, an solum ei nullas apertis verbis tribuerit; posterius autem verisimilius esse, quod et cum incultioribus philosophiae initiis et cum nonnullis veterum testimoniis et cum tota Aristotelis narratione optime consentiat. At si Anaximander a suo principio non aperte omnes qualitates separavit sed solum ei non aperte aliquas tribuit, nihil obstat, quominus sumamus, eum talem principii notionem in mente informatam habuisse, qua ipsa etiam quaedam eius qualitates continerentur, nisi certae sunt rationes, quibus demonstretur contrarium. Tales autem plures rationes Zellerus iam ante illam sententiae conclusionem adhibuit. Sunt autem hae rationes tripertitae.

Prima ratio consistit in ratiocinatione quadam, quae duobus Aristotelis locis, de Coel. III, 5 et Phys. I, 4[1]), nititur; cuius haec est sententia: Aristotelem priore illo loco contendere, eos, qui aquam aut aerem aut ignem aut naturam inter aquam et aerem mediam, id est, eos, qui naturam qualitatibus definitis utentem unum rerum elementum ponant, rerum multitudinem condensatione et rarefactione generare, atque inde sequi, ut Anaximandrum, quem loco posteriore dicat non hoc modo res generare, non in iis numeret, qui naturam qualitatibus definitis utentem rebus subiciant. Pariter eum posteriore loco contendere, eos, qui unum rerum principium naturam quandam qualitatibus suis definitam, atque quidem aut unum e tribus elementis aut naturam inter aerem et ignem mediam ponant, rerum multitudinem condensatione et rarefactione efficere, Anaximandrum autem simul cum Anaxagora et Empedocle in eorum genere ponere, qui rerum generationem eo fieri dicant, quod e principio contraria ipsi insita secernantur; atque inde apertius etiam sequi, ut Anaximandri principium non putaverit esse naturam definitis qualitatibus

1) Vide locos eorumque explicationem p. 152 sq. et 218 sq.

utentem, verum materiam cuiusvis qualitatis definitae expertem. Nam cum principium, quod in se contineat contraria, haec necessario aut actu contineat aut potentia et idcirco aut mixtio eorum sit aut materia per se quibusvis qualitatibus carens, Aristoteles autem Anaximandri principium non putet contrariorum mixtionem esse, sequi, ut putet esse materiam per se qualitatibus carentem[1]).

At propositiones, quibus hae conclusiones nituntur, non verae sunt. Quod enim ad priorem locum attinet, antea cognovimus, ex ipsis loci verbis non sequi, ut Aristoteles omnes, qui aut aquam aut aerem aut naturam inter haec mediam ponerent, ex hisce res condensatione et rarefactione generare putaverit, sequi autem necessario ex aliis locis, ut Anaximandrum intellexerit eum, qui naturam illam mediam poneret. Quod ad alterum locum attinet, primum supra ex ipsa eius ratione grammatica ostendimus, Aristotelem eos, qui rerum principium aut unum e tribus elementis aut naturam inter aerem et ignem mediam ponerent, non omnes dicere res condensatione et rarefactione generare, sed bifariam eos dividere in eos, qui hac generandi ratione, et in eos, qui, quemadmodum Anaximander, — hunc enim unum nominat — contrariorum secretione uterentur, atque hos posteriores eos intellegere, qui naturam inter aerem et ignem mediam ponerent. Deinde ostendimus, Anaximandrum ab Aristotele in iis numerari physicis, qui unum solum rerum principium atque quidem aut unum e tribus elementis aut naturam illam mediam ponerent, nec vero cum Anaxagora et Empedocle in uno genere coniungi, atque hinc patet, illam etiam huius generis divisionem in eos, qui rerum principium contrariorum mixtionem, et in eos, qui materiam cuiusvis qualitatis expertem esse velint, ab Aristotelis mente alienam esse[2]).

---

1) Zeller, l. l. p. 190.

2) Vid. supra p. 153 et 208 sq.

Alteram rationem repetit ab Aristotelis loco in Phys. III, 5[1]). Hoc enim loco Aristotelem putat dicere, aliquos philosophos, quorum nomine sine dubio Anaximander intellegatur, principium infinitum idcirco non in uno aliquo elemento sed in eo ponere, e quo ipsa elementa orta sint, quod quaevis natura propriis qualitatibus definita[2]), si esset infinita, qualitates ipsius qualitatibus contrarias sublatura esset. At hic locus, quem ad Anaximandrum pertinere certum est, si accurate consideratur, sententiam continet prorsus contrariam. Etenim Aristoteles toto loco, cuius is, de quo agitur, pars est, id agit, ut ostendat, nullum corpus posse actu infinitum esse; id quod facit demonstrando, corpus, quod infinitum sit, nec compositum esse posse nec unum ac simplex. Ac nostri quidem loci initio, ad hanc posteriorem demonstrationis partem conversus, hanc ponit propositionem: „nec etiam corpus infinitum (*τὸ ἄπειρον σῶμα*) potest unum ac simplex esse, atque quidem nec ea ratione, qua quidam *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* dicunt corpus simplex esse, nec in universum ulla alia ratione (id est, iis rationibus, quibus e l e m e n t a sunt corpora simplicia)." Patet, Aristotelem hac propositione duo ponere genera simplicium corporum, quorum alterum sit *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα*, alterum reliqua simplicia corpora, id est elementa, contineat, ac contendere, corpus quod infinitum sit nec huius nec illius generis ratione posse simplex esse. Quam propositionem antequam demonstret, nostro ipso loco primum rationem indicat, ob quam quidam corpus infinitum dixerint *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα*, his fere verbis pergens: „Etenim sunt quidam, qui, cum elementorum qualitates inter se contrariae sint, eam ob caussam *τὸ παρὰ τὰ στοι-*

---

1) Zeller ibid. p. 191. Locus legitur 204 b 22; cf. supra 68, 2 et 69, 1.

2) Zeller, ibid. „jeder besondere Stoff."

χεῖα nec vero unum aliquod ipsorum elementorum ponant *ἄπειρον*, quod, si horum aliquod (id est, aliquod elementum, non, ut Zellerus ait, aliqua natura qualitatibus definita in universum) esset infinitum, id ipsa sua infinitate contrariorum elementorum ortum prohibiturum esset"; deinde breviter ostendit, illud *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα*, vel, ut nunc iam accuratius significat, '*τοιοῦτον σῶμα αἰσθητὸν παρὰ τὰ στοιχεῖα καλούμενα*' omnino non esse, hac ratione utens, quod, si esset, apparere deberet sensibus. Quid igitur? Aristoteles hoc loco omnino non loquitur de talibus quibusdam, qui *τὸ ἄπειρον* generaliter dicant id, e quo elementa orta sint, ut Zellerus interpretatur, verum de iis, qui *τὸ ἄπειρον* ponant *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα*, e quo ipsa elementa orta sint; atque hoc *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* non opponit 'cuivis naturae qualitatibus definitae', verum opponit singulis illis quattuor elementis, ergoque ipsum non dicit omnino nullas definitas qualitates habere, sed solum, nullam habere illarum qualitatum contrariarum, quibus elementa definiantur. Iam vero ipso loci initio *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* pariter atque elementa aperte ponit in numero corporum simplicium, id, est, corporum simplici quadam qualitate utentium, et in loci fine ipsis verbis appellat *σῶμα αἰσθητόν*, id est, corpus sensili qualitate praeditum. Ergo Aristoteles hoc loco non solum non significat, Anaximandri principium esse naturam per se cuiusvis qualitatis expertem, verum etiam aperte esse dicit corpus, quod pariter atque elementa sua quadam simplici eaque quidem sensili qualitate utatur.

Tertiam rationem adfert testimonia Theophrasti, Porphyrii, Diogenis Laertii, Pseudo-Plutarchi, quibus ipsam illam sententiam putat contineri[1]). At Theophrastus Anaximandri principium dicit quidem '*μίαν φύσιν ἀόριστον*

---

1) L. l. p. 191 et 192.

κατ' εἶδος καὶ κατὰ μέγεθος' [1]); sed iam vidimus, his Theophrasti verbis non ipsam Anaximandri sententiam, verum quandam huius sententiae interpretationem proponi. Ostendimus enim, hac solum ratione illa Theophrasti verba consociari posse cum eo Aristotelis loco, quo is Anaximandri principium appellaret mixtionem; idemque eo etiam diximus confirmari, quod illa Theophrasti sententia nec a Simplicio, qui solus eam refert, nec ab ullo alio vetere scriptore in definiendo Anaximandri principio adhiberetur [2]). Ad haec argumenta nunc addere possumus, quod facile quidem intellegitur, quid sentiens Theophrastus, si Anaximandri principium scivit naturam esse inter duo elementa mediam, hanc explicandam esse putaverit *φύσιν ἀόριστον κατ' εἶδος*, qui autem e notione naturae nullis qualitatibus definitae oriri potuerit notio naturae inter duo elementa mediae, omnino non comprehenditur.

Iam vero quod ad Porphyrium attinet, is Simplicio teste contendit Anaximandrum principium '*ἀδιορίστως*' dicere '*σῶμα τὸ ὑποκείμενον ἄπειρον, οὐ διορίσαντα τὸ εἶδος, εἴτε πῦρ εἴτε ὕδωρ εἴτε ἀήρ*' [3]). Quorum verborum sententia, ut antea ostendimus [4]), non haec est, ab Anaximandro principium poni corpus, quod ipsum per se qualitatibus definitis careat, — tale enim corpus omnino

---

1) Simplic. Phys. p. 6, 6, p. inf.; vid. locum supra p. 47 — Non ipsum quidem Anaximandri principium hoc loco appellat '*φύσιν ἀόριστον κατ' εἶδος*', verum ait, si quis Anaxagorae mixtionem talem *φύσιν ἀόριστον* esse sumat, huius principium corporeum simile fieri principio Anaximandri. Verum ex hac dicendi ratione, ut antea exposuimus, sequitur, ut anteriore quodam loco Anaximandri principium simili ratione explicaverit.

2) Vid. supr. p. 145 et 146 cum adnot.

3) Simplic. Phys. 32, a, m. Vid. totum locum supra p. 118, 1 et p. 177.

4) Vid. supra p. 118, 1; p. 177 et 178 cum adnot.

non est — sed poni corpus quoddam in universum, cuius speciem non definiat, in incerto videlicet relinquens, num ignis an aer an aqua sit. Hoc autem ab illo maximo opere differt. Qui enim principium dicit corpus quoddam in universum, non definiens eius speciem, is, quoniam corporis notio per se notionem qualitatum sensilium continet, principium dicit naturam esse sua quadam eaque sensili qualitate utentem, nec vero naturam cuiusvis qualitatis expertem, atque ea solum parte non definitam, quatenus, quae illa eius qualitas sit, non possit definiri. Eodem modo D. Laertius[1]) et Pseudo-Plutarchus[2]) Anaximandri principium definiunt, qui verbis etiam fere cum Porphyrio consentiunt et maxime ea solum re ab eo differunt, quod is tres solum corporis species, tria dico elementa, enumerat, quorum quod principium sit, ab Anaximandro non definiatur, hi autem aliam etiam speciem memorant, post elementorum enumerationem addentes ‛ἢ ἄλλο τι’ vel ‛ἢ ἄλλα τινὰ σώματα’, quibus verbis videtur quaedam illius *τοῦ παρὰ τὰ στοιχεῖα* significatio inesse. Itaque omnibus hisce testimoniis omnino non continetur, Anaximandri principium naturam esse cuiusvis qualitatis expertem. Praeterea autem facile tibi persuaseris, neglectis etiam iis, quae de Anaximandri principio disputavimus, illam definitionem a Porphyrio memoratam non verbis solum sed ne sententia quidem posse ad Anaximandrum pertinere. Primum enim ea omnino non potuit proponi, antequam generis et speciei notiones coeptae essent distingui, quae distinctio ab Anaximandri temporibus omnino aliena est. Deinde apertissime pugnat cum ea ratione, qua Anaximandri principium

---

1) D. L. II, 1: „*οὗτος . . ἀρχὴν — τὸ ἄπειρον, οὐ διορίζων ἀὴρ ἢ ὕδωρ ἢ ἄλλο τι.*"

2) Plac. I, 3: „*ἁμαρτάνει δὲ οὗτος μὴ λέγων τί ἐστι τὸ ἄπειρον, πότερον ἀήρ ἐστιν ἢ ὕδωρ ἢ γῆ ἢ ἄλλα τινὰ σώματα*". Quod tertio loco dicitur *γῆ*, inscientis est.

definiri vidimus a Theophrasto. Nam Porphyrius et D. Laertius et Pseudo-Plutarchus Anaximandrum dicunt principium posuisse corpus quoddam, non definientem, num esset ignis an aer an aqua an aliud quoddam corpus; Theophrastus autem Anaximandrum diserte ait non unum ex elementis sed *ἑτέραν τινὰ φύσιν ἄπειρον* vel *ἄλλο τι παρὰ τὰ στοιχεῖα* principium dixisse[1]. Ergo quod illi ab Anaximandro definitum esse negant, id Theophrastus apertissime ab eo definitum esse adfirmat[2].

---

1) Simplic. Phys. 6, a, p. m. Vid. locum supra p. 115, 1 et 2. Errat igitur Zellerus (p. 192), qui in his Simplicii verbis eandem sententiam inesse putet atque eam, quae a Porphyrio proponatur.

2) Unde mira haec ac paene inepta Porphyrii de Anaximandri principio sententia orta sit, difficile inventu est. Porphyrium eam non primum ex illo loco Aristotelico collegisse sed aliunde conceptam habuisse, ex ipsa illius loci ratione intellegitur et eo etiam confirmatur, quod eadem sententia apud D. Laertium Porphyrio paullo antiquiorem legitur. Vid. supra p. 233, 1. Cum autem Porphyrius et D. Laertius et Pseudo-Plutarchus in eadem sententia conveniant, oportet aliquem fuisse scriptorem antiquiorem, e quo eam sumpserint. Iam vero is, qui primus hanc sententiam aperte falsam proposuit, quisquis fuit, ad eam certe non pervenerat nisi eo, quod veram prioris etiam scriptoris de Anaximandri principio narrationem falso interpretatus erat. Quodsi autem quaerimus, quis sit is scriptor, e cuius narratione potuerit illa sententia nasci, nihil certi quidem invenitur, sed sunt aliqua, e quibus conici possit Theophrastum esse. Is enim, si ea, quae a Simplicio in Phys. p. 6, a, p. m. referuntur, Theophrasti sunt, primum quidem Anaximandri principium ita solum definit, ut esse dicat '*μήτε ὕδωρ μήτε ἄλλο τι τῶν καλουμένων στοιχείων, ἀλλ' ἑτέραν τινὰ φύσιν ἄπειρον*' — vel, ut paullo post dicitur, '*τὶ ἄλλο παρὰ τὰ στοιχεῖα*'. Sed antea inde, quod Simplicio teste Anaximandri principium dixerat *φύσιν ἀόριστον κατ' εἶδος*, concludendum esse ostendimus, eum in eodem opere illud *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* accuratius etiam explicavisse ac sine dubio etiam naturam inter duo elementa mediam dixisse. Cum autem viderimus,

24. Cum igitur haec opinio, qua Anaximandri principium putatur esse materia cuiusvis qualitatis expers, nullis veterum testimoniis nitatur, omnibus fere, quae de illo principio referuntur, certissime probatur, id ab Anaximandro poni *substantiam corpoream simplici quadam eaque quidem sensili qualitate utentem*. Testimonia, quae cuncta iis, quos iam attulimus veterum locis continentur, tam multa sunt, ut satis esse videatur, eorum potissimis tantum uti. Sunt autem bipartita, ea, quae apud Aristotelem, et ea, quae apud eius interpretes aliosque scriptores inveniuntur.

Testimonia ex Aristotele petita rursus trifariam divido. Initio Aristoteles in disputatione de infinito, eo loco, quo, quibus rationibus infiniti opinio nitatur, indicat, hanc quoque rationem laudat, quod ita solum rerum generatio

---

Aristotelam Anaximandri principium promiscue tum inter aquam et aerem, tum inter aerem et ignem, atque semel etiam inter aquam et ignem medium dicere, hocque statuerimus inde videri explicandum esse, quod Anaximander ipse principium ita informavisset, ut pari iure et inter haec et inter illa elementa medium videri posset, omnino credibile est, a Theophrasto quoque aliquo modo pronuntiatum esse, Anaximandrum non definivisse (*μὴ διορίσαι*), inter quae bina elementa principium putandum esset medium esse. Quod si ponimus, haud sane incredibile est, aliquem scriptorem, qui Theophrastum aut minus diligenter legisset, aut, quae legisset, non satis meminisset, ita a Theophrasti mente aberravisse, ut, cum is Anaximandrum dixisset non definivisse, num ipsius principium sua ipsius specie inter haec an inter illa elementa medium esset, eum dixisse putaret, Anaximandrum non definivisse, num principium hoc illudve elementum an aliud quoddam corpus esset, id est, dixisse quidem principium corpus quoddam nec vero definivisse huius corporis speciem. Non equidem hoc certum esse dico, sed tale solum esse existimo, quod et per se nullo modo improbabile sit, et quo mirae illius sententiae origo probabili modo explicetur. Quodsi autem coniecturam nolumus in incognitis vagari, vix ullam aliam explicationem reperiemus.

et corruptio possit simpiterna esse[1]); quam rationem Anaximandri esse, supra ostendimus[2]). Brevi autem post, hanc rationem refellens, ait, ad efficiendam generationis sempiternitatem non opus esse ponere '*ἐνεργείᾳ ἄπειρον σῶμα αἰσθητόν*'[3]). Ergo Aristoteles Anaximandri principium putat esse *σῶμα αἰσθητόν*, id est, substantiam corpoream sua quadam eaque quidem sensili qualitate praeditam.

Alterum argumentum est hocce. Aristoteles Anaximandri principium plerumque ita significat, ut dicat *τὶ παρὰ τὰ στοιχεῖα* et *τὶ μεταξὺ δυοῖν στοιχείοιν*, atque quidem aut singillatim tum *μεταξὺ* inter aerem et ignem vel inter aerem et aquam, aut modo disiunctivo *μεταξὺ* sive inter aerem et ignem sive inter aerem et aquam. Iam vero vocabulum *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* demonstravimus et naturali sua significatione et apud Aristotelem usu non significare posse materiam nullis qualitatibus definitam, quippe quae non esset aliquid *παρὰ τὰ στοιχεῖα*, verum in elementis esset ut altera eorum pars, sed significare solum posse rem praeter elementa per se constantem[4]). Ergo Aristoteles hoc ipso vocabulo significat, se Anaximandri principium substantiam putare praeter elementa per se constantem ideoque pariter atque ipsa elementa sua quadam qualitate utentem. In qua re ex usu videtur monere, eos quoque, qui Anaximandri principium velint materiam esse, vocabulum *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* et apud Aristotelem et apud Theophrastum ad Anaximandri principium referre. Quod autem ad vocabulum *τὸ μεταξὺ* attinet, Aristoteles opinionem eorum, qui rerum principium naturam ponant inter duo elementa mediam, eo refellit, quod demonstrat, hanc naturam necessario esse aut duorum elementorum mixtionem aut materiam utrique subiectam, nec

1) Phys. III, 4. 203b 18. Vid. locum supra p. 23, not. 2.

2) Supra p. 22, not. 1 et 23 not. 1.

3) Vid. supra p. 23, 2.

4) Vid. supra p. 74 sq. praecipue p. 182 sq.

vero esse posse rem separatim ab elementis per se constantem (non posse *μονοῦσθαι*)[1]. Ex hac refutatione sequitur, ut naturam illam mediam Anaximandri sententia non putet materiam esse nullis qualitatibus definitam sed substantiam per se constantem suaque quadam qualitate utentem.

Denique, quod ratiocinatione quadam conclusimus, id Aristoteles etiam apertis verbis significat, eo, quod et *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* et *τὸ μεταξὺ* ipsis verbis tum *σῶμα*, tum *σῶμα χωριστόν*, tum *σῶμα αἰσθητὸν* appellat. Primum enim eos physicos, qui id quod est unum ponant corpus omnibus subiectum (*ἓν σῶμα τὸ ὑποκείμενον*), id corpus dicit aut unum e tribus elementis aut naturam inter aerem et ignem mediam ponere, dicit igitur, hanc naturam mediam pariter atque elementa, aliquam corporis speciem esse, idque eo loco, quo aperte Anaximandrum significat eum, qui illam naturam mediam ponat[2]. Alio loco eos, qui omnibus unam quandam rem dicant subiectam esse, atque quidem aut unum e tribus elementis aut naturam quandam inter aquam et aerem mediam, ea parte vituperat, quod hanc rem statuant esse '*σωματικὴν καὶ μέγεθος ἔχουσαν*'[3]; ergo hoc quoque loco naturam illam mediam aliquam corporis speciem appellat. Deinde aliquo loco, quo consulto de materia agit, eos, qui *τὶ παρὰ τὰ στοιχεῖα* unam omnium rerum materiam ponant, ea parte refellit, quod hoc *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* '*σωματικὸν καὶ χωριστόν*', vel, ut continuo post ait, '*σῶμα αἰσθητὸν*' esse velint, addens, hanc eorum sententiam esse, qui *τὸ ἄπειρον* principium ponant[4]. Similiter in disputatione de infinito, ibi, ubi

1) Vid. supra p. 53, 1; 66; 91.

2) Phys. I, 4. 187ᵃ 12. Vide supra p. 61, 1; 152; 162 cum not. 2.

3) Metaph. I, 8. 988ᵇ 22 sq. et 989ᵃ 12. Vid. supra p. 62 not. 1 et 2.

4) Gen. Corr. II, 1. 329ᵃ 8. Vid. supra p. 65 not. 1, et cf. p. 212.

ostendit, nullum corpus, quod infinitum sit, posse simplex esse, *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα*, quod a quibusdam dicatur *τὸ ἄπειρον*, simul cum elementis in numero ponit corporum simplicium, et paucis post hoc *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* simpliciter appellat '*σῶμα αἰσθητόν*', dicens, tale quoddam *σῶμα αἰσθητόν*, quale illi *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* esse velint, omnino non esse [1]). Ex his igitur duobus locis patet, *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* Aristotelis sententia corpus esse simplex, quod pariter atque elementa sua quadam eaque quidem sensili qualitate utatur. Tum in eadem, quam paullo ante memoravimus, de materia disputatione aliquos esse dicit, qui unam omnium materiam *τὸ μεταξὺ* inter aerem et ignem ponant hocque '*σῶμα καὶ χωριστὸν*' esse velint [2]). Denique condendit, *τὸ μεταξύ*, quod modo disiunctivo definit esse medium aut inter aquam et aerem aut inter aerem et ignem, ab iis, qui *τὸ ἄπειρον καὶ τὸ περιέχον* principium ponant hocque talem quandam naturam mediam esse velint, esse putari rem per se constantem (*μονουμένην*) [3]).

Ergo Aristoteles, ut initio diximus, *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* et *τὸ μεταξὺ* non solum corpus, verum accuratius etiam, quamquam id corporis notione iam continetur, corpus per se constans et corpus sensile dicit. Quod autem de illis vocabulis dicit, id de Anaximandri principio dicit. Apertum igitur est, Aristotelis sententia Anaximandri principium infinitum non esse materiam per se quavis qualitate carentem, sed esse substantiam, atque substantiam quidem corpoream, simplicem, propria sua eaque quidem sensili qualitate utentem.

---

1) Phys. III, 5. 204^{b} 22 sq. Vid. supra p. 68, 2 et p. 69, 1. Hunc locum a Zellero quoque ad Anaximandrum referri vidimus; vid. p. 230.

2) Gen. Corr. II, 1. 328^{b} 33. Vid. supra p. 64, 3 coll. p. 86.

3) Gen. Corr. II, 5. 332^{a} 20 sq. vid. supra p. 66, 1; p. 92; p. 215 sq.

Consentiunt omnino Aristotelis interpretes. Primum Alexander Anaximandri principium appellat corpus infinitum (*τὸ ἄπειρον σῶμα*), quod is in natura quadam media ponat, et hanc ipsam naturam mediam corpus medium[1]). Deinde idem principium a Porphyrio quoque et D. Laertio et Pseudo-Plutarcho dicitur corpus quoddam; et quamquam hoc corpus ab iis dicitur qualitatibus non definitum, tamen non per se sed ea solum parte dicitur non definitum, quod Anaximander eius speciem non definiverit[2]). Tum apertius etiam Simplicius illi principio corporis naturam tribuit. Is enim in commentario in eum Aristotelis locum, quo is loquitur de physicis, qui id quod est *ἓν σῶμα τὸ ὑποκείμενον* dicant, primum ait, omnes hos physicos, qui id quod est unum esse velint, hoc unum ens '*σωματικόν τι*' ponere, atque alteros quidem, Thalem, Anaximenem, Heraclitum, unum ex elementis, alteros, Anaximandrum, naturam inter duo elementa mediam[3]). Si quis autem putaverit, vocabulum '*σωματικόν τι*' significare etiam posse materiam, propterea, quod *σωματικὸν* non solum de eo, quod ipsum corporis naturam habeat, verum etiam de eo, quod ad corpus pertineat, dici possit, Simplicius ipse paullo post naturam illam mediam '*ἄλλην τινὰ φύσιν σώματος παρὰ τὰ στοιχεῖα*' appellat. Deinde ea eiusdem disputationis parte, qua de diversis disputat rationibus, quibus physici ad generandam rerum multitudinem utantur, Anaximandrumque dicit eo putare res ex infinito principio omnibus subiecto generari, quod ex eo contraria ipsi insita secernantur principium illud infinitum accuratius etiam ex-

1) In Arist. Metaph. p. 36, 1 coll. 35, 20 sq.; 34, 2 coll. 33, 3; 50, 15, ed. Bon. Vid. supra p. 104 not. 1 et 2; p. 107 not. 1 et 2.

2) Vid. supra p. 233, 1 et 2.

3) Simplic. Phys. 32[a] med. Vid. supra p. 181 sq. Quamquam Simplicius hoc loco non ipse naturam mediam Anaximandro tribuit sed ei ab Alexandro tribui dicit, tamen ostendimus, eum cum Alexandro omnino consentire. Vid. supra p. 118 et 201.

plicat adponens: 'quod quidem corpus quoddam sit[1])'. Quod autem hoc loco, quo non iam de natura principiorum sed de generatione multitudinis agit, separatim illam adpositionem addit, documento est, eum scivisse corporis notionem necessario ad Anaximandri principium pertinere.

Denique omnium apertissime Philoponus de hac re loquitur. Is enim Anaximandri principium, *τὸ ἄπειρον, τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα, τὸ μεταξὺ* sive inter aquam et aerem sive inter aerem et ignem, non modo *σῶμα* et *σῶμα ἁπλοῦν* appellat[2]), verum iis locis, quibus accuratiore definitione putat opus esse, ita significat, ut non *ἀσώματόν τι*, vel non *ἀσώματον καὶ ἀνείδεον*, verum '*σῶμα κατ' ἐνέργειαν*' vel *σῶμα κατ' ἐνέργειαν ὑφεστηκὸς*' esse dicat[3]). Atque uno

---

1) Simplic. Phys. 32, 6, p. sup.: „*ἕτερος δὲ τρόπος, καθ' ὃν οὐκέτι . . . κατ' ἀλλοίωσιν τοῦ ὑποκειμένου τὰς γενέσεις ἀποδιδοάσιν, ἀλλὰ κατ' ἔκκρισιν· ἐνούσας γὰρ τὰς ἐναντιότητας, ἐν τῷ ὑποκειμένῳ ἀπείρῳ, ὄντι [ἀ]σώματι, ἐκκρίνεσθαί φησιν 'Αναξίμανδρος.*“ Quo loco vocabulum *ἀσώματι* corruptum esse, ex ipsa formae absurditate apparet; legendum autem esse '*σώματι*' inde patet, quod paullo ante Anaximandri principium dici vidimus '*σωματικόν τι*' et '*φύσιν τινὰ σώματος*'. Sed quaeritur, qua ratione illud *ἀ* ante *σώματι* ortum sit. De qua re ego sic sentio, Simplicium scripsisse '*ὄντι τινὶ σώματι*'. Etenim si inter *ὄντι* et *σώματι* scriptum erat '*τινί*', huius vocis syllaba prior *τι* — propter eandem syllabam in fine vocis praecedentis '*ὄντι*' facile poterat praeteriri; quod si factum erat, posterior syllaba ΝΙ ultro quasi mutabatur in Α et cum '*σώματι*' coniungebatur. Praeterea autem ad loci sententiam vox '*τινὶ*' videtur necessaria fere esse. Sed hoc utut est, certe legendum est '*σώματι*', id quod nunc in Dielsii Cod. DEF legi video.

2) Vid. supra p. 128 not. 1, d.

3) Philop. m. Phys. I, 4. 187 a 12 (vid. supra p. 127 not. 1 c): „*οἱ μὲν τῶν φυσικῶν ἓν . . . τὸ ὑποκείμενον ποιήσαντες καὶ τοῦτο οὐκ ἀσώματόν τι ἀλλὰ σῶμα κατ' ἐνέργειαν . . . καὶ σῶμα ἢ ἓν τῶν τριῶν . . ., ἢ ἄλλο τι παρὰ ταῦτα . . ., οἷον ὑπέθετο 'Αναξίμανδρος.*“ In Gen. et Corr. p. 46, b, p. sup.: „— *ἐλέγχειν αὐτὸν (τὸν 'Αναξ.) οὐχ ὡς ἄλλο τι παρὰ τὰ στοιχεῖα ὕλην ὑποθέμενον· ταύτῃ*

loco, quo primum et accuratissime de Anaximandri principio disserit, eum etiam vituperat, quod *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* voluerit '*εἰδοπεποιημένον*' esse [1]).

Itaque, ut brevibus caussam concludamus, ex Aristotelis etiam interpretibus omnibusque fere reliquis scriptoribus apparet, quod ante e solis Aristotelis testimoniis collegimus, Anaximandri principium non esse materiam nullis qualitatibus definitam, sed esse substantiam corpoream, simplicem, propria sua eaque quidem sensili qualitate utentem. Atque ita demum intellegitur etiam illud, quod antea ab alio initio profecti diximus, Anaximandri principium non totum in res ex ipso ortas converti iisque quasi absumi, sed ipsum manens eas undique amplecti atque gubernare [2]).

Iam vero Anaximandri principium si est substantia propria sua qualitate utens, non poterit non quaeri, haec qualitas quae sit. Sed ad hanc quaestionem priusquam responderi possit, de alia quaestione tractandum est, quam significavimus quidem iam saepius, nec vero solvimus.

25. Vidimus, ab Aristotele, pariterque a plerisque eius interpretibus, Anaximandri principium inter duo elementa medium dici, atque medium quidem sine ullo de-

---

γὰρ ἐδύνατο λέγειν ὄρθως, εἴπερ ἀσώματον καὶ ἀνείδεον ἔφασκεν· ἀλλ' ἐλέγχει, διότι σῶμα αὐτὸ ὑπέθετο χωριστόν — vel, ut paullo post dicitur — *σῶμα ὑφεστηκός.*" Simili dicendi modo utitur in comment. in Phys. III, 5. 204^b 35; in Gen. et Corr. p. 46 a, m.; 53, b, fin. et 54, a, init. Vid. locos supra p. 128 not. 1, f.; p. 130 not. 1 a; ib. d.

1) In Phys. I, 2. 184^b 15 (vid. supra p. 126 not. 1 a): „*οὗτος δὲ (ὁ Ἀναξ.) τῶν μὲν ἄλλων μᾶλλον κατώρθου, διότι μὴ ἕν τι τῶν στοιχείων τὴν ὕλην ἔλεγεν, ἀλλ' ἕτερόν τι παρὰ ταῦτα· ἔπταιε δὲ, διότι εἰδοπεποιημένον ὑπέθετο, ἀέρος μὲν πυκνότερον λέγων, ὕδατος δὲ μανότερον.*"

2) Vid. supra p. 59.

lectu tum inter aquam et aerem, tum inter aerem et ignem, tum ratione disiunctiva aut inter aquam et aerem aut inter aerem et ignem, denique ab Aristotele semel etiam inter aquam et aerem. In his diversis Aristotelis eiusdem rei appellationibus duo distinguenda sunt, primum, quod omnibus pariter Anaximandri principium inter duo elementa medium dicit, deinde, quod sine ullo delectu tum inter haec tum inter illa elementa medium dicit. Cum non possit dubium esse, quin Aristoteles etiam ipsam Anaximandri doctrinam plane cognitam habuerit, huius ipsius de principio doctrina censenda est talis fuisse, ut aequo iure illis diversis modis significari posset. Quod si ita se habet, ad explicandas diversas illas appellationes, ut antea iam significavimus, sumendum est, Anaximandrum ipsum principium suum inter duo elementa, vel, ut generaliore vocabulo utar, inter duas naturas contrarias medium dixisse, has autem duas naturas ita definivisse, ut non duobus definitis Aristotelis elementis responderent, sed pari iure ad plura bina elementa referri possent.

Atque primum quidem ipsum Anaximandrum principium inter duo elementa vel inter duas naturas contrarias medium dixisse, ex iis patet, quae antea de hac re disputavimus. Possit quidem quispiam obicere, inde quod Aristoteles eiusque interpretes Anaximandri principium dicant inter duo elementa medium esse, non necessario sequi, ut Anaximander ipse medium dixerit, sed fieri posse, ut illud non nisi quaedam Aristotelis interpretatio sit, pariter atque Aristoteles uno loco idem principium per quandam interpretationem appellaverit mixtionem; veluti fieri posse, ut Anaximander ipse principium dixerit *τὶ παρὰ τὰ στοιχεῖα*, — in hac enim re omnes consentiunt — Aristoteles autem, id *τὸ παρὰ τὰ στοιχεῖα* intellegens re ipsa inter duo elementa medium esse, simpliciter inter duo elementa medium appellaverit. At Aristoteles, de iis disserens philosophis, quorum nomine unum Anaximandrum intellegi osten-

dimus, plerumque ita loquitur, ut non dicat, horum philosophorum principium inter duo elementa medium esse, sed ut ipsos dicat dicere (φάναι, λέγειν, εἰρηκέναι, τιθέναι), principium inter duo elementa medium esse[1]). Praeterea ea res, quod Aristoteles Anaximandri principium uno loco mixtionem dicit, Theophrastus contra φύσιν ἀόριστον, ut antea exposuimus, ita solum explicari potest, si Anaximander ipse principium inter duo contraria medium dixerat.

Sed nunc alio etiam argumento uti possumus, quo omnis dubitatio tollatur. Etenim vidimus, Anaximandri principium nec mixtionem esse e contrariis rebus compositam nec materiam cuiusvis qualitatis expertem, sed substantiam esse corpoream, atque substantiam quidem simplicem propria sua qualitate utentem; praeterea certe Aristotelis et Theophrasti testimonio constat, Anaximandrum principio insita esse voluisse contraria, quorum secretione rerum generatio fieret. Quod autem principium dicitur in se contraria habere, et in eo, quod dicitur in se habere contraria, et in ipso contrariorum vocabulo quaedam inest ambiguitas, quae paucis tollenda est. Primum igitur, cum Anaximandri principium non sit mixtio rerum actu constantium sed substantia simplex, quod dicitur in sese habere contraria, ita solum intellegi potest, ut in se habeat potentia. Deinde ipsa contraria, quae in sese habere dicitur, primum ac proprie certe intellegenda sunt qualitates contrariae, quo intellectu sine dubio ab Aristotele ʿαἱ ἐνοῦσαι ἐναντιότητες, dicuntur. Cum autem principium dicatur illa contraria ex sese secernere, qualitates vero ex sese non possit secernere nisi ita, ut simul aliqua materiae parte in illas qualitates abeat, hoc est, ita, ut ipsum aliqua certe sui parte se dirimat in res sive naturas qualitatibus illis contrariis informatas, fa-

1) Vid. locos supra p. 62, 2 et 3; 63, 2; 66, 1; 70, 1.

cile patet, illa contraria aequo iure intellegi posse res sive naturas contrarias, ergoque, cum principium dicatur contrarias qualitates in sese habere, simul in sese habere dici contrarias res sive naturas. Vix opus est monere, me haec dixisse, non quod putarem, ipsum Anaximandrum ita verbis distinxisse, sed solum, ut eius sententiam aperirem. Iam vero nulla ipsius principii ratio excogitari potest, qua posita Anaximander principium putare potuerit simul et substantiam simplicem esse et in sese contraria habere, nisi ea, quod ipsum statuerit inter contraria medium esse. Nam quae res inter duo contraria media est, eam ipsam ob caussam, quod media sit, facile putari potest ipsa contraria potentia continere; atque haec sententia videtur etiam ei subesse, quod Aristoteles Anaximandrum refert infinitum principium propterea posuisse *τὶ παρὰ τὰ στοιχεῖα*, quod, si unum ex elementis esset, nullae aliae res oriri possent, id est, quod unum aliquod elementum non continere posset naturam ipsi contrariam. Itaque haec duo, principium esse substantiam simplicem simul autem in se contraria habere, et esse inter haec contraria medium, eiusdem sententiae partes sunt, quae ita inter se habent, ut illa posita haec ponatur necessario.

Cum igitur non dubium sit, quin ipse Anaximander principium inter duas naturas contrarias medium dixerit, quaerendum est, inter quas forte duas naturas medium esse voluerit; namque hoc demum cognito iudicare poterimus de diversa illa ratione, qua Aristoteles in significando hoc principio utitur. In qua re quaerenda omnino proficiscendum esse videtur a loco quodam Eusebii e Plutarchi Stromatis petito. Is enim locus pariter atque reliqua, quae ab Eusebio ex eodem fonte de Anaximandri doctrina referuntur, tam singulari sunt et sententiarum et verborum proprietate, ut non possint sumpta esse nisi a scriptore, qui ipsam Anaximandri doctrinam etiam plane habuerit cognitam. Hoc igitur loco Anaximandri sententia de prima

nostri mundi origine sic refertur: „Circa huius mundi originem ex aeterno principio secretum esse id, quod ex illo principio fecundum esset calidi et frigidi (*τὸ ἐκ τοῦ ἀϊδίου γόνιμον θερμοῦ τε καὶ ψυχροῦ*); ex hac re calidi et frigidi fecunda sphaeram igneam aeri terram ambienti circumfusam esse, quemadmodum arbori corticem. Hanc sphaeram igneam deinceps in partes diruptam esse hasque partes, orbibus quibusdam inclusas, solem constituisse et lunam reliquasque stellas" [1]). Ut autem, quae ex hoc loco de nostra quaestione sequantur, plane intellegi possit, diligentiore singulorum explicatione opus est.

Primum igitur, si consideramus verba '*τὸ ἐκ τοῦ ἀϊδίου γόνιμον θερμοῦ τε καὶ ψυχροῦ*', ipso initio ex infinito principio dicitur non ipsum calidum et frigidum, verum quoddam calidi et frigidi semen secretum esse. Namque '*τὸ ἐκ τοῦ ἀϊδίου γόνιμον θερμοῦ τε καὶ ψυχροῦ*' apertissime notionem continet seminis, quod, quemadmodum animalis cuiusdam semen ex ipso animali fecundum est novi animalis huiusque partibus quasi turgescit, ex infinito principio fecundum sit calidi et frigidi et hisce naturis contrariis quasi turgescat paratumque sit in eas se dirimere. Sunt autem calidum et frigidum, ut

---

1) Plut. apud Euseb. Praep. Ev. I, 8, 2: „*φησὶ δὲ τὸ ἐκ τοῦ ἀϊδίου γόνιμον θερμοῦ τε καὶ ψυχροῦ κατὰ τὴν γένεσιν τοῦδε τοῦ κόσμου ἀποκριθῆναι, καί τινα ἐκ τούτου φλογὸς σφαῖραν περιφῦναι τῷ περὶ τὴν γῆν ἀέρι, ὡς τῷ δένδρῳ φλοιόν· ἧς τινος ἀπορραγείσης καὶ εἴς τινας ἀποκλεισθείσης κύκλους, ὑποστῆναι τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην καὶ τοὺς ἀστέρας.*" Mullachius, Fragm. philos. Graec. p. 238, 12 loci initio legendum esse putat: '*τὸ ἐκ τοῦ ἀϊδίου γονίμου θερμὸν καὶ ψυχρόν*'. Sed haec loci mutatio prorsus temeraria est; namque et a librorum lectione dissentit et sententiae proprietatem omnino obscurat. Reliqui, qui locum adferunt, — adferunt autem omnes, qui de Anaximandro accuratius scribunt — verba eius ita adferunt, ut scripta sunt, veram autem eorum sententiam non animadvertunt.

paullo post videbimus, prima mundi elementa, quorum concursu omnes res sigulae gignuntur; atque inde patet, Anaximandri sententia ex infinito principio primum quoddam uniuscuiusque mundi semen ex hocque demum ipsum mundum generari. Hanc autem revera Anaximandri sententiam esse, egregie comprobatur etiam aliquo Irenaei loco, qui ipse primum ex iis, quae diximus, plane intellegi potest; quo quidem loco Irenaeus „Anaximander", inquit, „hoc quod immensum est omnium initium subiecit, seminaliter habens in semet ipso omnium genesin"[1]; nam seminaliter in se omnium genesin habere idem est atque omnium rerum in se habere semina. Probabile autem est, Anaximandrum haec mundorum semina similia putavisse ovorum, cum propter alias rationes tum propterea, quod, quae ex iis oriuntur, statim ab initio formam habent globosam et, ut cernitur in ovis, in partem interiorem et exteriorem divisa sunt; de qua re inferius plura dicentur.

Iam Plutarchus, ut loci explicationem persequamur, ex illo semine ortam esse ait hac parte sphaeram quandam igneam, altera parte terram eique circumfusum aerem, ita locis disposita, ut terra eique circumfusus aer medium locum occuparent, sphaera autem ignea haec undique cingeret; hanc vero sphaeram igneam diruptam esse, et singulas eius partes, inclusas quibusdam orbibus, solem reliquasque stellas effecisse. In hac autem de mundi origine narratione duo obscura sunt. Primum enim, cum semen illud ex infinito principio secretum calidi et frigidi dicatur fecundum esse, id quidem protinus intellegitur, terram eique circumfusum aerem et sphaeram igneam, quae primo ex illo semine orta esse dicuntur, pro illis ipsis naturis contrariis substituta esse; atque facile etiam patet, sphae-

---

1) Irenae. c. Haer. III, 14, 2. Verba graeca latinis respondentia videntur hae fere fuisse: „*Ἀναξίμανδρος τὸ ἄπειρον ἀρχὴν ὑπέθετο, σπερματικῶς ἐν ἑαυτῷ ἔχον τὴν τῶν πάντων γένεσιν.*"

ram igneam esse ipsam naturam calidam, terram autem ad naturam frigidam pertinere; sed cum praeter has duas res memoretur etiam aer, qui terram cingat ipseque a sphaera ignea cingatur, quaerendum est, hic aer unde ortus sit et ad utram naturam, ad calidamne an ad frigidam, pertineat. Deinde cum sphaera ignea in plures partes dirupta haeque ipsae partes orbibus quibusdam inclusae esse dicantur, quaerendum est, et quae caussa illius diruptionis et quae materia atque origo illorum orbium sit. Hae autem quaestiones plane solvi videntur adsumptis nonnullis aliis locis, quorum alteri apud Hippolytum et Stobaeum, alteri apud Aristotelem inveniuntur.

Primum igitur ex Hippolyto et Stobaeo apparet, illos orbes constare ex aere densato. Hippolytus enim refert, Anaximandri sententia stellarum unamquamque esse orbem ignis ab aere circumclusum, per quoddam huius aeris foramen eo loco, quo stella appareat, perlucentem[1]); Stobaeus autem stellas esse dicit orbes aeris densati rotarum similes, repletos igne, quorum quisque per quoddam foramen flammas emittat[2]). Unde hic aer ortus sit quaque ratione ex eo nati sint orbes ignis orbes involventes, a neutro significatur. Sed de hac re conici potest ex Aristotele.

Etenim Aristoteles duobus Meteorologicorum locis plane similibus hanc quorundam philosophorum refert opinionem: initio terram totamque mundi regionem hanc ambientem humidam fuisse; ex hac natura humida a sole calefacta exstitisse aerem, eoque totum coeli ambitum auctum esse;

---

1) Hippol. Refall. I, 6: „*τὰ δὲ ἄστρα γίνεσθαι κύκλον πυρός, ἀποκριθέντα τοῦ κατὰ κόσμον πυρὸς, περιληφθέντα δ' ὑπὸ ἀέρος. ἐκπνοὰς δ' ὑπάρξαι τινὰς ἀερώδεις, καθ' οὓς τόπους φαίνεται τὰ ἄστρα*“.

2) Stob. Ecl. I, 510: „*'Αναξίμανδρος (τοὺς ἀστέρας) πιλήματα ἀέρος τροχοειδῆ, πυρὸς ἔμπλεα, κατά τι μέρος ἀπὸ στομίων ἐκπνέοντα φλόγας.*“

atque ex aere oriri ventos, hisque *τὰς τροπὰς ἡλίου καὶ σελήνης*, id est, ut postea ostendetur, solis et lunae conversiones a bruma ad solstitium et a solstitio ad brumam effici; reliquam autem naturae humidae partem mare esse, quod ipsum quoque perpetua siccatione decrescat et aliquando totum futurum sit exsiccatum[1]). Quam quidem opinionem Anaximandri esse, Alexandro teste ipsius Theophrasti auctoritate constat[2]), et eo etiam confirmatur, quod Pseudo-Plutarchus Anaximandrum refert mare dixisse '*τῆς πρώτης ὑγρασίας λείψανον*'[3]). Itaque secundum hanc Aristotelis narrationem Anaximandri sententia is aer, qui terrae circumfusus usque ad coelum extenditur, non in ipso mundi initio fuit, sed postea demum, cum coelum et stellae iam exstitissent, solis effectu e naturae humida tum totum etiam medium mundi locum replenti ortus est. Iam

---

1) Arist. Meteor. II, 1. 353^{b} 5: „*οἱ δὲ σοφώτεροι τὴν ἀνθρωπίνην σοφίαν ποιοῦσιν αὐτῆς* (*τῆς θαλάττης*) *γένεσιν· εἶναι γὰρ τὸ πρῶτον ὑγρὸν ἅπαντα τὸν περὶ τὴν γῆν τόπον, ὑπὸ δὲ τοῦ ἡλίου ξηραινόμενον τὸ μὲν διατμίσαν πνεύματα καὶ τροπὰς ἡλίου καὶ σελήνης φασὶ ποιεῖν, τὸ δὲ λειφθὲν θάλατταν εἶναι, διὸ καὶ ἐλάττω γίνεσθαι ξηραινομένην οἴονται καὶ τέλος ἔσεσθαί ποτε πᾶσαν ξηράν.*“ Ibid. 2. 355^{a} 21: „*τὸ δ'αὐτὸ συμβαίνει . . ἄλογον καὶ τοῖς φάσκουσι τὸ πρῶτον ὑγρᾶς οὔσης καὶ τῆς γῆς καὶ τοῦ κόσμου τοῦ περὶ τὴν γῆν ὑπὸ τοῦ ἡλίου θερμαινομένου, ἀέρα γενέσθαι καὶ τὸν ὅλον οὐρανὸν αὐξηθῆναι, καὶ τοῦτον πνεύματά τε παρέχεσθαι καὶ τὰς τροπὰς αὐτοῦ ποιεῖν.*“

2) Alex. in Meteor. p. 91, a, p. inf. (in Aristot. locum priorem) postquam eandem rem iisdem fere verbis rettulit, in fine addit: „*ταύτης τῆς δόξης ἐγένοντο, ὡς ἱστορεῖ ὁ Θεόφραστος, Ἀναξίμανδρός τε καὶ Διογένης.*“ Ibid. p. 93, b, p. sup. (in posteriorem Aristot. locum) repetit solum, hanc esse Anaximandri et Diogenis opinionem.

3) Plut. Plac. III, 16 „*Ἀναξίμανδρος τὴν θάλασσάν φησιν εἶναι τῆς πρώτης ὑγρασίας λείψανον, ἧς τὸ μὲν πλεῖον μέρος ἀνεξήρανε τὸ πῦρ, τὸ δὲ ὑπολειφθὲν διὰ τὴν ἔκκαυσιν μετέβαλεν.*“

ab hoc aere terrae circumfuso is aer, e quo conflati sunt illi orbes igneos orbes involventes, certe diversus est, non natura quidem, verum eo, quod et ad aliam mundi orientis aetatem et ad alium eius locum pertinet. Sed cum ille aer non in ipsis rerum elementis sit sed ex elementis ipsum antecedentibus oriatur, non poterit dubitari, quin hic quoque simili ratione ortus sit. Quod si ita se habet, eum oportet ortum esse e natura humida efficiente non sole — is enim nondum erat — sed ipsa sphaera ignea.

Haec si vere disputata sunt, Anaximandrum apparet haec fere de mundi origine docuisse: „Ipso mundi initio ex infinito principio secretum esse quasi quoddam mundi semen quod ex ipso principio fecundum esset calidi et frigidi. Hoc mundi semen ex sese secrevisse naturam igneam (id est calidam) et naturam humidam (id est frigidam), ea ratione, ut haec medium locum occuparet, illa autem hancce modo sphaerae igneae ab omnibus partibus amplecteretur. Efficiente hac sphaera ignea exteriorem naturae humidae partem mutatam esse in aerem, huncque latius se extendentem (namque Anaximandri sententia naturam humidam in aerem conversam simul spatio ampliorem factam esse, ipse Aristoteles posteriore loco aperte dicit) sphaeram igneam dirupisse — sine dubio et ad lineam et ex transverso —, partes autem diruptas (circulos videlicet quosdam igneos partim interiores partim exteriores imparibus intervallis inter se distantes, ut postea accuratius exponetur) undique tamquam annulis cavis, id est, tamquam canalibus sive fistulis circularibus circumclusisse.“ Atque hoc modo quaestiones antea propositae solutae sunt, simulque patet, illo Eusebii vel potius Plutarchi loco, a quo profecti sumus. terram eique circumfusum aerem dicta esse pro natura humida, utpote eas res, quae ex hacce ortae essent, eo opinor consilio, ut simul explicationis locum tenerent.

His disputatis facile cognoscitur, quae rerum elementa vel quas primas naturas corporeas ex ipso principio secretas Anaximander statuerit. Primum enim cum illud mundi semen e principio secretum fecundum esse dicatur *calidi et frigidi*, simul autem referatur primum ex sese secrevisse *naturam igneam et naturam humidam*, consequens est, ut natura ignea et natura humida sint ipsum illud calidum et frigidum, vel ut ipsae primae harum naturarum differentiae in calore et frigore positae sint. Deinde, cum e natura ignea et natura humida reliqua, aer, terra, ipsa aqua, generentur, sequitur, ut hae duae naturae ab Anaximandro omnium rerum putenter elementa esse. Ergo Anaximander duo solum rerum elementa vel primas naturas corporeas ex ipso principio secretas statuit, *naturam humidam eamque quidem frigidam et naturam igneam eamque quidem calidam.*

Quod hucusque ex ipsis veterum testimoniis cognovimus, id omnino confirmatur alio argumento, quippe quo efficiatur, Anaximandrum *non potuisse* plus duo elementa vel duas primas naturas contrarias ponere. Etenim eum vidimus statuere, principium in se habere contraria, quorum secretione rerum multitudinem generaret, ipsum autem esse substantiam simplicem, quae sua ipsius qualitate inter duo elementa vel duas primas naturas contrarias media esset. Certe autem naturas contrarias, inter quae principium medium sit, eas intellegit, quas ipsum per se potentia contineat; namque iam diximus, eum sine dubio principium eam ab caussam inter duas naturas contrarias medium ponere, quod ita solum posset et substantia simplex esse et naturas contrarias continere. Iam vero principium inter *duas solum* naturas contrarias potest medium esse, ut semper inter duas solum medium dicitur; nam etiamsi sua qualitate forte inter plures contrarias qualitates medium esse videatur, tamen hae duabus primis contrariis continebuntur. Ergo Anaximander *duas* solum statuit naturas

contrarias, quas principium ipsum per se potentia contineret quasque ex sese secerneret; ergo non potuit plus duo omnium rerum elementa ponere; quae quae sint, paullo ante cognovimus.

Sed in iis, quae de his duobus elementis disputavimus, sunt quaedam, quae accuratiorem etiam desiderent explicationem; et de ea ipsa opinione, qua haec duo solum ponuntur omnium rerum elementa, generaliter quaedam dicenda erunt.

Quod primum ad naturam humidam pertinet, ea certe non aqua sed humor est inter aquam et aerem quasi medius. Id enim quamquam non ipsis verbis traditur, tamen pluribus testimoniis satis aperte significatur. Primum Aristoteles locis antea laudatis quorundam opinionem, in quibus Anaximandrum etiam esse vidimus, ita indicat, ut eos putare dicat terram totumque circa terram locum intio *ὑγρὸν* nec vero *ὕδωρ* fuisse. Deinde Alexander, in commentario in hosce locos eandem sententiam e Theophrasto exponens et ad Anaximandrum et Diogenem referens, eodem vocabulo utitur, dicens, illorum opinione totum circa terram locum fuisse *ὑγρὸν* et mare *τῆς πρώτης ὑγρότητος ὑπόλειμμα* esse. Denique Pseudo-Plutarchus aperte ait, Anaximandri sententia mare *τῆς πρώτης ὑγρασίας λείψανον* esse, cuius quidem *ὑγρασίας* pars maior ab igne exsiccata, reliqua autem pars in mare mutata sit. Iam vero si reputamus, *ὑγρασίας* vocabulum, quo Pseudo-Plutarchus utitur, minus volgare esse, non improbabile videbitur, naturam humidam ab ipso Anaximandro appellatam esse '*ὑγρασίαν*'; quod autem ad naturam igneam attinet, inde, quod ea illo Eusebii loco e Plutarcho petito dicitur *τὶς φλογὸς σφαῖρα*, quodque illi orbes aerii orbes igneos cingentes a Stobaeo dicuntur per quaedam foramina emittere *φλόγας*, conicere licet, naturam igneam ab Aniximandro appellatam esse '*φλόγα*'. Atque haec duo vocabula eo etiam commen-

dantur, quod ipsam duarum illarum naturarum speciem omnium optime ipsis oculis subiciunt.

Deinde, cum aerem ab Anaximandro dici viderimus naturae igneae effectu e natura humida ortum esse, consequens esse videtur, ut aerem ipsum per se putaverit ad naturam frigidam pertinere; quemadmodum Aristoteles quoque ea, quae e natura frigida orta sint, per se frigida esse contendit[1]). Atque id primum omnino accommodatum est ad primam philosophiae aetatem, propterea, quod aer sensuum testimonio videtur per se frigidus esse et non nisi solis effectu calefieri. Deinde vero etiam duobus veterum locis probatur. Primum Stobaeus Anaximandri sententia coelum ait e naturae calidae et frigidae mixtione constare[2]); quae quidem natura frigida intellegi non potest nisi ille aer, qui sphaeram igneam dirupisse et partes diruptas orbibus quibusdam inclusisse dicitur; ex hoc enim aere et igne ab ipso incluso Anaximandri sententia coelum et sidera constant. Deinde Aristoteles eo loco, quo aliquos — id est Anaximandrum — dicit principium infinitum propterea '*τὶ παρὰ τὰ στοιχεῖα*' nec vero unum aliquod elementum posuisse, ne huius infinitate reliquorum ortus impediretur, eam huius sententiae adfert rationem, quod elementa qualitatibus suis inter se contraria sint, velut aer frigidus sit aqua autem humida et ignis calidus[3]). Cum

---

1) Aristot. Meteor. IV, 11. 389ª 25 sq.

2) Stob. Ecl. I, p. 500: „*Ἀναξίμανδρος (τὸν οὐρανὸν εἶναι) ἐκ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ μίγματος.*" Zellerus (I, 194 et not. 2) hunc locum ita adhibet, quasi eo universus mundus vel omnes mundi res dicantur e calidi et frigidi mixtione constare. At Stobaeus hoc loco aperte non de universi mundi sed solum de coeli materia loquitur.

3) Aristot. Phys. III, 5. 204ᵇ 26: „*ἔχουσι γὰρ πρὸς ἄλληλα ἐναντίωσιν, οἷον ὁ μὲν ἀὴρ ψυχρός, τὸ δὲ ὕδωρ ὑγρόν, τὸ δὲ πῦρ θερμόν*'. Si haec revera ex Anaximandri sententia dicta sunt, quaerendum est, quid sentiens Aristoteles, cum Anaximandri sententia

Aristoteles ipse aerem velit calidum esse eique non nisi hoc loco frigiditatem tribuat, hoc loco putandus erit Anaximandri opinionem referre in ipso eius libro inventam.

Porro ex iis, quae de natura ignea et de natura humida disputavimus, sequitur, ut Anaximander naturam humidam statuerit omnium rerum materiam esse, ipsam quidem ex infinito principio ortam, naturam igneam autem

---

etiam aqua et terra, utpote e natura humida orta, frigida sint, aerem solum frigidum dixerit. Praeterea animadvertendum est, terram in illa Aristotelis enumeratione omitti. Iam quod ad hanc posteriorem rem attinet, Simplicius Phys. p. 32, b, p. sup., postquam dixit, Anaximandri sententia ex infinito principio contraria ipsi insita secerni, ait: „ἐναντιότητες δέ εἰσι θερμὸν ψυχρόν, ξηρὸν ὑγρόν, καὶ αἱ ἄλλαι." Quamquam e Simplicii verbis, ut recte monet Zellerus, non potest concludi, haec contraria ab eo ipsi Anaximandro tribui, tamen, si reputamus, haec contraria ab eo ad Anaximandri illustrandam sententiam memorari, sique ea cum ipso illo Aristotelis loco comparamus, nihil impedit, quominus ea credamus ab ipso Anaximandro posita esse. Quod si sumimus, τὸ ξηρὸν sine dubio ad terram pertinet. Sed ad illam priorem quaestionem quid respondendum est? Aristoteles, etsi unumquodque elementum duabus definit qualitatibus, tamen in constituenda uniuscuiusque elementi forma alteram qualitatem ait potiorem esse. in terra siccitatem (τὸ ξηρόν), in aqua frigidatatem (τὸ ψυχρόν), in aere humiditatem vel potius liquiditatem (τὸ ὑγρόν), in igne calorem (τὸ θερμόν). Vid. Gen. Corr. II, 3. 331^a 3. Duobus aliis locis, Meteor. IV, 4. 382^a 3 et 5. 382^b 3, aquae maxime propriam esse ait humiditatem (τὸ ὑγρόν), nec vero unquam, quantum meminerim, aeri tribuit frigiditatem. Quid igitur, si Anaximandrum sumamus simili quadam ratione aerem, aquam, terram, quippe pariter e prima natura frigida orta, pariter frigida dixisse, differentias autem eorum ita indicavisse, ut aerem quasi per excellentiam frigidum, aquam autem humidam terram denique siccam dixerit? Si quis forte obiecerit, Anaximandrum nondum quattuor illa elementa distinxisse, respondeo, eum terram, aquam, aerem, ignem nondum posuisse elementa, verum certe distinxisse has ipsas quattuor naturas, earumque tres priores e duobus suis elementis, id est, efficiente natura ignea e natura humida generavisse.

eam vim, qua efficiente e natura humida omnes mundi res gignerentur. Hanc autem revera Anaximandri fuisse doctrinam, duobus etiam veterum locis confirmatur, quibus locis quandam ipsius veritatis memoriam subesse, ex iis demum, quae antea diximus, plane cognoscitur. Unus locus Hermiae est, qui, postquam Thalem dixit omnia ex humido (*ἐκ τοῦ ὑγροῦ*) generare, Anaximandrum ait principium ponere ipso humido antiquius, sempiternum motum, quo alia semper oriantur, alia intereant[1]). Quo loco aperte Thales et Anaximander ita inter se comparantur, ut uterque naturam humidam omnium rerum materiam ponere, Anaximander autem a Thalete eo differre dicatur, quod hanc materiam principio quodam priore ortam esse velit. Alter locus legitur in libro de Melisso, Xenophane, Gorgia, quo contra Melissum proponitur, fieri etiam posse, ut omnia per se una solum natura sive species sint, haec autem natura mutationibus quibusdam ex sese rerum multitudinem generet, quemadmodum Anaximander omnia dicat aquam esse, Anaximenes autem aerem[2]).

Denique generaliter pauca de ipsa illorum duorum elementorum opinione addenda sunt. Itaque si quaerimus, quibus rationibus ductus Anaximander naturam igneam et naturam humidam (*τὴν ὑγρασίαν καὶ τὴν φλόγα*) rerum elementa posu-

---

1) Herm. Iris. Gent. c, 4 (apud Migne, Patrol. VI, p. 1174): „*ἀλλ' ὁ πολίτης αὐτοῦ Ἀναξίμανδρος τοῦ ὑγροῦ περσβυτέραν ἀρχὴν εἶναι λέγει τὴν ἀΐδιον κίνησιν, καὶ ταύτῃ τὰ μὲν γεννᾶσθαι τὰ δὲ φθείρεσθαι.*“

2) Auctor de Meliss. Xen. Gorg. in Aristot. 975 b 21: „*ἔτι δὲ οὐδὲν κωλύει, μίαν τινὰ οὖσαν τὸ πᾶν μορφήν, ὡς καὶ ὁ Ἀναξίμανδρος καὶ ὁ Ἀναξιμένης λέγουσιν, ὁ μὲν ὕδωρ εἶναι φάμενος τὸ πᾶν, ὁ δὲ . . ἀέρα, ... τοῦτο ἤδη σχήμασί τε . . . . πολλὰ καὶ ἄπειρα ὄντα τε καὶ γιγνόμενα ἀπεργάζεσθαι.*“ Quod ad loci lectionem attinet, cum Mullachio scripsi *οὖσαν* pro *οὐσίαν* et *ἀπεργάζεσθαι* pro *ἀπεργάζεται.*

erit, facile eum putabimus id ipsa quasi natura docente fecisse. Nam qui primi omnium rerum caussas, vagis poetarum et theologorum opinionibus relictis, in ipsa rerum natura coeperant quaerere, vix poterant non animadvertere, in hoc mundo duas esse vires inter se plane contrarias, a quarum efficientia omnes rerum ortus interitusque et reliquae vicissitudines penderent, calorem dico et frigus. Cum autem has duas vires naturali quadam cogitandi necessitate referrent ad duas naturas corporeas, quarum illae qualitates essent, ipso sensuum testimonio quasi cogebantur, calorem in igne, frigus autem in natura igni contraria, id est, in aqua vel in universum in natura humida ponere. Huc autem si cogitatio progressa erat, si amplius de natura ignea et de natura huic contraria quaerebant, facile rursus ipso sensuum iudicio eo adducebantur, ut crederent, ipsam naturam igneam totam sole reliquisque stellis contineri, in quorum flammis micantibus ipsis sensibus appareret, reliqua autem, aerem, aquam, terram, ipsum denique coelum coeruleum, per se frigida esse ergoque e prima quadam nature frigida, id est, e natura humida, debere orta esse. Atque haec fere ipsa Anaximandri doctrina est.

Quoniam autem haec duo elementa quasi monstrantur ab ipsa natura, ab omnibus fere physiologis antiquioribus accipiuntur[1]). Primum Anaximenes Anaximandri discipu-

---

1) Cf. Aristot. Phys. I, 5. 188ᵇ 27: „πάντες γὰρ τὰ στοιχεῖα . . . τἀναντία λέγουσιν, ὥσπερ ὑπ' αὐτῆς τῆς ἀληθείας ἀναγκασθέντες. διαφέρουσι δὲ ἀλλήλων τῷ τοὺς μὲν πρότερα τοὺς δὲ ὕστερα λαμβάνειν, καὶ τοὺς μὲν γνωριμώτερα κατὰ τὸν λόγον, τοὺς δὲ κατὰ τὴν αἴσθησιν· οἱ μὲν γὰρ θερμὸν καὶ ψυχρόν, οἱ δὲ ὑγρὸν καὶ ξηρόν, ἕτεροι δὲ περιττὸν καὶ ἄρτιον, οἱ δὲ νεῖκος καὶ φιλίαν αἰτίας τίθενται τῆς γενέσεως.“ In his θερμὸν καὶ ψυχρὸν et ὑγρὸν καὶ ξηρὸν intelleguntur ea, quae κατὰ τὴν αἴσθησιν γνωριμώτερα sint; in hocque ipso genere Aristoteles θερμὸν καὶ ψυχρὸν et ξηρὸν καὶ ὑγρὸν putat ita inter se habere, ut illa priora, id est, generaliora ac principa-

lus, qui aerem unum omnium principium dicit ex hocque duobus ipsius motibus contrariis, rarefactione et condensatione, omnes res generat, atque rarefactione quidem ignem, condensatione autem aquam et terram, *calidum* et *frigidum* refertur prima contraria posuisse[1]. Is igitur sine dubio pariter atque Anaximander omnes res bifariam ita divisit, ut ignem solum calidum, reliquas autem res, aquam et terram — nam ipse aer medius est — per se frigida diceret; quamquam is calidum et frigidum non nisi raritate et densitate distinxit. Deinde Heraclitus, qui ignem ipsum primum principium ponit nec vero, quemadmodum Anaximander et Anaximenes, e priore principio gignit, huic igni opponit *naturam humidam* (*θάλασσαν*), in quam ille primo vertatur, et ex hac primum natura humida terram et aerem oriri statuit[2]. Ergo hic quoque duas solum primas naturas contrarias ponit, naturam igneam ac calidam et naturam humidam ac frigidam.

Tum propius etiam ad ipsam Anaximandri rationem accedunt ea duo elementa sive principia, quibus Parme-

---

liora, haec autem posteriora sint, ab illisque quodammodo pendeant. Quae quanto opere cum Anaximandri doctrina conveniant, facile comprehenditur.

1) Hippol. Refutt. I, 7: „*ὅταν (ὁ ἀὴρ) εἰς τὸ ἀραιότερον διαχυθῇ, πῦρ γίνεσθαι, μέσως δὲ πάλιν εἰς ἀὴρ πυκνούμενον ἐξ ἀέρος νέφος ἀποτελεῖσθαι κατὰ τὴν πίλησιν, ἔτι δὴ μᾶλλον ὕδωρ κτλ. . . . ὥστε τὰ κυριώτατα τῆς γενέσεως ἐναντία εἶναι θερμόν τε καὶ ψυχρόν.*“

2) Clem. Alex. Strom. V, 14. p. 711 ed. Pott: „*πυρὸς τροπαὶ πρῶτον θάλασσα· θαλάσσης δὲ τὸ μὲν ἥμισυ γῆ, τὸ δὲ ἥμισυ πρηστήρ*“. Ad quae verba explicanda Clemens addit: „*πῦρ . . . τρέπεται εἰς ὑγρὸν τὸ ὡς σπέρμα τῆς διοικήσιως, ὃ καλεῖ θάλασσαν.*“ Non opus videtur, hoc loco de significatione vocabuli *πρηστὴρ* plura dicere, quoniam quae similitudo inter Heracliti et Anaximandri de elementis opioniones intercedat, satis apparet.

nides ad explicandum hunc mundum opinabilem utitur; cuius quidem doctrina in aliis etiam rebus, maxime autem in coeli descriptione, Anaximandri sententiae admodum similis est. Etenim cum Parmenides huius mundi opinabilis elementa sive principia ponat lucem et noctem (*φάος καὶ νύκτα*) sive naturam lucidam et naturam opacam[1]), vel, ut appellavisse etiam videtur, ignem et terram[2]), cumque alteri eorum efficiendi, alteri patiendi vim tribuat[3]), haec duo elementa re certe non differunt ab illa Anaximandri natura calida et natura frigida; atque simpliciter etiam et ab Aristotele et a plerisque scriptoribus '*τὸ θερμὸν καὶ ψυχρὸν*' appellantur[4]).

Denique eadem duorum elementorum opinio apud ipsum Aristotelem etiam quodammodo invenitur. Nam etsi quattuor ponit elementa eorumque unumquodque binis quattuor illarum qualitatum, siccitatis humiditatis caloris frigoris, ita definit, ut simul et patiendi et efficiendi vim habeat (namque siccitati et humiditati patiendi, calori et frigori efficiendi vim tribuit), tamen ea rursus ita ad duo genera reducit, ut terram et aquam una patibilium elementorum notione comprehendat hisque caloris vim efficientem opponat, ea utens ratione, quod terrae proprietas maxime in siccitate, aquae autem in humiditate posita sit, frigiditas vero, quae in utroque elemento altera qualitas

---

1) Parmenid. fragm. v. 113 sq.: „*μορφὰς γὰρ κατέθεντο δύο γνώμης ὀνομάζειν, . . . ἀντία δ' ἐκρίναντο δέμας· . . τῇ μὲν φλογὸς αἰθέριον πῦρ, . . . ἄταρ . . ἀντία νύκτ' ἀδαῆ.*" v. 122: „*αὐτὰρ ἐπειδὴ πάντα φάος καὶ νὺξ ὀνόμασται.*"

2) Aristot. Phys. I, 5, 188ª 20; Metaph. I, 5. 986ᵇ 34; Theophrastus apud Alex. in Metaph. 24, 4 et 10 ed. Bon.; Simplic. Phys. 7, b, p. sup.

3) Theophrastus apud Alex. l. l.; Aristot. Metaph. I, 3. 984ᵇ 1—8.

4) Aristot. Metaph. I, 5. 986ᵇ 34; Phys. I, 5. 188ª 20; Simplic. Phys. 7, b, p. sup.; 41, a, m.

est, patibilis potius quam agens sit[1]). Atque propius etiam ad veterum physiologorum maximeque Anaximandri rationem accedit eo loco, quo ait, ipsam materiam quasi quandam frigiditatem putandam esse, propterea, quod terra et aqua, quae sint materia, frigiditate definita sint[2]).

Iam cum omnino videatur demonstratum esse, Anaximandrum duas solum primas statuere naturas ex ipso infinito principio ortas, naturam igneam eamque calidam et naturam humidam eamque frigidam, sive *τὴν φλόγα* et *τὴν ὑγρασίαν*, protinus apparet, has esse eas naturas contrarias, inter quas ipse Anaximander principium voluerit medium esse. Namque antea probavimus, id quod sequenti capite magis etiam apparebit, eum principium sine dubio medium esse voluisse inter eas naturas contrarias, quas ipsum per se potentia contineret quarumque secretione rerum multitudinem generaret; has autem nunc esse cognovimus naturam igneam eamque calidam et naturam humidam eamque frigidam; inter has igitur putandus est principium medium posuisse, altera subtilius altera densius. Possit quidem cuipiam probabile videri, ab eo principium inter ignem et aerem medium positum esse, propterea quod ipsum aere quoque, quippe e natura humida orto, necessario subtilius sit, aer autem subtilior esse videatur natura humida. Sed id ab Anaximandri opinione propterea alienum est, quod eum vidimus necessitate quadam principium medium ponere debuisse inter eas naturas contrarias, quas ipso principio contineri et ex ipso secerni vellet.

Superest, ut quaerendum sit de ea ratione, quae inter has Anaximandri primas naturas et Aristotelis elementa intercedat; qua ratione cognita protinus patebit, quomodo

---

1) Meteor. IV, 5. 382 b 3 sq., coll. ib. 4. 382 a 3.

2) Meteor. IV, 11. 389 a 29: „*δεῖ δὲ λαβεῖν τὴν ὕλην ψυχρότητά τινα εἶναι κτλ.*“

Aristoteles Anaximandri principium potuerit sine ullo delectu tum inter haec tum inter illa bina elementa medium dicere. Aristoteles igitur duo elementa ponit frigida, terram et aquam, pariterque duo elementa calida, aerem et ignem; rursus autem horum elementorum duobus, aquae et aeri, humiditatem tribuit, aquam dicens humidam et frigidam, aerem autem humidum et calidum. Haec si consideramus, protinus patet, Aristotelis aerem proprie quidem ad neutram illarum duarum Anaximandri naturarum, aequo autem iure ad utramque referri posse; quatenus enim humidus est, ad naturam humidam, quatenus calidus est, ad naturam igneam, quatenus autem simul utrumque est, nec ad hanc nec ad illam referri potest.

Ex hisce facile cognoscitur, qui fieri potuerit, ut Aristoteles Anaximandri principium tum inter haec tum inter illa bina elementa medium diceret. Nam si, a sua de elementis doctrina profectus, id potissimum spectabat, Anaximandri principium medium esse inter naturam humidam et naturam igneam, hoc principium ultro quasi inter aerem et ignem medium dicebat; sin autem, ab eadem de elementis doctrina profectus, reputabat, Anaximandri sententia naturam humidam et naturam igneam frigore et calore differre ergoque eius principium medium esse inter naturam frigidam et naturam calidam, pariter ultro quasi id principium medium dicebat inter aquam et aerem, propterea, quod ipsius sententia aqua et aer frigidi et calidi quasi termini sunt. Iam vero, si totam Anaximandri rationem consideramus, certe eius principium aptius etiam videtur appellari potuisse inter aquam et ignem medium. Ac revera Aristotelem vidimus uno loco quosdam memorare philosophos, qui rerum principium naturam esse statuerent inter aquam et aerem mediam[1]); quorum phi-

1) Aristot. Phys. I, 6. 189ª 35. Vid. supr. p. 64 not. 2.

losophorum nomine unum Anaximandrum intellegi, et antea iam diximus et nunc, postquam ipsum Anaximandri principium accuratius cognovimus, omnino certum esse videbitur. Quodsi autem quaerimus, cur Aristoteles non semper hac potissimum ratione Anaximandri principium significaverit, caussa in eo videtur posita esse, quod in quattuor elementorum opinione natura inter aquam et ignem media ipse aer est, ergoque Aristoteles, si Anaximandri principium inter aquam et ignem medium dixisset, hac ipsa re visus esset dicere aerem, id quod cum Anaximandri opinione omnino pugnavisset. Atque ego quidem admodum probabile esse puto, Anaximenem eo, quod ipsi natura, quae inter naturam humidam et igneam media esset, aer esse videretur, primum inductum esse, ut aerem ipsum rerum principium poneret.

26. Quamquam cognovimus, quae fuerit Anaximandri de principio doctrina, tamen haec cognitio non satis certa videbitur ac confirmata, nisi animo conceperimus rationes, quibus ipse Anaximander ad illam doctrinam adductus sit aut certe adduci potuerit. Cum principium non una tantum sed pluribus notis definiat, — dicit enim unum esse, dicit infinitum, dicit id, quod omnibus subiectum sit, dicit substantiam corpoream simplicem, hancque rursus sua ipsius qualitate statuit inter duas primas naturas contrarias mediam esse — cum igitur principium pluribus notis definiat, etiam illas rationes oportet plures fuisse. Ut unum diceret, certe non tam ratiocinatione quam antecepta quadam mentis opinione adductus est; ut infinitum putaret pariterque, ut naturam eam, quae omnibus rebus subiecta esset, adductus sine dubio est ipsa notione principii, quatenus id per se ipsum altera parte id esset, quod omnia contineret, ipsum autem nulla alia re contineretur, altera parte id, e quo omnia essent; quamquam ad probandam infinitatem aliis etiam argumentis usus est[1]. Substantiam putabat nec vero

1) Vid. supra p. 32 sq.

materiam esse, quia, quidquid vere esse cogitatur, naturali quadam cogitandi necessitate substantiae speciem induit, materiae autem notio per se quavis qualitate carentis non concipitur nisi vi artis dialecticae tali, qualem per se patet ab Anaximandro etiam alienam fuisse; si Anaximander materiae notionem habuisset, sine dubio mente doctrinam concepturus fuisset ab ea, quam novimus, omnibus partibus diversam. Hanc substantiam putabat corpoream, quoniam tum etiam, quidquid esset, corporeum putabatur; simplicem denique putabat nec vero compositam, quod ex ea una omnia, ipsa autem e nullis aliis esset.

Sed de his partim iam antea satis dictum est; hoc autem loco id potissimum quaeritur, quibus rationibus ductus principium statuerit inter duo elementa sive inter duas primas naturas contrarias medium esse. Quae quidem rationes meo iudicio in duabus maxime rebus positae sunt, in ea sententia, quam de natura principii, et in ea, quam de primis rerum elementis sive de primis naturis contrariis conceperat. Primum enim, quoniam principium putabat eam naturam esse, quae omnibus rebus subiecta esset easque ex sese gigneret, consequens erat, ut hanc naturam putaret omnes res aliquo modo continere; et quoniam hanc naturam volebat substantiam esse simplicem, consequens erat, ut eam putaret omnes res non actu verum potentia continere; in qua re iterum moneo, me hoc dicere, non quod Anaximander ipsas actus et potentiae notiones distinxerit, sed quod re eam rationem intellexerit, quam potentiae nomine ab actu distinguimus. Deinde ex iis, quae superiore capite disputavimus, coniciendum est, eum ipsius naturae contemplatione sibi persuasisse, prima elementa sive primas naturas contrarias, quarum consursu omnes mundi res nascerentur, in natura ignea ac calida et in natura humida ac frigida consistere. Has igitur naturas contrarias ipso principio putabat aliquo modo contineri, haeque sine dubio sunt illae, quae ab Aristotele vocantur ‘ἐνοῦσαι ἐν

τῷ ἑνὶ ἐναντιότητες. Iam vero quaerens, quale principium oporteret esse, ut has naturas contrarias aliquo modo continere posset, facile perspiciebat, id non posse per se ipsum alteramutram ipsarum harum naturarum esse, sed esse oportere naturam quandam ab his diversam (*τὶ παρὰ τὰ στοιχεῖα*), propterea quod, si per se alterautra earum, velut si per se natura illa ignea esset, naturam huic contrariam non posset ullo modo continere ex seque gignere, et praeterea infinitate sua, id est, infinita in omnes partes extensione, quemvis eius ortum omnino impediturum esset; haec enim ratiocinatio ab ipso Aristotele Anaximandro tribuitur[1]).

---

1) Phys. III, 5. 204ᵇ 24; vid. supra p. 68, 3. Aristotelis huius ratiocinationis narratio propter nimiam brevitatem paullo obscurior est. Etenim primum ait, aliquos (vidimus, Anaximandrum intellegi) naturam infinitam idcirco ponere *τὶ παρὰ τὰ στοιχεῖα*, nec vero unum ex elementis, quod si unum ex elementis esset, id sua infinitate reliquorum elementorum ortum impediturum esset; deinde ad hanc Anaximandri sententiam explicandam addit, elementa enim qualitates habere contrarias, et hanc ob caussam, si unum eorum infinitum esset, futurum esse, ut praeter hoc non posset ullum aliud esse. Sed ita rationem proponens non distinguit, quid, si unum ex elementis principium ideoque infinitum ponatur, inde secuturum sit, quod sua ipsius qualitate reliquis elementis contrarium sit, et quid inde, quod sit infinitum. Namque ex ea sola re, quod unumquodque elementum unicuique alii contrarium est, sive infinitum est sive non infinitum, sequitur, ut ex eo ipso nullum aliud elementum possit oriri; inde autem, quod simul infinitum, id est, infinite in omnes partes extensum est, sequitur, ut nec aliunde possit quidquam existere, propterea, quod praeter hoc, quippe quod per se solum omnia repleat spatia, omnino nihil esse possit. Atque ego quidem opinor, Anaximandrum, ut ostenderet, non unum aliquod elementum omnium principium esse posse, duas illas rationes, primum, quod propter naturam eius reliquis elementis contrariam non ex ipso, deinde quod propter eius infinitatem nec aliunde praeter ipsum aliud elementum oriri posset, seorsum posuisse, Aristotelem autem eas coniunxisse, propterea, quod illo

Cum autem principium statueret esse τὶ παρὰ τὰ στοιχεῖα, necessario fere sua ipsius qualitate statuebat inter duas illas naturas medium esse, quoniam, quod inter duas naturas contrarias medium esset, facile videri poterat per se neutri contrarium esse, hancque ob caussam utramque continere et in utramque se dirimere posse, et quoniam vix alia excogitari poterat ratio, qua principium, utpote ipsum substantia simplex, naturas contrarias continere posset. Ac profecto haec Anaximandri sententia non potest mira videri. Etenim si ponimus duas esse primas naturas contrarias et praeterea tertiam inter illas mediam, et de ratione quaerimus inter hanc et illas forte intercedenti, facile intellegemus, primo certe initio non minus facile fieri potuisse, ut haec natura media illas contrarias ex sese aliquo modo, velut secretione vel quadam sui diremptione, generavisse, quam, ut ipsa ex illis compositione orta esse crederetur. Licet enim illa prior opinio falsa sit (vidimus, quibus rationibus ab Aristotele refellatur), tamen id eiusmodi est, ut ante ampliorem rerum experientiam et subtiliorem examinationem eius rationis, quae intercedat inter id quod est et quod fit, facile mentem fugiat.

Nec tamen credibile est, Anaximandrum ad illam principii notionem pervenisse sine quadam inductione, id est, sine observatione exemplorum, in quibus sibi videretur illam naturarum contrariarum et naturae inter has mediae rationem cernere[1]). In exemplis, quibus poterat

---

loco id solum agit, ut nullum corpus simplex ostendat posse infinitum esse.

1) Sententia proposita ita cum ipsa cognitionis humanae natura consentit, ut non opus sit, eam pluribus probare. Sed tamen ad illustrandam eam utile erit, Thaletis et Anaximenis rationem adponere, quorum alter Anaximandri magister, alter discipulus est. Thaletem igitur ipse Aristoteles (Metaph. I, 3. 983 b 20) testatur

uti, unum est, quo eum non sine caussa conieceris revera usum esse. Cum enim, ut antea ostendimus, e natura humida putaret et aerem et terram secerni, ipso fere sensuum testimonio adduci poterat, ut naturam humidam crederet substantiam esse, quae inter liquidum aerem et terram solidam media esset, idque credens facile poterat concludere, naturam inter contrarias naturas mediam has aliquo modo continere. Porro si forte videbat, e ligno ardenti et fumum nigrum et flammam lucidam oriri, facile poterat conicere, lignum inter has res contrarias medium esse et hanc ipsam ob caussam eas in se quasi inclusas habere; pariter, si forte ex eodem solis lumine in aquae globulos incidenti varios colores, velut rubrum et violaceum, existere videbat. Fortasse etiam iam animadverterat, voluntatem, quae per se eadem esset, in contrarias partes abire posse. Nec vero dico, Anaximandrum his exemplis usum esse, sed ea talia esse, quorum observatione ad suam de principio opinionem adduci potuerit.

Denique non improbabile videtur, in Anaximandri mente viguisse praeclaram illam Graecorum sententiam iam tum a sapientibus celebratam[1]), qua ipsa boni ac pul-

---

tali fere inductione adductum esse, ut aquam omnium principium poneret: omnia animantia et oriri e natura humida (namque semen sua natura esse humidum) et ea nutriri; pariter ipsam naturam calidam (*αὐτὸ τὸ θερμὸν*) e natura humida et oriri et ea ali atque vivere; ergo in universum omnes res putandas esse e natura humida oriri; iam vero ipsius naturae humidae principium esse aquam; hanc igitur omnium rerum principium ponendum esse. Anaximenes autem ad suam doctrinam cum aliis rationibus tum hac fere ratiocinatione videtur adductus esse: omnia animali contineri ac gubernari anima, quae aer sit; mundum autem similem esse animalis; ergo mundum quoque putandum esse aere contineri. Cf. Plut. Plac. I, 3.

1) In septem sapientum apophthegmatis haec referuntur dicta,

chri vis in mediocritate quadam ponebatur, aequo intervallo inter nimium et parum constituta. Quod si ponimus, non absonum est credere, eum hanc naturae mediae rationem ultro quasi censuisse omnium maxime summo principio, id est, summo numini divino convenire; idque aliquo modo videri possit eo confirmari, quod contrariorum ortum contendit iniuriam esse, quae ipso interitu expianda sit; de qua sententia deinceps plura dicentur. Sed hoc utut se habet, ex iis, quae diximus, apparet, non deesse rationes, quibus Anaximander adduci potuerit, ut principium statueret sua ipsius qualitate inter primas naturas contrarias medium esse.

27. Unum restat. Cum enim Anaximandri principium ostenderimus esse *σῶμα χωριστὸν καὶ αἰσθητόν*, id est, substantiam corpoream, propriis suis iisque quidem sensilibus qualitatibus utentem, sive una sive pluribus (nam inde, quod est substantia simplex, id est, non ex aliis substantiis composita, non sequitur, ut in eo non possint plures qualitates esse), quaerendum est, hae qualitates quae sint. De qua quidem quaestione pauca solum a veteribus tradita, pleraque ratiocinatione invenienda sunt.

Itaque unam illius principii qualitatem novimus ab ipsis veteribus, atque a primo quidem Aristotele, satis aperte traditam, quae in quodam densitatis et raritatis gradu posita est. Etenim Aristoteles Anaximandri principium plerumque ita inter duo elementa medium dicit, ut altero densius altero autem rarius esse dicat. Hoc si ex ipsius Anaximandri sententia dictum est, cum is ipse principium inter naturam calidam atque igneam et naturam frigidam atque humidam statuerit medium esse, sequitur, ut eius sententia ipsum principium densitatis et rari-

---

Thaletis: '*μέτρῳ χρῶ*', Cleobuli: '*μέτρον ἄριστον*'. A poetis gnomicis et lyricis haec sententia iterum atque iterum pronuntiatur.

tatis gradu utatur inter illas naturas contrarias medio. Anaximandrum autem ipsum principio certum quendam densitatis et raritatis gradum tribuisse, eo confirmatur, quod eum rebus e principio ortis, veluti aeri et naturae humidae, diversos huius qualitatis gradus tribuere vidimus[1]). Sed facile patet, eum hancce nec solam potuisse nec primam principii qualitatem putare. Nam cum rerum generationem non in condensatione et rarefactione sed in contrariorum secretione posuerit (quomodo contrariorum secretio se habeat ad condensationem et rarefactionem tertio libro accuratius ostendetur), consequens est, ut ipsas contrarias qualitates non in solis quibusdam densitatibus et raritatibus posuerit, sed eas putaverit tales esse, quae per se essent aliquid, quaeque, e principio orientes, diversos densitatis et raritatis adiunctos quidem haberent, sed notione certe his essent priores. Quod si ita se habet, omnino consentaneum est, Anaximandrum principio etiam qualitates tribuisse a sola eius densitate et raritate omnino diversas. Quas qualitates quas oportuerit esse, non difficile videtur intellectu.

Etenim primum, cum principium medium esse statuat inter naturam calidam atque igneam et naturam frigidam atque humidam, harumque naturarum primas differentias in calore et frigore ponat (vidimus eas a Plutarcho simpliciter *τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν* appellari), necesse est, eum principio tribuisse quandam temperiem, quae inter ignis ardorem et naturae humidae frigus media esset. Deinde, cum non potuerit non animadvertere, ignem sive flammam per se lucidam, immo ipsam lucem, naturam humidam autem per se caliginosam esse, vix fieri potest, quin principium simul luce quadam per-

---

1) Cf. supra p. 247 et 248, 1.

fusum esse putaverit, atque tali quidem lucis specie, quae inter occaecantes stellarum flammas et noctis caliginem media esset. Eum autem principio quandam lucis vim tribuisse, etiam duabus aliis rationibus probabile fit, primum eo, quod ea est humanae mentis natura, ut, si quam rem cogitatione informet, eam tali potissimum informare soleat specie, quae oculorum perceptionibus respondeat; deinde eo, quod lux et sua ipsius natura et Graecorum opinione omnium maxime videtur vim divinam continere, eamque ob caussam probabile est, Anaximandrum eam naturam, quam vellet ipsum numen divinum esse, potius propria quadam luce perfusam quam aeterna caligine involutam putavisse, praesertim cum stellas etiam putaverit deos esse [1]).

Verum hisce omnibus aliquis forte obiecerit, Anaximandrum omnino non videri de principii qualitatibus dixisse, ea utens ratione, quod de hac re a veteribus nihil tradatur. At quamvis a veteribus, ut ipsi ante monuimus, non ipsae, quae forte ab Anaximandro principio tributae sint, qualitates referantur, tamen e nonnullis eorum testimoniis certo cognoscitur, eum de his qualitatibus locutum esse. Primum enim Aristoteles Anaximandrum refert principium '*σῶμα αἰσθητὸν*' dicere [2]), id quod, quantum ad nostram quaestionem attinet, dupliciter intellegi potest, primum ita, ut Anaximander principium ipso verbo '*αἰσθητὸν*' dixerit, ipsarum qualitatem sensilium designatione omissa, deinde ita, ut sensiles quasdam eius qualitates indicaverit, quibus esset *αἰσθητόν*, sive hoc ipso vocabulo usus sive non usus est. Sed prior illa explicatio omnino improbabilis est, propterea, quod non credibile est, eum principium dicturum fuisse *αἰσθητόν*, nisi sensiles quasdam eius qualitates in

---

1) Plut. Plac. I, 7.

2) Vid. supra p. 65, 1 et 69, 1.

animo informatas habuisset, et, si informatas habuisset, omissurum fuisse eas indicare. Ergo posterior explicatio vera putanda est; idque alia quoque ratione confirmatur. Etenim Aristotelem vidimus uno loco Anaximandri principium appellavisse mixtionem, huiusque appellationis non aliam fuisse caussam nisi quod putaret, naturam inter contrarias naturas mediam ea tantum condicione propria sua uti posse qualitate, si harum contrariarum naturarum mixtio esset[1]. Ergo eum scivisse oportet, Anaximandrum principio, quod vellet inter naturas contrarias medium esse, tales tribuisse qualitates, quae sua ipsius sententia non possent nisi naturarum contrariarum mixtione oriri. Talem autem qualitatem vix poterat medium quendam densitatis et raritatis gradum putare, ut nec Anaximenis aerem, qui densitate et raritate inter ignem et aquam medius est, horum mixtionem dicit. Ergo eum scivisse oportet, Anaximandrum principio qualitates tribuisse, quae a medio illo densitatis et raritatis gradu diversae essent. Hae autem quae potuerint esse praeter illas, quas ipsi indicavimus, non facile quisquam invenerit[2].

Quae cum ita se habeant, certe non multum ab ipsa Anaximandri sententia aberraverit, qui principium eius putaverit esse substantiam corpoream infinite extensam, leni quadam ac placida luce ubique perfusam, mediocri ac miti utentem temperie, medio

---

1) Vid. supra p. 50 et 54 sq.

2) Cum Aristoteles qualitatem rei inter duo contraria mediae oriri dicit horum contrariorum mixtione, de contrariis cogitat, quae eiusdem generis extremae species sint, de talibus igitur contrariis, quarum utrumque per se certa quaedam natura sit, veluti nigrum et album, frigidum et calidum, alia. In genere densitatis et raritatis autem nihil est extremum, nihil primum nihilque ultimum, sed quivis densitatis gradus non est nisi ‘πρός τι’ sive ‘ad aliquid’. Cf. Aristot. Coel. III, 5. 303b 30 sq.

quodam densitatis et raritatis gradu continuam. Aristoteles uno loco[1]) eorum sententiam, qui principium velint corpus sensile esse ab elementis diversum, eo refellit, quod, si tale quoddam corpus sensile esset, id oporteret sensibus apparere. Sed haec ratio in Anaximandri sententiam omnino non cadit; is enim, opinor, Aristoteli, si cum eo colloqui et simul idonea disserendi arte uti potuisset, ita fere responsurus fuisset: 'posse aliquid sua ipsius natura sensile esse, quod nunquam possit actu sentiri, quemadmodum ipse Aristoleles quaedam dicat per se visibilia esse, quae non possint videri actu[2]). — Infinitum rerum principium sua ipsius natura sensile esse, sed in hoc mundo propterea sensibus percipi non posse, quod sua ipsius specie in hoc mundo omnino non appareat, sed solum specie naturarum illarum contrariarum, naturae igneae et naturae humidae, quae ex ipso in mundum secernantur et deinceps e mundo in ipsum revertantur. Quodsi autem aliquis, quemadmodum ille apud Platonem Er Armenius, ex hoc mundo supra coelum ascendere et in tergo orbium illorum aeriorum stellas includentium consistere possit, hunc ipsum principium et visu et tactu percepturum esse'. Revera autem Anaximandri sententia principium, quod vidimus mundum undique amplecti, non ipsum in mundum ingredi, sed solum naturas illas contrarias ex ipso secretas, hasque non nisi in mundi circuitu in principium resolvi, sequenti libro ostendemus.

His expositis, quo facilius de disputationis veritate iudicari possit, breviter hoc etiam videtur addendum esse: tota caussa proficiscitur ab ea quaestione, utrum Anaximandri principium sit corpus per se sensile, nec ne; si est corpus per se sensile, id quod ipsis veterum testimo-

1) Phys. III, 5. 204^b 29 sq. Vid. supra p. 69, 2.

2) Cf. Aristot. Sens. 6, 445^b 29 sq.

niis patet, sensilibus utitur qualitatibus, quod ipsum etiam ex Aristotelis verbis satis certo collegimus; iam hae qualitates quae essent, sola ratiocinatione conclusimus e qualitatibus earum naturarum, inter quas Anaximandri principium cognoveramus medium esse. Atque haec de sensilibus qualitatibus satis sunto.

Sed sine dubio Anaximander principio praeter sensiles qualitates tales quoque tribuit, quae animae mentisque creduntur propriae esse, id est, eandem substantiam corpoream, quam volebat principium esse, simul animam mentemque esse putavit. Id enim et e tota eius doctrina concludendum est et nonnullis veterum indiciis satis certe probatur.

Primum igitur e tota eius doctrina sequitur. Etenim initio non facile quisquam dubitaverit, quin praecipuas animae qualitates, veluti sentiendi intellegendique vim, earumque a sensilibus corporum qualitatibus differentiam animadverterit, nec, si animadverterat, quin, ut de omnium rerum, ita de animae quoque natura et origine quaesiverit; ac revera eum de anima locutum esse, inde cognoscitur, quod animae naturam (hominum sine dubio et animalium) refertur a e r i a m dixisse[1]). Facile autem patet, eum animae mentisque originem non repetere potuisse nisi ab ipso principio infinito, quoniam praeter hoc nullum aliud principium, ergo nec mentem praeter hoc per se constantem, agnoscebat[2]). Quodsi autem ab ipso infinito principio re-

---

1) Theodoret. Gr. aff. cur. V, t. IV, p. 822 ed. Hal.: „*Ἀναξιμένης καὶ Ἀναξίμανδρος καὶ . . . ἀερώδη τῆς ψυχῆς τὴν φύσιν εἰρήκασιν.*“

2) Rem aperte testatur Aristoteles Phys. III, 4. 203[b] 10, ubi de Anaximandri principio infinito loquens ait: „*οὐ ταύτης ἀρχή, ἀλλ' αὕτη τῶν ἄλλων εἶναι δοκεῖ, καὶ περιέχειν ἅπαντα καὶ πάντα κυβερνᾶν, ὥς φασιν ὅσοι μὴ ποιοῦσι παρὰ τὸ ἄπειρον ἄλλας αἰτίας, οἷον νοῦν καὶ φιλίαν· καὶ τοῦτ' εἶναι τὸ θεῖον· ἀθάνατον γὰρ καὶ ἀνώλεθρον, ὥς φησιν ὁ Ἀναξίμανδρος.*“ Praeterea Aristoteles

petebat, eum aut putavisse oportet, ipsum principium per se animae mentisque qualitatibus praeditum esse, aut, has qualitates primum cum ortu rerum e principio ortas esse. Iam vero haec posterior opinio non potest Anaximandri esse; nam si eam ponimus eius esse, sequitur, ut aut rerum generationem putaverit progredientem quandam ipsius principii perfectionem esse, ut igitur in iis numerandus sit, quos Aristoteles ait optimum et perfectissimum non in principio sed in fine demum ponere, aut ut sensum atque intellectum nihil esse putaverit nisi mutationem quandam diversarum rerum concursu effectam. Sed utraque sententia ab Anaximandro aliena est; namque prior earum ab Aristotele diserte non nisi theologis quibusdam et praeterea Pythagoreis et Speusippo tribuitur[1]); altera autem omnino coniuncta est cum opinione corpusculorum per se quavis qualitate carentium. Ergo Anaximandrum putavisse oportet, ipsum principium per se animae mentisque qualitatibus praeditum esse.

Deinde idem pluribus veterum indiciis directo probari potest. Primum Aristoteles veteres physicos refert eam rem, quam quisque rerum principium ponat, animam etiam dicere, ac praeter terram nullum esse elementum, cui non ab aliquo eorum animae vis tribuatur[2]); atque eos quidem eorum, qui unum tantum rerum principium ponant, animam quoque unam tantum ponere[3]). Cum Aristoteles generaliter de veteribus physicis loquatur, necessario Anaximandrum quoque intellegit — si minus, eum procul dubio

---

Anaxagoram primum esse contendit, qui materiae mentem per se constantem opposuerit.

1) Aristot. Metaph. XIV, 4. 1091 a 33 — b 12; XII, 7. 1072 b 30.

2) Aristot. An. I, 2. 405 a 25 sq.; praecipue 405 b 8 sq. coll. 5. 411 a 7.

3) Ibid. 405 b 17: „ὅσοι μὲν οὖν μίαν τινὰ λέγουσιν αἰτίαν καὶ στοιχεῖον ἕν, καὶ τὴν ψυχὴν ἓν τιθέασιν, οἷον πῦρ ἢ ἀέρα κτλ.“

excepturus fuisset —; ergo hunc quoque putat eam rem, quam rerum principium ponat, animam ponere. Porro Anaximander eodem Aristotele teste principium infinitum volebat summum numen divinum (τὸ θεῖον) esse[1]); nihil autem ab antiquissima philosophia, quippe quam par sit minus etiam a religionis patriae mente recessisse, magis videtur alienum esse, quam numini divino sensum atque intellegentiam adimere. Atque hoc confirmatur etiam eo, quod eodem teste infinitum dixit amplecti omnia et omnia gubernare (κυβερνᾶν)[2]). Nam in gubernandi vocabulo, quod proprie de regendo navium motu dicitur, naturaliter inest quaedam providentis consilii significatio; vix autem credibile est, in Anaximandri mente hanc significationem cum vocabulo non coniunctam fuisse; quare putandus est principio etiam quandam consilii atque providentiae vim tribuisse. Denique principium dicit iniuriae cuiusdam poenas et dare et accipere[3]); atque inde patet, eum principio talem quandam tribuere naturam, ob quam ad ipsum iusti iniustique notio pertineat.

Iam si haec omnia una cogitatione coniungimus, non potest dubium esse, quin Anaximander infinitum principium, quamvis substantiam corpoream esse vellet, tamen simul animam mentemque esse putaverit. Nec id eo potest redargui, quod Aristoteles Anaxagoram dicat primum esse, qui mentem materiae opposuerit ab eaque omnem rerum ordinem repetierit[4]). Nam haec Anaxagorae mens ab Aristotele intellegitur mens sine materia per se constans, quae, nullis nisi suae ipsius naturae legibus addicta, solo intellectu rerum

---

1) Vid. supra p. 30 sp.

2) Vid. supra p. ibid. et 59.

3) Simplic. Phys. p. 6, b post m., de quo loco infra dicetur. Illa iniuria et ad principium et ad res ex eo ortas pertinet, et in eo posita est, quod principium res ex sese secrevit, et quod res e principio secesserunt.

4) Aristot. Metaph. I, 3. 984^b 15 sq.

ordinem designet et perficiat. A tali mente omnino diversam esse patet eam, quae simul cum qualitatibus sensilibus in substantia quadam corporea inesse putetur; haec enim eam ipsam ob caussam, quod non per se soluta, sed substantiae corporeae qualitas est, huic substantiae non vere imperat sed potius ipsa eius legibus adstricta est. Quare Aristoteles eo, quod Anaxagoram primum dicit omnem rerum motum et ordinem a mente repetiisse, non contendit, ante Anaxagoram nullum philosophum summo principio etiam mentis vim ac qualitatem tribuisse; quod si voluisset uno Xenophanis exemplo revinceretur[1]). In universum enim et in Anaxamandri et in plerorumque antiquorum philosophorum doctrina hoc maxime proprium atque insigne est, quod summo principio sive summo numini divino tribuunt quidem mentem ac rationem, sed hoc ipsum principium substantiam corpoream, mentem ac rationem autem huius substantiae qualitatem esse putant. Unde evenit, ut eorum sententia ratio divina non per so soluta ac libera, sed ipsis naturae subiectae legibus tamquam quodam fato sive necessitate naturali adstricta sit. Atque hanc Anaximandri quoque sententiam esse, plane apparebit, si de rerum generationis caussa quaesiverimus ipsi principio insita.

---

1) Cf. Xenophan. fragm. 1—3 ed. Mullach.

III.

DE NATURA INFINITA UNA OMNIUM RERUM CAUSSA.

1. Anaximandri sententia infinitum per se solum omnium rerum principium est, vel, ut Plutarchi verbis utar, 'unum omnes in sese rerum caussas continet'[1]). Est igitur et materia omnibus rebus subiecta (*τὸ ὑποκείμενον*), et ipsum eas ex sese nulla alia caussa movente gignit. Quare primum quaerendum est, qua ratione qualive suae ipsius naturae motu dicatur res ex sese gignere. Quam quaestionem quamquam antecedentis libri initio[2]) iam breviter tetigimus, nunc tamen diligentius de ea disserendum est.

Itaque, si unum Simplicii locum, de quo postea separatim dicetur, exceperis, inde ab Aristotele omnes consentiunt, Anaximandri sententia rerum generationem non aliqua ipsius principii commutatione, velut condensatione et rarefactione, sed eo fieri, quod e principio contraria ipsi insita secernantur. Primum ipse

---

1) Plut. apud Euseb. Praep. Ev. I, 8, 2: „*Ἀναξ. τὸ ἄπειρον φάναι τὴν πᾶσαν αἰτίαν ἔχειν τῆς τοῦ παντὸς γενέσεως καὶ φθορᾶς.*“ Pariter Aristoteles Anaximandrum in eorum numero ponit, qui praeter infinitum principium nullam aliam caussam, veluti mentem vel amorem, ponant. Phys. III, 4. 203^{b} 10; vide locum supra p. 3.

2) Supra p. 44.

Aristoteles eos physicos, qui unam quandam naturam corpoream omnibus rebus subiectam esse ex hacque motu quodam insito rerum multitudinem generari statuant, ita in duo distribuit genera, ut alteros res naturae subiectae condensatione et rarefactione, alteros contrariorum illi naturae insitorum secretione generare dicat; atque in hoc posteriore genere unum ponit Anaximandrum[1]). Deinde idem accuratius etiam dicitur a Theophrasto, siquidem Theophrasti sunt, quae a Simplicio de hac re scribuntur; is enim Anaximandrum refert rerum generationem non aliqua ipsius principii commutatione sed eo efficere, quod e principio motu quodam sempiterno contraria ipsi insita secernantur[2]).

Sequuntur Aristotelis interpretes, atque quidem praeter Simplicium, cuius duos locos iam attulimus[3]), Themistius in explicatione eius Aristotelis loci, quem paullo ante laudavimus[4]), et Philoponus in commentario in eundem Ari-

---

1) Aristot. Phys. I, 4. 187ᵃ 12. Vid. locum supra p. 61, 1.

2) Simplic. Phys. 6, a, p. m.: „οὗτος δὲ οὐκ ἀλλοιουμένου τοῦ στοιχείου τὴν γένεσιν ποιεῖ, ἀλλ' ἀποκρινομένων τῶν ἐναντίων διὰ τῆς ἀϊδίου κινήσεως.“ Ibid. 32, b p. sup.: „ἕτερος δὲ τρόπος, καθ' ὃν οὐκέτι τὴν μεταβολὴν τῆς ὕλης αἰτιῶνται, οὔτε κατ' ἀλλοίωσιν τοῦ ὑποκειμένου τὰς γενέσεις ἀποδιδόασιν (hanc ἀλλοίωσιν ipse paullo ante definivit πύκνωσιν καὶ μάνωσιν), ἀλλὰ κατ' ἔκκρισιν· ἐνούσας γὰρ τὰς ἐναντιότητας ἐν τῷ ὑποκειμένῳ ἀπείρῳ ὄντι [τινὶ] σώματι ἐκκρίνεσθαί φησιν Ἀναξίμανδρος. ἐναντιότητες δέ εἰσι θερμὸν ψυχρόν, ξηρὸν ὑγρόν, καὶ αἱ ἄλλαι.“ Vid. supra p. 252, 3.

3) Vid. not. antec.

4) Themist. Phys. I, 4. 124, 21 Sp.: „οὗτος (ὁ Ἀναξίμανδρος) οὐκέτι ἀλλοιώσει χρῆται πρὸς τὴν γένεσιν τῶν ἐφεξῆς, ἀλλ' ἐκκρίνεσθαί φησι τὰς ἐναντιότητας τὰς ἐνυπαρχούσας, ὥσπερ καὶ οἱ πολλὰς ὑποθέμενοι τὰς ἀρχάς, ἓν δὲ αἴτιον τὸ ποιητικόν.“ Cf. supra p. 108, 1. Eandem rem paullo post, Phys. I, 5. 131, 16, tangit, dicens: „. . . τἀναντία ἅπαντες ἀρχὰς ποιοῦσιν . . . καὶ γὰρ Παρμενίδης . . τὸ θερμὸν ποιεῖ καὶ τὸ ψυχρὸν ἀρχάς, . . καὶ Ἀναξαγόρας ἐν

stotelis locum[1]); atque Alexandrum quoque putandum esse idem rettulisse, antea idoneis caussis probavimus[2]). Denique idem Plutarcho etiam cognitum fuisse, inde patet, quod Anaximandri de rerum generatione doctrinam adumbrans semper secretionis vocabulo utitur, veluti Anaximandri sententia dicens ex infinito primum semen quoddam calidi et frigidi, atque ex hoc semine coelos innumerosque mundos secretos esse (*ἀποκεκρίσθαι*)[3]).

ταῖς ὁμοιομερείαις τὴν ἐναντίωσιν· καὶ Ἀναξίμανδρος ἐκκρίσει τὴν γένεσιν κατὰ σύγκρισιν ὥστε καὶ διάκρισιν κτλ.*" Quo loco verba '*ἐκκρίσει τὴν γένεσιν κατὰ σύγκρισιν ὥστε καὶ διάκρισιν*', aperte corrupta sunt, quoniam, ut scripta sunt, omnino non possunt intellegi. Ipsa loci sententia non ambigua est; Themistius contendit, Anaximandrum ea ipsa re, quod generationem esse velit '*ἔκκρισιν τῶν ἐναντίων*', duos motus contrarios, *σύγκρισιν* (sc. *τῶν ἐναντίων ἐν τῷ ἑνὶ*) et *διάκρισιν*, ponere. Si et hanc loci sententiam et verba sequentia: '*καὶ Δημόκριτος . . θέσει καὶ σχήματι καὶ τάξει τὰς γενέσεις ποιῶν, ἐναντιώσει ποιεῖ*', illa verba aut ita facillime videntur corrigi posse, ut post '*γένεσιν*' inseratur *ποιεῖ* et '*ὥστε*' ponatur ante '*κατὰ σύγκρισιν*' in hunc modum: '*ἐκκρίσει τὴν γένεσιν ποιεῖ, ὥστε κατὰ συγκρισιν καὶ διάκρισιν*', aut ita, ut post '*γένεσιν*' inseratur *ποιῶν* et '*ὥστε*' mutetur in *ποιεῖ*, hoc modo: '*ἐκκρίσει τὴν γένεσιν ποιῶν κατὰ σύγκρισιν ποιεῖ καὶ διάκρισιν*'.

1) Philop. Comment. in Aristot. Phys. I, 4. 187 a 12 sq.: „*οἱ μὲν γὰρ αὐτῶν* (*τῶν φυσικῶν*) *πυκνώσει, τοῦ κατ' αὐτοὺς στοιχείου . . . Ἀναίμανδρος δέ, τὸ μεταξὺ . . λέγων στοιχεῖον, τὰ ἄλλα ἐκ τούτου ἐκκρίνεσθαι ἔλεγεν· ἐνυπάρχειν γὰρ ἐν τούτῳ ἀπείρῳ ὄντι τὰς ἐναντιότητας, εἶτα ἐκκρινομένας ἐξ αὐτοῦ ποιεῖν τὰ λοιπά. οἱ μὲν οὖν πυκνώσει καὶ μανώσει λέγοντες ἀλλοιώσει τοῦ κατ' αὐτοὺς στοιχείου γεννῶσι τὰ ἄλλα· . . Ἀναξίμανδρος δὲ οὐκ ἀλλοιώσει τοῦ μεταξὺ γεννᾷ τὰ ἄλλα, ἀλλ' ἐκκρίσει ἐνυπαρχόντων ἐν αὐτῷ.*" Ac rursus multis versibus interiectis: „*Ἀναξίμανδρος ἐκ τοῦ κατ' αὐτὸν στοιχείου, ὅπερ ἐστὶ τὸ μεταξύ, . . ἀπείρου ὄντος καὶ πάντα ἐν ἑαυτῷ περιέχοντος, τὰ ἄλλα γίνεσθαι μᾶλλον δὲ ἐκκρίνεσθαι, τὴν γένεσιν οὐδὲν εἶναι ἄλλο ἢ ἔκκρισιν καὶ ἔκφανσιν.*" Vide locos uberiores p. 127, 1, a et b.

2) Vid. supra p. 45, 2.

3) Vid. supra p. 45, 5.

Cum igitur de hac re nulla videatur esse dissensio, tamen unus est Simplicii locus, quo is Anaximandrum in iis numerat, qui rerum multitudinem condensatione et rarefactione gignant[1]). Qui quidem locus non potest non maximo opere mirabilis videri, propterea quod eo Simplicius Anaximandro eum generationis modum tribuit, quem ab eo duobus locis hunc antecedentibus, atque ipsa quidem Aristotelis et Theophrasti auctoritate usus, abiudicaverit[2]). Quare, cum vix credibile sit, Simplicium, cum hunc locum scriberet, id verum putavisse, quod antea aperte negaverat, aequum est, ipsam loci rationem diligentius examinare et cum iis, quae de Anaximandri doctrina cognovimus, comparare; quo facto apparebit, hunc Simplicii locum verbis quidem cum duobus locis antecedentibus, nec vero ipsa sententia pugnare, simulque caussa invenietur satis idonea, cur Simplicius videatur hoc loco illum potissimum generandi modum ad Anaximandrum adhibuisse. Etenim quamquam Anaximander ipsam rerum generationem in contrariorum secretione ponit, quorum prima esse vidimus naturam frigidam et naturam calidam, tamen antea iam ostendimus[3]), cum horum contrariorum secretione ipsius sententia coniunctam esse quandam ipsius principii condensationem et rarefactionem; quae quidem sententia omnino similis est ei, qua nos dicere solemus calore res extendi, frigore autem contrahi. Quare Anaximandri sententia rerum generatio non primum quidem ac proprie, sed tamen per accidens condensatione et rarefactione efficitur; et hanc ob caussam is non necessario ipse secum pugnat, qui, cum Anaximandrum dixerit rerum generationem in contrariorum secretione ponere, nihilo minus eum in iis etiam numeret, qui rerum generationem condensatione et

1) Phys. 295, 6, p. inf. Vide locum supra p. 121, 2.
2) Vid. supra p. 275, 2.
3) Vid. supra p. 247 et 241, 1; 266.

rarefactione efficiant. Quodsi autem quaerimus, cur Simplicius hoc loco Anaximandrum in his ipsis numeraverit, in quibus non nisi per accidens numerari posset, caussa sine dubio in ipso loci consilio posita est. Etenim locus pertinet ad locum Aristotelis, quo is ad demonstrandum, omnibus motus generibus atque ipsa etiam generatione priorem esse eum motum, qui in loci mutatione consistat, hoc etiam utitur argumento: 'omnes rerum mutationes proficisci videri a condensatione et rarefactione; condensationem et rarefactionem autem consistere in concretione et discretione, quibus ipsa rerum generatio et corruptio fieri dicatur; concretionem et discretionem autem motum esse, qui in loci mutatione cernatur'. Quam Aristotelis sententiam Simplicius e philosophiae historia ita explicat, ut eam veram esse ostendat et eorum opinione, qui corpora impatibilia ponant horumque concretione et discretione omnes res gignant, et eorum opinione, qui unum quoddam ponant primum elementum, huiusque condensatione et rarefactione rerum multitudinem efficiant. Cum igitur Simplicius, quod ad nostram quaestionem pertinet, id solum agat, ut illam Aristotelis sententiam eorum etiam opinione veram esse ostendat, qui rerum generationem condensatione et rarefactione fieri velint, Anaximandri autem opinione rerum generatio per accidens certe condensatione et rarefactione, vel, ut idem aliter dicam, non sine condensatione et rarefactione fiat, facile intellegitur, cur hoc loco Anaximandrum simpliciter cum illis coniunxerit, summam autem eius ab illis differentiam indicare omiserit, praesertim cum hanc ipsam differentiam antea in eodem libro apertissimis verbis indicavisset. Ergo hic locus nihil continet, quod cum reliquis veterum testimoniis pugnet; immo insigni modo confirmat, quod antea diximus, Anaximandri sententia cum contrariorum secretione quandam ipsius principii condensationem et rarefactionem coniunctam esse.

Cum igitur omnino constare videatur, Anaximandri

sententia rerum generationem in contrariorum secretione consistere, quaerendum est, haec ipsa contrariorum secretio cuiusmodi sit et qua caussa ipsi principio insita oriatur. Sed antequam hae quaestiones probe possint solvi, de alia re tractandum est, quae cum ipsis arctissime cohaeret et ad cognoscendam Anaximandri doctrinam gravissima est.

2. Plures veterum scriptores, qui de Anaximandri principio referunt, huic principio insitum esse dicunt aeternum quendam motum, quo ex ipso omnes res oriantur. De hoc igitur motu iam videndum est, qui sit et quomodo ad contrariorum secretionem se habeat, veluti num in hac ipsa secretione consistat an praecedens eius caussa sit. Quod ut recte fieri possit, primum ea adferenda sunt, quae apud veteres de hac re inveniuntur.

Itaque Anaximandrum infinito principio aeternum quendam motum tribuisse, duplici testimoniorum genere probatur; partim enim e nonnullis Aristotelis locis ratiocinatione concluditur, partim a posterioribus scriptoribus apertis verbis narratur. Quod ad Aristotelem pertinet, is primum uno Metaphysicorum loco eos physicos, qui id quod est (*τὸ ὂν*) unum esse velint, ab Eleatis eo distinguit, quod hi id unum ens immotum, illi autem, quippe qui rerum multitudinem ex eo generent, motu insito praeditum esse statuant[1]). Iam vero satis ostendimus, Aristotelem in his physicis Anaximandrum quoque intellegere; atque inde sequitur, ut hunc quoque dicat principio insitum motum tribuere. Idem colligendum est ex aliquo Physicorum loco, quo eadem ratione physicos, qui id quod est unum ponant, ab Eleatis distinguit[2]). Deinde alio eiusdem libri loco

---

1) Aristot. Metaph. I, 5. 985 b 14: *ἔνιοι τῶν φυσιολόγων ἓν ὑποθέμενοι τὸ ὂν ὁμῶς γιννῶσι ὡς ἐξ ὕλης τοῦ ἑνός, ἀλλ' ἕτερον τρόπον οὗτοι [οἱ Ἐλεάται] λέγουσιν· ἐκεῖνοι μὲν, γὰρ προστιθέασι κίνησιν, γεννῶντές γε τὸ πᾶν, οὗτοι δὲ ἀκίνητον εἶναί φασιν.*"

2) Aristot. Phys. I, 2. 184 b 15, coll. 4. 187 b 12 sq.; vid. supra p. 156 sq.

contendit, eos physicos, qui innumerabiles ponant mundos deinceps orientes occidentesque, motum statuere aeternum esse[1]). In hisce autem physicis, qui innumerabiles ponant mundos deinceps orientes occidentesque, Anaximandrum etiam esse, et ipsi postea demonstrabimus et a Simplicio in huius loci explicatione aperte contenditur[2]); ergo Aristoteles Anaximandrum principio non solum motum dicit sed aeternum motum tribuere.

Quod ad scriptores posteriores attinet, primum Simplicius eo loco, quem proxime laudavimus[3]), Anaximandrum generaliter in eorum numero ponit, qui aeternum velint esse motum; duobus autem locis hunc antecedentibus, quibus, Theophrastum sine dubio secutus, consulto totam Anaximandri doctrinam breviter adumbrat, hunc dicit naturam quandam infinitam omnium rerum principium, et aeternum huius principii motum caussam generationis ponere[4]), et accuratius etiam, generationis caussam in eo

---

1) Aristot. Phys. VIII, 1. 250^{b} 15: „*εἶναι μὲν οὖν κίνησιν πάντες φασὶν οἱ περὶ φύσεώς τι λέγοντες*“ — et paullo post, v. 18: „*ἀλλ᾽ ὅσοι μὲν ἀπείρους τε κόσμους εἶναί φασι, καὶ τοὺς μὲν γίγνεσθαι τοὺς δὲ φθείρεσθαι τῶν κόσμων, ἀεί φασιν εἶναι κίνησιν.*“

2) Simplic. Phys. 257, b, post med. „— *τινὲς μὲν τῶν φυσικῶν ἀΐδιον ὑπέθεντο τὴν κίνησιν, τινὲς δὲ οὐκ ἀΐδιον . . . οἱ μὲν γὰρ ἀπείρους τῷ πλήθει τοὺς κόσμους ὑποθέμενοι, ὡς οἱ περὶ Ἀναξίμανδρον καὶ Λεύκιππον καὶ Δημόκριτον καὶ ὕστερον οἱ περὶ Ἐπίκουρον, γινομένους αὐτοὺς καὶ φθειρομένους ὑπέθεντο ἐπ᾽ ἄπειρον, ἄλλων, μὲν ἀεὶ γινομένων, ἄλλων δὲ φθειρομένων, καὶ τὴν κίνησιν ἀΐδιον ἔλεγον· ἄνευ γὰρ κινήσεως οὔκ ἔστι γένεσις καὶ φθορα.*“ — Eodem modo Plutarchus (apud Euseb. Praep. Ev. I, 8, 2) in Anaximandri doctrina infinitam mundorum multitudinem et aeternitatem motus coniungit; postquam enim dixit, Anaximandri sententia ab aevo infinito innumerabiles mundos oriri et interire, addit: „*ἀπεφήνατο δὲ τὴν φθορὰν γένεσθαι καὶ πολὺ πρότερον τὴν γένεσιν, ἐκ ἀπείρου αἰῶνος ἀνακυκλωμένων πάντων αὐτῶν* (sc. *τῶν ἀπείρων κόσμων*).“

3) Vid. not. proxime antec.

4) Simplic. Phys. 9, b, part. sup. *Ἀναξίμανδρος . . ἄπειρόν*

ponere, quod e principio aeterno ipsius motu contraria secernantur[1]). Deinde Hippolytus Anaximandrum ait rerum principium ponere infinitum, in hocque velle insitum esse aeternum quendam motum, quo ortus eveniant coelorum[2]). Denique Hermias Anaximandrum ea re opponit Thaleti, quod ille natura humida antiquiorem esse statuat aeternum motum, quo continenter alia gignantur, alia intereant[3]).

Ex hisce igitur locis satis patet, Anaximandrum principio aeternum quendam motum tribuisse; nec vero ex iis protinus etiam patet, eum id ita fecisse, ut ipso motus vel potius *κινήσεως* vocabulo usus sit, sed sunt quaedam, propter quae videatur hoc vocabulo non usus esse. Proficiscimur inde, quod apud Aristotelem *κινήσεως* vocabulum plerumque notionem significat generis universi, quo quattuor motus genera comprehenduntur, generatio, mutatio, accretio ac diminutio, is motus, qui in loci mutatione consistit et proprie motus dicitur. Iam Aristoteles Meta-

---

τινα φύσιν . . ἀρχὴν ἔθετο, ἧς τὴν ἀΐδιον κίνησιν αἰτίαν εἶναι τῆς τῶν ὄντων γενέσεως ἔλεγεν."

1) Ibid. 6, a, post m. „*οὗτος δὲ οὐκ ἀλλοιουμένου τοῦ στοιχείου τὴν γένεσιν ποιεῖ, ἀλλ' ἀποκρινομένων τῶν ἐναντίων διὰ τῆς ἀϊδίου κινήσεως.*" Cf. supra p. 275, 2.

2) Hippol. Refutt. I, 6: „*οὗτος μὲν ἀρχὴν καὶ στοιχεῖον εἴρηκε τῶν ὄντων τὸ ἄπειρον . . . πρὸς δὲ τούτῳ κίνησιν ἀΐδιον εἶναι ἐν ᾗ συμβαίνειν γίνεσθαι τοὺς οὐρανούς.*" Verba '*πρὸς δὲ τούτῳ*' non significant 'praeter hoc, ut ab editoribus vertitur, sed 'in hoc' vel 'penes hoc'. Deinde '*ἐν ᾗ συμβαίνειν κτλ.*' non est simpliciter, 'per quem', sed potius, 'quo eveniente et quasi progrediente oriantur coeli; significatur enim, illum motum talem esse, quo ipso coelorum ortus contineantur.

3) Herm. Irris. gent. philos. c. 4. (Migne, Patrol. Gr. VI, p. 1174): „*Ἀναξίμανδρος τοῦ ὑγροῦ πρεσβυτέραν ἀρχὴν εἶναι λέγει τὴν ἀΐδιον κίνησιν, καὶ ταύτῃ τὰ μὲν γεννᾶσθαι, τὰ δὲ φθείρεσθαι.*" Cf. supra p. 254, 1.

physicorum loco antea laudato[1]) ait, physicos, qui pariter atque Eleatae id quod est unum ponant, huic uni enti motum adiungere, siquidem generent ex eo rerum multitudinem (*προστιθέασι κίνησιν γεννῶντές γε τὸ πᾶν*). Itaque illos physicos non ita dicit motum adiungere, quasi eos sciat id ipsis verbis dixisse, verum ita, ut id inde, quod ex uno ente multitudinem generent, videatur concludere. Hinc autem iure colligitur, illos ipsos in uno suo ente sive in uno omnium principio quendam modum generationis, id est, quandam actionem posuisse, qua ex eo rerum multitudo gigneretur (cuiusmodi est condensatio rarefactioque et contrariorum secretio), Aristotelem autem hanc generandi actionem voce generali dixisse *κίνησιν*; eam videlicet ob caussam, ut, cum omnes philosophos, prout id quod est aut immotum aut motu praeditum esse statuerent, in duo maxima genera divideret, statim illos physicos in hoc altero genere collocaret[2]). Accedit, quod unusquisque illorum physicorum sine dubio non motum in universum, sed certam quandam motus formam ponebat, qua rerum generatio contineretur; probabile autem est, unumquemque eam, quam poneret motus formam, vocabulo appellavisse, quod huius formae proprium esset, ergoque *κινήσεως* vocabulo non usos esse nisi eos, qui illum motum non nisi in quadam loci mutatione consistere vellent; namque *κίνησις* proprie hunc solum motum significat, illam autem universi generis significationem tum certe nondum acceperat. Num autem Anaximander motum ipsi principio insitum putaverit talem esse, qui primum ac proprie in

---

1) P. 279, 1.

2) Simili modo apud Hippolytum (Refutt. I, 7) Anaximenes primum dicitur ex aere res condensatione et rarefactione generare, et inde sumitur, eum aeri sempiternum motum tribuere, hisce verbis: „*κινεῖσθαι δὲ ἀεί· οὐ γὰρ μεταβάλλειν, ὅσα μεταβάλλει, εἰ μὴ κινοῖτο.*“

loci mutatione consisteret, maximo opere dubitandum est, de qua re mox pluribus agetur; namque hanc motus formam omnibus aliis priorem esse, primus aperte docuit Aristoteles; ergo pariter dubitandum est, num *κινήσεως* vocabulo appellaverit. E posteriorum scriptorum locis de hac re nihil concludi potest; quod enim Anaximandrum simpliciter dicunt aeternum motum (*ἀΐδιον κίνησιν*) posuisse, id sine dubio ab antiquioribus scriptoribus, velut Theophrasto, acceperunt; quamquam per se nihil impedit, quominus pariter atque Aristoteles certam quandam motus formam generali *κινήσεως* vocabulo appellaverint, atque eo quidem magis, quod alii scriptores posteriores, velut Philoponus [1]), in Anaximandri doctrina nunquam de motu, sed solum de contrariorum secretione loquuntur. Itaque quamvis certum sit, Anaximandrum principio quendam tribuisse motum, tamen omnino dubium est, num hunc motum dixerit *κίνησιν*. Quae res quam habeat vim, mox apparebit.

3. Sequitur, ut iam hoc ipsum quaerendum sit, aeternus ille Anaximandri motus qui sit. De qua re si primum locos antea laudatos consulimus, hisce Anaximander generaliter tantum dicitur principio motum tribuere, nulla certi generis designatione addita. Atque Aristotelem quidem eo Metaphysicorum loco, quo paullo ante usi sumus [2]), *κίνησιν* dicere significatione infinita, ita ut quodvis motus genus intellegi possit, etiam demonstratione efficitur. Etenim hoc loco physicos, qui pariter atque Eleatae id quod est unum ponant, ab hisce eo distinguit, quod hi id unum ens immotum, illi autem motu praeditum esse velint. Itaque ita physicos dicit uni suo enti motum tribuere, ut eos Eleatis omnem motum tollentibus opponat.

---

1) Cf. Philoponi locos supra p. 126 sq., maxime p. 127, 1, a et b.

2) Metaph. I, 985^{b} 14. Vide supra p. 279, 1 et p. 282.

Iam vero omnem motum tollentibus contrarii sunt, qui in universum aliquem motum ponunt, quicunque is est. Ergo Aristoteles physicos dicit uni suo enti in universum aliquem motum tribuere, ita ut quodvis motus genus intellegi possit. Idem inde apparet, quod eodem loco, ut paullo ante ostendimus, physicos in uno suo ente motum ponere inde sumit, quod ex eo multitudinem generent; nam motus, qui generationem etiam diversosque generationis modos contineat, necessario intellegitur motus in universum. Posteriores autem quos attulimus scriptores, simpliciter dicunt, Anaximandrum aeternum principii motum statuere, nulla generis significatione addita. Nihilo tamen minus cum in horum tum in Aristotelis locis quaedam sunt, e quibus, si cum aliis argumentis coniunguntur, quaestio proposita videatur solvi posse. Sed antequam progrediamur, sententia consideranda est Teichmuelleri, qui solus de Anaximandri motu diligentius disputavit, ut, si hanc forte apparuerit veram esse, omni disputatione possimus supersedere.

Teichmuellerus igitur aeternum principii motum ab Anaximandro positum contendit esse motum circularem, quo ipsum infinitum principium circum axem feratur. Etenim, ut brevibus totam eius sententiam explicem, Anaximandri principium esse putat globum immensum (infinitum enim non nisi vaga quadam cogitatione dici[1]), vapori similem, quo contraria rerum elementa perfecte commixta contineantur; hunc globum ab omni aeternitate conversione rotunda circum axem moveri, hacque conversione cum elementa illa contraria secernantur, terram eique circumfusum aerem et orbes coelestes oriri; — similiter atque a recentioribus physicis ex unius globi vaporei (si licet hoc vocabulum fingere) circumactione planetarum origo et ordo et

---

1) Studien zur Gesch. der Begriffe p. 56.

motus explicetur [1]). Disputat autem de hac sententia tribus diversis eiusdem libri partibus; nam postquam eam in priore de Anaximandro dissertatione proposuit multisque rationibus probare studuit, in dissertatione de Anaximene et rursus in altera de Anaximandro dissertatione ad eam revertitur, ut novis argumentis confirmet.

Sed nihilo secius haec Teichmuelleri sententia non nisi opinione ante concepta nititur; quae ab eo adferuntur argumenta, multa sane et saepe speciosa, aut per se falsa sunt aut non probant id quod probandum est. Quod antequam ostendamus, ex usu videtur esse, accurate definire quaestionem, de qua agatur. Etenim per se probabile est, Anaximandri sententia in hoc mundo plura esse motus genera in hisque fortasse etiam motum circularem. At sine dubio horum unum aliquod putavit primum esse, e quo reliqua sequerentur. Hoc igitur loco non quaeritur, num Anaximander omnino motum circularem posuerit, verum num primum illum atque aeternum motum ipsi principio insitum voluerit motum circularem esse. Namque ego quidem non nego, ab Anaximandro statui etiam motum circularem, sed hunc dico eum, quo in hoc mundo stellarum orbes circumferantur, nec vero motum illum primum ab omni aeternitate ipsi principio insitum. Est autem saepe difficile, ea, quae sine rationibus idoneis adserantur, breviter idoneis rationibus refellere; quare non debet aegre ferri, si interdum longiore disputatione opus erit.

Itaque illa sententia, ut diximus, nullis idoneis argumentis probatur; quae eius a Teichmuellero adferuntur argumenta, partim falsa sunt, partim non probant, quod putantur probare; id quod nunc iam singillatim ostendendum est. In priore igitur de Anaximandro dissertatione contendit, Anaximandrum, si loquatur de motu (intellege, si ipsum κινήσεως vocabulum adhibeat), non nisi talem

1) Ibid. p. 8 et 9.

motum intellegere posse, qui in loci mutatione consistat, propterea quod is solus proprie, reliqua autem motus genera non nisi translate hac voce appellentur[1]. At in hac ratiocinatione ab opinione proficiscitur omnino incerta. Nam sane quidem, si constaret, Anaximandrum aeternum principii motum ipso *κινήσεως* vocabulo appellavisse, omnino probabile esset, eum hoc vocabulam propria sua significatione accepisse; sed vidimus, id ipsum, num hoc vocabulo usus esset, maximo opere dubitandum esse. Ad probandum autem, illum motum non posse alium esse nisi motum circularem, haec fere adfert argumenta, — non certo quidem ordine, sed alia alibi, — primum, quod Anaximander de alio motu ne cogitare quidem potuerit, propterea quod praeter hunc nullus alius motus in coelo appareat omnibus eius corporibus communis[2]; deinde, quod Hippolytus referat, Anaximandri sententia aeterno principii motu omnes ortos esse coelos; cum enim coeli utantur conversione circulari, Anaximandrum sine dubio eum etiam motum statuisse circularem esse, quem coelorum vellet generatorem esse[3]; tum, quod Hermia teste Anaximander aeternum motum priorem esse dicat aqua, quippe quae, pariter atque reliqua elementa, eo gignantur; inde enim colligendum esse, eius sententia illum motum singulorum elementorum motibus quoque priorem esse, talem autem motum vix credi potuisse nisi motum circularem in ipso coelo apparentem[4]; tum, quod communi antiquorum philosophorum

---

1) Studien zur Gesch. der Begriffe p. 29.

2) Ibid. p. 9 et 10. Verba eius sunt haec: „da keine andere allgemeine Bewegung an den himmlischen Feuererscheinungen beobachtet wurde.“ Verba ‘allgemeine Bewegung’ intellegi puto motum, qui omnibus rebus igneis in coelo apparentibus, id est, stellis, communis sit.

3) Ibid. p. 30 et 31.

4) Ibid. p. 25 et 26. Puto, me verbis adhibitis Teichmuelleri sententiam minus perspicuam reddidisse.

consensione mundi origo ac dispositio et coeli conversio a primo quodam motu circulari repetatur[1]); denique, quod e motu circulari, atque ex hoc quidem solo, singula quaeque, quae Anaximander de rerum ortu et dispositione et motu docuerit, tamquam ex uno principio plane explicentur[2]).

Sed haec argumenta omnia aeque caduca sunt. Primum enim inde, quod motus circularis unus videatur omnibus corporibus coelestibus communis esse, licet quidem conicere, Anaximandrum in explicanda mundi origine et vita hunc motum prae certeris respexisse, nec vero, eum hunc motum omnium primum atque aeternum putavisse. Namque motus circularis non is est, qui a mente humana facile putari possit aeternus esse, propterea quod non facile potest motus naturalis putari; de qua re infra accuratius dicetur; testimonio est, quod omnes philosophi antiquiores, qui quidem aperte motum circularem (verticem dico) ponunt, eum a caussis antecedentibus repetunt, quemadmodum Democritus a concursu et repercussu atomorum ad lineam decidentium, Anaxagoras ab impulsu infinitae mentis, Empedocles ab Amicitiae et Discordiae efficientia. Hac autem re simul argumento quarto, quod ab omnium consensione sumptum est, omnis probandi vis adimitur; ac pariter argumento secundo et tertio, quae ex Hippolyti et Hermiae testimoniis repetita sunt, siquidem nihil impedit, quominus Anaximander motum circularem ex alio motu priore eoque quidem non circulari ortum esse putaverit. Quod autem Teichmuellerus contendit, e motu circulari omnia, quae Anaximander de mundi origine et dispositione et motu docuerit, tamquam ex uno principio explicari, id accipi quidem posset, si Anaximandri sententia principium,

---

1) Ibid. p. 29.
2) Ibid. p. 27 et 29.

quemadmodum ille putat, mixtio esset e contrariis rerum elementis composita; cum autem ostenderimus non mixtionem sed substantiam simplicem esse, illa opinio omnino falsa est; cuius rei explicationem, quoniam ad aliam quoque huius disputationis locum pertinet, illuc reicimus, ne bis idem dicendum sit. Ceterum in tota hac disputatione unam rem prorsus neglexi mus, eam dico, quod Anaximander principium statuit infinitum esse, ac propterea quidem neglexi mus, quod Teichmuellerus revera infinitum putari negat. Quid de hac Teichmuelleri opinione iudicandum sit, quidque, si eam cognoverimus falsam esse, de quaestione proposita sequatur, pariter in posteriore huius disputationis parte ostendemus.

Iam in dissertatione de Anaximene et in altera de Anaximandro dissertatione nonnullos Aristotelis locos adfert, quibus suam sententiam putat directo probari. In dissertatione de Anaximene[1]) ad locum provocat alterius libri de Coelo[2]), quo Aristoteles ait, omnes, qui mundum generent, caussam, cur terra medium mundi locum occupet, in vortice ponere materiam circumagenti; quo quidem loco, quem recte contendit ad Anaximandrum quoque pertinere[3]), existimat aperte pronuntiari, aeternum Anaximandri motum nihil aliud esse nisi vorticem sive motum circularem, quo mundus universus circum axem feratur. At ex hoc loco sequitur quidem, ut Anaximander in huius mundi generatione usus etiam sit vortice, nec vero ut hunc vorticem

---

1) Ibid. p. 83.

2) Aristot. Coel. II, 13, 295 a 9: „εἰ βίᾳ νῦν ἡ γῆ μένει, καὶ συνῆλθεν ἐπὶ τὸ μέσον φερομένη διὰ τὴν δίνησιν· ταύτην γὰρ τὴν αἰτίαν πάντες λέγουσιν ἐκ τῶν ἐν τοῖς ὑγροῖς καὶ περὶ τὸν ἀέρα συμβαινόντων . . . διὸ δὴ καὶ τὴν γῆν πάντες, ὅσοι τὸν οὐρανὸν γεννῶσιν, ἐπὶ τὸ μέσον συνελθεῖν φασίν.“

3) Ab Aristotele hoc loco Anaximandrum etiam intellegi, in alia disputationis parte ostendetur.

esse putaverit motum illum primum ipsi principio insitum, siquidem fieri potest, ut illum a motu priore repetiverit.

Sed mirabiliter sane fallitur in explicando et adhibendo alio Aristotelis loco, quem in altera de Anaximandro dissertatione adfert[1]. Est hic locus in lib. tertii de Coelo cap. quinto, quo Aristoteles, postquam eos physicos, qui unum elementum statuerent omnium rerum principium esse (intellegit autem, ut e capitis initio patet, eos, qui unam naturam qualitatibus suis definitam, atque quidem aut unum e quattuor illis elementis aut naturam inter duo elementa mediam principium ponant), pluribus rationibus refutavit, in disputationis fine hoc addit[2]: „commune autem omnium, qui unum elementum principium ponunt, vitium id est, quod unum solum atque omnium quidem rerum eundem naturalem statuunt motum.“ Ad hunc igitur locum, quo sine dubio Anaximander etiam intellegatur, Teichmuellerus adsumit locum proxime laudatum, quo physici, qui mundum gignant, uti dicuntur vortice, et hoc fere modo concludit: ‘Aristotele teste Anaximander unum solum ponit motum; eodem teste in mundo generando utitur vortice sive motu circulari; ergo ipso Aristotele teste hic motus circularis est ille unus motus, qui ab Anaximandro poni dicitur; quodsi autem hic est unus motus, qui ab Anaxinandro ponitur, etiam ille motus aeternus ipsi principio insitus non alius esse potest nisi hic ipse motus circularis’. Verum haec ratiocinatio omnino falsa est. Namque Aristoteles illo loco non dicit, eos, qui unum solum elementum, id est, unam naturam propria sua qualitate utentem, omnium rerum principium ponant, ipsos putare, unum solum eundemque naturalem

---

1) Teichmueller, Studien etc. p. 575, 1 et 2.

2) Aristot. Coel. III, 5. 304^{b} 11: „*κοινὸν δὲ πᾶσιν ἁμάρτημα τοῖς ἓν τὸ στοιχεῖον ὑποθεμένοις τὸ μίαν μόνον κίνησιν ποιεῖν φυσικὴν καὶ πάντων τὴν αὐτήν.*“

omnium rerum motum esse, sed, ut e sequenti loci parte certissime patet, eorum sententiam sequi, ut non nisi unus naturalis omnium rerum motus, atque is quidem motus directus, esse possit; velut eorum sententiam, qui illud unum elementum ponant aquam, sequi, ut omnia deorsum, eorum sententiam, qui ignem, ut omnia sursum ferri oporteat. Teichmuellerus autem ei motui, quem Aristoteles illos dicit pro sui principii natura ponere oportere, si sibi constare velint, subiungit motum illum circularem, quem eos dicit revera ponere; estque eius ratiocinatio, si ipsam rem spectamus, haecce: qui unum elementum omnium rerum principium ponunt, eorum sententiam id sequitur, ut proprie non nisi unus omnium rerum motus atque is quidem motus directus esse possit; hi iidem autem in generando mundo utuntur vortice sive motu circulari; ergo hic motus circularis est ille unus motus directus, quem, si sibi constare velint, ponere debeant. Hoc quam vitiose conclusum sit, non opus est pluribus exponere [1]).

---

1) Teichmuellerus aliquo loco (p. 9*) vituperat Ed. Roethium, quod nesciat accurate legere, ac non iniuria quidem. Sed idem nonne meliore etiam iure in ipso reprehenditur? Etenim primum Aristotelem, cum eos, qui unum solum omnium rerum elementum ponant, unum solum atque omnium quidem rerum eundem naturalem motum statuere dicit, id dicere, non quod illi ipsi ita statuant, sed quod haec res eorum sententiam necessario sequatur, totum locum legentibus protinus apparet. Quod enim Teichmuellerus id ipsum contendit non plane demonstrari posse, hoc verum quidem est, sed aliam ob caussam atque ipse opinatur, nempe propterea, quod ex ipsis verbis primo obtutu liquet ideoque demonstratione non eget. Deinde Aristoles contendit quidem, unumquemque illorum physicorum unum solum atque omnium quidem rerum eundem motum ponere, atque motum quidem directum, nec vero contendit, omnes eundem motum ponere, sed alios alium, atque unumquemque quidem eum, qui sui principii naturam sequatur, id quod ex ipsa

Aristotelis explicatione patet; Teichmuellerus autem opinatur, omnes dici eundem motum ponere, huncque esse motum circularem. Tum, cum Aristoteles illos eo refellat, quod in natura plures ac diversi motus appareant, ille hanc refutationem levem esse ait, siquidem in ipsum quoque Aristotelem cadat, cuius sententia res infra lunam positae, quamvis ex eadem sint materia, tamen naturaliter partim sursum partim deorsum ferantur. At una Aristotelis materia, quoniam per se quavis qualitate caret, per se caret etiam quovis motu, et eo tantum, quod diversas formas recipit hisque in diversa transit elementa, per accidens diversos etiam recipit motus; unum autem illorum physicorum elementum non est materia quavis qualitate carens, sed substantia corporea definitis qualitatibus praedita, veluti aqua et ignis, hancque ob caussam etiam per se naturalem quendam habet motum, quo aut sursum aut deorsum ferater, et omnes res ex illo elemento ortae, quoniam eadem qualitate sunt, necessario eodem motu tenentur.

Denique, id quod maximum est, non videtur animadvertere, quanto opere hic Aristotelis locus cum sua de Anaximandri principio sententia pugnet. Etenim Aristoteles et hoc loco et toto capite id agit, ut falsam esse ostendat eorum sententiam, qui unum solum omnium rerum elementum ponant, quos ipso capitis initio (303^b 10) quadrifariam ita dividit, ut alios hoc unum elementum aquam ponere dicat, alios aerem, alios ignem, alios naturam inter aquam et aerem mediam, hancque quidem infinitam ideoque omnes res amplectentem. Hisce omnibus nostro loco ait vitium commune esse, quod, unum solum omnium rerum elementum ponentes, hac ipsa re proprie etiam unum solum omnium rerum motum ponant. In hisce igitur physicis Teichmuellerus recte putat ab Aristotele Anaximandrum quoque intellegi. Quodsi in iis intellegitur, necessario in uno quattuor illorum generum est; cumque certum sit, eum ad nullum priorum trium generum pertinere, necessario in eorum genere est, qui naturam inter aquam et aerem mediam ponere dicti sunt; atque revera Anaximandrum in hoc genere esse, satis demonstravimus. Iam vero Teichmuellerus contendit, Anaximandri principium non esse naturam inter duo elementa mediam, nec omnino substantiam simplicem propria sua qualitate utentum, verum mixtionem esse e diversis rebus compositam (p. 57 sq., maxime p. 58 et 59). Con-

Denique in eadem de Anaximandro dissertatione[1]) Aristotelis locum adfert, quo apertissime aeternum Anaximandri motum dici putat motum circularem. Legitur is locus initio libri secundi de Coelo, ubi Aristoteles, postquam breviter repetiit, quod antea subtiliter demonstravit, mundum totum nec ortum nec periturum, sed aeternum esse, sic pergit[2]): „Propterea recte se habet, sententiam illam antiquam nobisque maxime patriam veram credere, qua immortale ac divinum esse dicitur aliquid eorum, quae moveantur quidem, sed moveantur tali motu, qui non habeat finem, verum ipse potius reliquorum motuum finis sit;" hisque dictis explicandi caussa addit, 'et id, quod finiendi vim habeat, eorum esse, quae alia amplectantur (*τῶν περιεχόντων εἶναι*), et motum illum circularem (*ταύτην τὴν κυκλοφορίαν*) reliquos motus imperfectos atque finitos amplecti (*περιέχειν*)'. Illam igitur sententiam antiquam, quae Atheniensibus patria dicatur, Teichmuellerus censet Anaximandri esse; putansque, '*ταύτην τὴν κυκλοφορίαν*', quae in posteriore loci parte memoratur, eandem esse atque motum illum, qui in priore parte dicitur, fine carentem reliquosque motus finientem, hoc loco contendit aperte doceri, Anaximandrum infinito principio aeternum motum circularem tribuisse, similem ei, quem Aristoteles statuat. Quam opinionem eo putat omnino probari, quod totus locus nihil contineat, quod cum Anaximandri doctrina aliunde nota pugnet; quod in eo plura sint vocabula, velut '*τὸ περιέχον*' et '*τὸ ἄπειρον*', quae certum sit ad Anaximandrum pertinere; quod

---

tendere autem, eo, de quo agimus, Aristotelis loco Anaximandrum quoque intellegi, et simul contendere, Anaximandri principium esse mixtionem, haec aperte quam maxime fieri potest inter se pugnant.

1) Studien etc. p. 576 sq.

2) Ipsum locum totum in adnotatione proxima adscribemus.

sententia Atheniensibus patria, si alicuius philosophi sit, non esse possit nisi alicuius philosophorum Ionicorum, quippe qui Atheniensibus cognati sint, in hisce autem non nisi cum Anaximandri doctrina conveniat; quod denique locus praeter Anaximandrum non habeat, quo referri possit. Verum in hac tota Teichmuelleri de illo Aristotelis loco opinione nihil est, quod non a vero dissentiat. Namque et de ipsa loci sententia omnino errat, et rationes illae, quibus locum probari putat ad Anaximandrum pertinere, partim falsae sunt, partim contrarium probant. Quod ut ostendatur, longiore quidem disputatione opus est, propterea, quod ille Aristotelis locus et paullo obscurior et a nemine etiam satis explicatus est.

Itaque initio Aristotelis locus omnino non continet eam sententiam, quam Teichmuellerus eo putat contineri; id quod ex ipsa loci explicatione patebit. Etenim Aristoteles verbis proxime antecedentibus, ut antea iam monuimus, breviter repetit, quod in priore libro pluribus demonstravit, mundum totum (*τὸν πάντα οὐρανὸν*) nec ortum nec periturum, sed aeternum esse. Dicens autem mundum totum aeternum esse, non dicit, omnes mundi partes aeternas esse, — nam Aristotelis sententia mundi partes infra lunam positae caducae sunt — sed mundum quatenus totus vel totum aliquid accipiatur, esse aeternum. Cum autem omnes mundi partes in motu versentur et idcirco, si mundus, quatenus accipitur totus, aeternus est, aeternum esse oporteat aliquid eorum, quae in motu versantur, id quod facile videri possit repugnans esse, laudat sententiam quandam antiquam Atheniensibusque patriam, qua aliquid eorum, quae moveantur, immortale ac divinum dicatur, atque id quidem, quod moveatur tali motu, qui non habeat finem verum ipse reliquorum motuum finis sit. Itaque Aristoteles non talem quandam laudat sententiam antiquam, qua immortale ac divinum dicatur id, quod motu circulari, sed id, quod tali

utatur motu, qui ipse non habeat finem reliquosque motus finiat; quem quidem motum ipsa illa sententia antiqua putari circularem, nulla re significatur. Nam quae altera loci parte dicuntur, non ad ipsam illam antiquam sententiam pertinent, sed, ut ex ipsa orationis forma apparet, adduntur ad indicandam caussam, cur par sit, illam sententiam veram putare. Quam quidem caussam Aristoteles sic indicat, ut ad eum motum, qui dicatur fine carere reliquosque motus finire, pariter atque ad motum illum circularem ab ipso propositum pertinere dicat quandam proprietatem, quae cum aeternitate omnino conveniat; ait enim, et id, quod finiendi vim habeat (*τὸ πέρας* — intellegitur ille, qui antea dictus est, motus fine carens reliquosque motus finiens), rerum esse reliquas res amplectentium (*τῶν περιεχόντων*), et illum motum circularem, quem ipse proposuerit (*αὕτη ἡ κυκλοφορία*), reliquos motus amplecti (*περιέχειν*). Dicens autem motum, qui reliquos motus amplectatur, quoniam is motus non ab alio finitur, talem dicit motum, qui sua ipsius natura possit aeternus esse. Itaque etiamsi concedatur, hunc locum ad Anaximandrum referendum esse, tamen inde non efficitur, ut is aut ipsi infinito aut alii cuidam rei motum circularem tribuerit[1]).

---

1) Hanc veram esse loci sententiam, non nisi ex accurata eius explicatione cognosci potest; quae quo facilius possit proponi, utile videtur esse, totum locum adscribere. Itaque Aristoteles, postquam repetiit, quod antea (Coel. I, 10 sq.) demonstravit, mundum totum nec ortum unquam nec unquam periturum, sed aeternum esse, addiditque, hoc eo etiam confirmari, quod haec sententia omnia haberet consentientia, sententiam autem contrariam sequerentur repugnantia (Coel. II, 1. 283 b 26—284 a 2), sic pergit (284 a 2 sq.): „*διόπερ καλῶς ἔχει συμπείθειν ἑαυτὸν τοὺς ἀρχαίους καὶ μάλιστα πατρίους ἡμῶν ἀληθεῖς εἶναι λόγους, ὡς ἔστιν ἀθάνατόν τι καὶ θεῖον τῶν ἐχόντων μὲν κίνησιν, ἐχόντων δὲ τοιαύτην, ὥστε μηθὲν εἶναι πέρας αὐτῆς, ἀλλὰ μᾶλλον ταύτην τῶν ἄλλων*

Sed locus omnino non potest ad Anaximandrum referri, quia non solum in eo nulla sunt indicia, quibus Anaxi-

---

πέρας· τό τε γὰρ πέρας τῶν περιεχόντων ἐστί, καὶ αὕτη ἡ κυκλοφορία τέλειος οὖσα περιέχει τὰς ἀτελεῖς καὶ τὰς ἐχούσας πέρας καὶ παῦλαν, αὐτὴ μὲν οὐδεμίαν οὔτ' ἀρχὴν ἔχουσα οὔτε τελευτήν, ἀλλ' ἄπαυστος οὖσα τὸν ἄπειρον χρόνον, τῶν δ' ἄλλων τῶν μὲν αἰτία τῆς ἀρχῆς, τῶν δὲ δεχομένη τὴν παῦλαν."

Priusquam ipsam huius loci sententiam exponamus, dicendum est de difficultate quadam grammatica, quam Teichmuellerus, quantum ex eius verbis (p. 577) conici possit, non videtur animadvertisse. Difficultas posita est in verbis: '*ἔστιν ἀθάνατόν τι καὶ θεῖον τῶν ἐχόντων μὲν κίνησιν, ἐχόντων δὲ τοιαύτην, ὥστε μηθὲν εἶναι πέρας αὐτῆς*', quorum ratio grammatica non convenire videtur cum ipsa rerum veritate. Etenim verba; '*τῶν ἐχόντων μὲν κίνησιν ἐχόντων δὲ ταναύτην*' sunt genetivus partitivus, qui pendet a praecedenti pronomine '*τί*'. Hic genetivus partitivus dupliciter explicari potest, primum ita, ut earum rerum, quae motum quidem habeant sed talem motum, cuius nullus sit finis, plures distinguantur species, harumque una aliqua dicatur immortalis ac divina esse; deinde ita, ut res tali motu utentes e pluribus partibus, veluti ex ipso motu et re motui subiecta, putentur compositae esse, harumque partium omnibus communium una aliqua immortalis esse dicatur. Si priore modo accipimus, quaeritur, quaenam plures illae rerum tali motu utentium species sint, quarum una aliqua tantum immortalis ac divina dicatur; namque rei veritate et Aristotelis sententia omne, quod motum habeat, cuius nullus sit finis, immortale est. Si posteriore modo accipimus, quaeritur, quaenam rerum talem motum habentium pars immortalis putetur; nam Aristotelis rursus sententia res tali motu utentes, id est, orbes coelestes, omnino nihil habent, quod non immortale sit, siquidem eorum et materia et conversio circularis aeterna atque immutabilis est. Hae igitur duae loci explicationes, quae solae ad eius rationem grammaticam plane accommodatae sunt, sententiam exhibent ineptam. Sed praeter has duas explicationes videtur tertia esse, quam sic propono: Aristoteles dicere voluit, sententia quadam antiqua eorum quoque, quae moverentur, aliquid immortale ac divinum putari, id videlicet, quod moveretur

mandrum intellegendum esse significetur, verum etiam ipsa eius vis as voluntas ab Anaximandri sententia prorsus dis-

---

tali motu, qui non haberet finem; cum autem dixisset, 'τῶν ἐχόντων μὲν κίνησιν', ab hisque (id est, ab iis, qui in universum motum haberent) distinguere vellet ea, quae motum haberent fine carentem, quo apertius haec illis opponeret, per adsimilationem quandam ad verba 'τῶν ἐχόντων μὲν κίνησιν' dixit 'ἐχόντων δὲ τοιαύτην κτλ.', cum proprie dicere deberet: 'ἔχον δὲ [αὐτὸ] τοιαύτην κτλ.' Atque haec quidem explicatio meo quidem iudicio sola vera est. His praemissis ipsa loci sententia exponenda est.

Locus e duabus constat partibus omnino diversis; priore, inde a 'διόπερ' usque ad 'τῶν ἄλλων πέρας' Aristoteles antiquam quandam sententiam laudat; altera, inde a 'τό τε γὰρ πέρας' usque ad finem, caussam indicat, cur par sit illam sententiam veram putare.

Quod ad priorem partem attinet, Aristoteles verbis proxime antegressis repetit, quod in libro priore demonstravit, mundum totum nec ortum nec periturum, sed aeternum esse. Quod mundum dicit totum (τὸν πάντα οὐρανὸν) aeternum esse, id, ut in ipsa disputatione ostendimus, non significat, omnes mundi partes, sed mundum, quatenus accipiatur totus, aeternum esse. Iam vero, si aliquae mundi partes caducae sunt, totus ita solum potest aeternus esse, si aliqua eius pars, ea, a qua reliquae omnes pendent, aeterna est. Itaque vera Aristotelis sententia haec est, aliquam certe mundi partem, eam, a qua reliquae pendeant, aeternam esse. Cf. Coel. II, 3; Metaph. XII, 7. 1072ª 24. Iam vero omnes mundi partes in motu versantur; ergo, si aliqua mundi pars aeterna est, aeternam esse oportet rem quandam in motu versantem. Atque id ipsum est, quod Aristoteles priore loci nostri parte contendit; id quod protinus e verbis: 'ὡς ἔστιν ἀθάνατόν τι . . . τῶν ἐχόντων μὲν κίνησιν κτλ.' patet. Contendit autem eo, quod laudat antiquam quandam sententiam, qua talis quaedam res aeterna dicatur, his fere utens verbis: 'propterea (quod scilicet aliquam mundi partem oportet aeternam esse) par est veram putare sententiam illam antiquam nobisque maxime patriam, qua eorum, quae moveantur, aliquid immortale ac divinum dicitur, id videlicet, quod tali utatur motu, qui non habeat finem, verum ipse potius reliquorum

crepat, et ab ea, quae aliunde nota est, et ab ea, quae a Teichmuellero ei tribuitur. Primum igitur in toto loco

---

motum fines contineat'. In quibus verbis maxime animadvertendum est, Aristotelem in referenda illa sententia motum eius rei, quae aeterna esse credatur, non dicere motum circularem, sed motum talem, qui non habeat finem reliquosque motus finiat. Quamquam enim Aristotelis sententia nullus motus potest sine fine esse praeter motum circularem, tamen inde non sequitur, ut etiam illa antiqua sententia motus fine carens intellegatur motus circularis; revera autem non ita intellegi, deinceps magis apparebit.

Quod ad alteram loci partem attinet, haec non iam illam narrationem antiquae illius sententiae continet, sed ab Aristotele, ut facile ex particula '*γὰρ*' ('*τό τε γὰρ πέρας — — καὶ αὕτη κυκλοφορία κτλ.*') patet, additur ad indicandam caussam, ob quam par sit, illam antiquam sententiam veram putare. Quam caussam Aristoteles sic proponit, ut contendat, motum illum, qui antiqua illa sententia putetur fine carere reliquosque motus finire, pariter atque motum illum circularem a se ipso propositum, per se ipsum tali quadam esse proprietate, cum qua aeternitas possit coniuncta esse. Initio enim in verbis '*τὸ πέρας τῶν περιεχόντων ἐστίν*' '*τὸ πέρας*', hoc est id, quod vim finiendi habet, aperte refertur ad illam *κίνησιν* proxime memoratam, quae reliquorum motuum *πέρας* sit. Itaque Aristoteles his verbis illum motum, qui fine careat et reliquos motus finiat, ita explicat, ut eum dicat earum rerum esse, quae reliquas res amplectantur. Deinde verba '*αὕτη ἡ κυκλοφορία*' grammatice quidem dupliciter videntur explicari posse. Nam primum pronomen '*αὕτη*' referri potest ad eandem illam *κίνησιν* proxime memoratum, ita ut haec *κίνησις* illis verbis simul dicatur *κυκλοφορία* esse; deinde pronomen '*αὕτη*' frequenti huius pronominis usu referri potest ad notam ipsius *κυκλοφορίας* notionem, ita ut verba illa significent notam illam *κυκλοφορίαν*, quippe de qua Aristoteles ipse in libro antecedenti (Coel. I, 2. 269^{a} 2 sq.) diligentissime disseruerit. De hoc pronominis usu videas Plat. Phaed. 69 C ibique Stallbaum. Xenoph. Anab. I, 5, 8 ibique Krüger; Mathiae Gr. Gr. § 470, 4; praeterea, quae ipsi antea p. 111 de usu pronominis *ἐκεῖνο* disputavimus. At prior illa explicatio inepta est. Etenim si *αὕτη ἡ κυκλοφορία* refertur ad motum illum fine carentem, eandem rem significat atque '*τὸ*

nulla sunt Anaximandri indicia; ea, quae a Teichmuellero adferuntur, falso adferuntur. Quod enim provocat ad vocabula '*τὸ ἄπειρον*' et '*τὸ περιέχον*', quae hoc loco adhibeantur, haec vocabula maxime quidem Anaximandri doctrinae propria sunt, sed hoc loco omnino non adhibentur, praeterquam quod Aristoteles posteriore loci parte ait, et motum illum reliquos motus finientem rerum esse reliquas res amplectentium (*τῶν περιεχόντων*), et motum circularem ab ipso positum reliquos motus amplecti (*περιέχειν*) et *τὸν ἄπειρον χρόνον* permanere. Hic autem vocabulorum usus certe nihil continet, quod Anaximandro proprium sit, et praeterea in ea reperitur loci parte, quam vidimus ad ipsam illam sententiam antiquam non pertinere.

πέρας' in verbis '*τό τε γὰρ πέρας τῶν περιεχόντων ἐστίν*'; id enim significare vidimus illum motum fine carentem et reliquos motus finientem. Iam vero cum Aristoteles dicat, '*τό τε γὰρ πέρας τῶν περιεχόντων ἐστὶ καὶ αὕτη ἡ κυκλοφορία περιέχει*', ipsis particulis '*τὲ — καὶ*' indicat, illud *τὸ πέρας* et *ταύτην τὴν κυκλοφορίαν* duas diversas esse res, quae in eo consentiant, quod utraque finiendi vim habeat. Ergo *αὕτη ἡ κυκλοφορία* non potest ad illam *κίνησιν* proxime memoratam referri. Sequitur, ut altera explicatio accipienda sit, ut igitur *αὕτη ἡ κυκλοφορία* ab Aristotele intellegatur motus ille coeli motus circularis, quem ipse antea et necessario esse et aeternum esse docuerit. His expositis tota sententia in aperto est; verba '*τό τε γὰρ πέρας τῶν περιεχόντων ἐστί καὶ αὕτη ἡ κυκλοφορία τέλειος οὖσα περιέχει τὰς ἀτελεῖς*' sic vertenda sunt: 'nam et id, quod finiendi vim habet, id est, ille qui antea dictus est motus reliquos motus finiens, rerum est reliquas res amplectentium et ille motus circularis — quem ipse proposui — reliquos motus imperfectos et finitos amplectitur'. Iam vero motus reliquos motus amplectens, quoniam a nullis aliis motibus finitur, talis est, qui sua ipsius natura aeternus sit. Itaque Aristoteles, illos motus dicens reliquos motus amplecti, eos tales esse dicit, qui sua natura aeterni sint. Talem autem quendam motum in mundo esse, Aristoteles hoc loco ostendere voluit. Atque haec de hoc loco satis sunto; quo illa antiqua sententia referenda sit, progredientibus patebit.

Quod autem Aristoteles illam antiquam sententiam appellat Atheniensibus maxime patriam, hac nota omnino non potest quaedam Anaximandri sententia insigniri, quemadmodum Teichmuellarus putat, caussam adferens, quod Anaximander, utpote vir Milesius, Atheniensibus cognatus sit. Nam sententia patria est ea, quae a patribus suscepta in omnium mentibus viget; Milesii autem cognati quidem Atheniensibus, nec vero eorum patres sive maiores sunt; ergo sententia a viro quodam Milesio accepta non dici potest illis patria esse. Sententia Atheniensibus patria vix potest esse nisi sententia ad patriam eorum religionem sive mythologiam pertinens; atque talem quandam sententiam intellegi eo quoque probabile efficitur, quod Aristoteles saepius, ubi suam de coeli stellarumque natura doctrinam proponit, ad veteris religionis opiniones provocat, eo consilio, ut suam de his rebus sententiam saeculorum praeteritorum testimoniis confirmet[1]). Peruasum enim ei est, in infinito saeculorum cursu veritatis cognitionem non semel tantum bisve, sed sexcentiens in hominibus exstitisse, cuius quidem cognitionis quaedam reliquiae in religione maxime ad nostram aetatem pervenerint[2]); et hanc ob caussam in talibus rebus, quae videantur semper eaedem esse, singulorum autem hominum experientia propter temporis exiguitatem non satis cognosci possint, religionis opiniones putat non neglegendas esse[3]). Ad quod autem numen divinum illa sententia pertinere videatur, in disputationis fine dicemus.

Deinde tota loci vis ac voluntas ab Anaximandri sententia prorsus discrepat, sive notam eius sententiam de mundorum ortu interituque respicimus, sive eum cum Teich-

---

1) Aristot. Coel. I, 3. 270^b 5; II, 1. 284^a 11, continuo post eum locum, de quo agimus.

2) Aristot. Coel. I, 3. 270^b 19; et iisdem fere verbis Meteor. I, 2. 339^b 25.

3) Coel. I, 3. 270^b 11.

muellero putamus infinito principio motum circularem tribuisse. Namque Aristoteles, ut antea ostendimus, hoc loco contendit, mundum, quatenus accipiatur totus, aeternum esse, contendit igitur, aliquam certe mundi partem, eam, a qua reliquae partes pendeant, aeternam esse oportere; atque hac mente laudat sententiam illam antiquam, qua res quaedam, quae semper in motu sit, id est, quaedam ipsius mundi pars, dicatur immortalis ac divina esse. Iam vero Anaximander unumquemque innumerabilium, quos ponit, mundorum et totum ortum esse docet et totum rursus interire, et ab ipso Aristotele in iis numeratur, qui mundum velint generari; id quod a Teichmuellero etiam aperte contenditur[1]). Ergo hac certe parte loci Aristotelici sententia a sententia Anaximandri prorsus discrepat. Verum non minus ab ea discrepat, si Anaximandrum cum Teichmuellero sumimus ipsi infinito principio aeternum motum circularem tribuisse. Etenim Aristoteles hoc loco sententiam quandam antiquam ea parte laudat, quatenus ea aliquid eorum, quae moveantur, id est, aliqua huius ipsius mundi pars immortalis ac divina credatur. Ea autem sententia, qua aliqua mundi pars credatur aeterna esse, omnino pugnat cum tali quadam sententia, qua principium omnibus partibus subiectum aeterno motu moveri dicatur. Denique accedit, quod Aristoteles in libro antecedenti[2]) multis rationibus ostendit, in infinito non posse esse motum circularem, incredibile autem est, eum hoc loco talem sententiam prae ceteris laudare, quam antea demonstraverit absurdam esse[3]).

---

1) Studien etc. p. 83, coll. p. 31.

2) Aristot. Coel. I, 5. 271^{b} 26 sq.

3) Lütze, Das Apeiron Anaxim. p. 35 (in adnot.) concedit, sententiam illam antiquam hoc loco ab Aristotele memoratam necessario ad Anaximandrum referendam esse, inutiliter ad Aristot. Phys.

Postremo cum viderimus, sententiam illam antiquam, quae Atheniensibus patria diceretur, vix intellegi posse nisi sententiam in patria religione versantem, ut loci explicatio absolvatur, breviter quaerendum est, ad quodnam patriae religionis numen divinum illa sententia videatur pertinere. In qua quaestione equidem non dubito, quin illa sententia ad ea pertineat, quae in patria religione de dei Solis vel potius Apollinis, qui prima sua notione a Solis numine non diversus est, vi ac natura tradebantur. Hunc enim scimus ab Atheniensibus patrium (πατρῷον) et ipsius urbis custodem habitum esse[1]). Si quis autem obiecerit, in an-

---

III, 4. 203 b 10 provocans; et verba 'καὶ αὕτη ἡ κυκλοφορία κτλ.', neglecta loci ratione grammatica, ad ipsam illam sententiam pertinere censet (p. 34). Nihilo autem secius negat, ab Aristotele Anaximandrum dici infinito motum circularem tribuere, hac utens ratione, quod Aristoteles neget infinitum motu circulari moveri posse (p. 33). At profecto ea re, quod Aristoteles infinitum negat motu circulari moveri, non prohibetur, quominus Anaximandrum infinito dicat talem motum tribuere. Quod autem Aristoteles aeternum Anaximandri motum simpliciter dicat 'ταύτην τὴν κυκλοφορίαν', Lützius eo satis explicari opinatur, quod ille antiquorum sententias studeat ad suam doctrinam accommodare (p. 34). At si aliorum sententias ad suam doctrinam accommodat, in illis certe aliquid esse oportet, quod aut ipsum per sese aut rectius explicatum cum ipsius doctrina conveniat; hoc igitur in Anaximandri sententia quid est?

1) Harpocrat. s. v. Ἀπ. πατρῷος. Cic. Nat. D. III, 22: „Primus (Volcanus) Coelo natus, ex quo et Minerva Apollinum is, cuius in tutela Athenas antiqui historici esse voluerunt". Ibid. 23: „Apollinum antiquissimus is, quem paullo ante ex Volcano natum esse dixi custodem Athenarum." Cf. Gerhard Griech. Mythol. I § 302, 1 et § 193, 3. Quod autem Apollinem diximus prima sua notione a Sole non diversum esse, haec res hoc ipso Aristotelis loco videtur confirmari. Etenim si consideramus sententiam illam antiquam hoc loco memoratam, facile patet, id, quod ea contineatur, proprie non nisi ad numen Solis pertinere posse; cumque illa sententia Atheniensibus dicatur patria esse, hoc ipsum numen credendum est Athe-

tiqua religione Soli vel Apollini non tribui motum circularem, reminiscendum est, quod antea ostendimus, Aristotelem non contendere, sententia illa antiqua divinum dici id, quod motu circulari utatur, verum id, quod utatur motu, qui ipse fine careat et reliquos motus finiat. Id autem omnino cadit in Solem vel Apollinem, quippe qui credatur perenni suo cursu omnes et temporum mutationes et dierum noctiumque vicissitudines gignere, eoque in hoc mundo omnium rerum et ortus et interitus efficere[1]).

Iam igitur omnino videtur demonstratum esse, hunc Aristotelis locum nec continere eam sententiam, quam Teichmuellerus eo putat contineri et Anaximandri esse contendit, nec omnino ad Anaximandrum referri posse.

Sed aeternum Anaximandri motum esse motum circularem, non solum nullis veterum testimoniis probatur, verum etiam per se omnino improbabile est; id quod patet e tribus maxime rationibus, quas in refutandis Teichmuelleri argumentis iam tetigimus quidem, accuratiorem autem earum explanationem in hunc locum remisimus. Prima ratio est, quod omnes antiquiores physici Graeci, quos certo scimus ad generandum mundum mota circulari, vortice, usos esse, hunc non aeternum ponunt, sed aut e motu quodam priore aut ex aliis caussis antecedentibus faciunt orientem. Sic Democritus, ut antea nonuimus[2]), vorticem, quo effici putat mundum, a concursu et repercussu atomorum suopte pondere diversa celeritate decidentium repetit; Anaxagoras conversionem rotundam in homoeomeriarum mixtione putat

---

niensibus patrium fuisse. Iam vero Apollinem quidem scimus, nec vero Solem ab Atheniensibus patrium habitum esse. Ergo hic Aristotelis locus videtur argumento esse, Apollinem prima sua notione a Solis numine non diversum esse.

1) Cf. de hac re, ne longiore disputatione opus sit, Gerhard, Griech. Mythol. I, § 308.

2) Vide supra p. 287.

infinitae mentis impulsu effectam esse; Empedocles elementorum vorticem videtur ad Amicitiae et Discordiae pugnam referre. Atque haec res omnino consentanea esse videtur cum condicione mentis humanae; haec enim, instituta quotidianis sensuum perceptionibus, initio unum tantum motum esse putabit naturalem, eum, quo omnia corpora ad lineam deorsum ferantur, motum autem obliquum et motum circularem non facile putabit naturaliter in rebus inesse, sed in hisce non nisi caussis adventiciis gigni. Quare verisimile est, Anaximandrum quoque, si omnino motum circularem in generando mundo adhibuit, hunc non naturalem et aeternum, sed antecedenti quadam caussa effectum putavisse.

Altera ratio est, quod Anaximandri principium infinitum et idcirco eiusmodi est, ut possit quidem aliqua eius pars, ipsum autem totum non possit motu circulari moveri. Quam difficultatem Teichmuellerus fugit quidem eo, quod Anaximandrum contendit infiniti nomine non vere infinitum, sed immensum tantum intellegere[1]). At si rationes consideramus, quibus eum vidimus adductum esse, ut omnium rerum principium crederet infinitum esse[2]); si consideramus, ab eo primo principium ipso infiniti nomine appellatum esse[3]), necessario eum existimabimus non solum vagam quandam infiniti cogitationem, verum ipsam eius notionem in mente informatam habuisse. Sed hoc concesso fortasse rursus aliquis putaverit fieri posse, ut Anaximander infinitatis et motus circularis repugnantiam non animadverterit. At incredibile est, Anaximandrum, virum scilicet in primis acutum, si eum sumimus ipsam infiniti notionem in mente informatam habuisse, si forte cogitatione motum circularem

---

1) Studien etc. p. 56; vid. supra p. 288.

2) Vide supra p. 22 sq.

3) Vide supra p. 7 sq.

ad infinitum suum principium adiungeret, non sensurum fuisse, id, quod esset infinitum, hoc motu moveri non posse. Ergo temerarium est credere, eum principio motum circularem tribuisse, nisi id apertis historiae testimoniis traditur.

Tertia denique ratio est, quod e solo infiniti principii motu circulari, quae Anaximander de rerum origine docuit, omnino non possunt explicari. Etenim scimus, Anaximandri sententia rerum multitudinem eo gigni, quod ex principio contraria ipsi insita secernantur. Haec contrariorum secretio posset quidem, ut antea iam breviter monuimus[1]), e quodam ipsius principii vortice explicari, si principium esset mixtio e contrariis rerum elementis per se constantibus composita, ita fere, ut hoc vortice, quae in mixtione inessent graviora, in medio loco confluere, quae leviora inessent, ad circuitum propelli dicerentur. At enim vero Anaximandri principium non est mixtio elementorum per se constantium, sed est substantia simplex propriis suis qualitatibus praedita, in qua contrariae elementorum qualitates non insunt nisi potentia. E substantia autem simplici et ubique sui simili quomodo vortice quodam possint contrariae qualitates secerni, non potest intellegi, nisi forte putaveris, has qualitates nihil esse nisi diversas densitates et raritates; id quod ab Anaximandri doctrina vidimus alienum esse. In universum enim facile patet, si ex una substantia simplici res generandae sint contrariis qualitatibus utentes, in hac substantia inesse oportere motum quendam, qui non in sola loci mutatione cernatur (talem enim motum sequi non possunt nisi novae quaedam partium in spatio dispositiones, concretiones, discretiones, nec vero novae partium qualitates), sed qui sua ipsius natura in quadam novarum qualitatum progeneratione consistat.

---

1) Vide supra p. 287

Talem autem quendam motum ab Anaximandro poni, paullo post apparebit.

4. Cum igitur videatur demonstratum esse, aeternum Anaximandri motum non esse motum circularem, denuo quaerendum est, qui sit. Supra autem[1]) diximus, in iis veterum locis, quibus Anaximander refertur principio motum tribuere, quaedam inesse, e quibus illa quaestio videretur solvi posse; quare ad hosce locos revertimur. Itaque primum hisce et Aristotelis et posteriorum scriptorum locis Anaximandrum vidimus generaliter tantum dici principio aeternum motum tribuere, nulla generis designatione addita[2]). Quare, cum quattuor sint motus genera, generatio, mutatio, accretio et diminutio, loci mutatio, ille Anaximandri motus potest in quovis horum generum esse. Sed unum etiam attulimus Aristotelis locum, quo is, physicorum de uno ente doctrinam ab Eleatarum distinguens, diceret: „*ἐκεῖνοι μὲν προστιθέασι κίνησιν, γεννῶντές γε τὸ πᾶν, οὗτοι δὲ ἀκίνητον εἶναί φασιν,*"[3]) ex hisque verbis cognovimus, Aristotelem, physicos uni suo enti motum adiungere, inde sumpsisse, quod ex hoc uno ente multitudinem generarent. Quod si ita se habet, Aristoteles motum, quem physicos dicit uni enti adiungere, talem intellegit, qui in aliquo generationis modo cernatur. Ergo Aristotele teste aeternus Anaximandri motus (namque Anaximandrum quoque ab Aristotele in illis physicis numerari, satis ostendimus) in eo motus genere est, quae generatio dicitur. Iam vero cum reliquorum scriptorum tum ipsius Aristotelis testimonio constat, Anaximandri sententia multitudinis generationem eo fieri, quod e principio contraria ipsi insita secernantur. Ergo aeternus Anaxi-

---

1) Vid. p. 284.

2) Supra p. 283.

3) Supra p. 279 not. 1 et p. 283.

mandri motus in hac ipsa contrariorum secretione consistit.

Idem aperte ex alia Aristotelis disputatione sequitur. Is enim in Physicorum libri primi capite altero[1]) eos, qui id quod est unum solum dicant esse, Eleatas et veteres physicos, eo distinguit, quod illi hoc unum ens immotum, hi autem motu insito praeditum esse velint; tumque, eiusdem libri capite quarto, quo, postquam Eleatarum doctrinam refutavit, doctrinam physicorum accuratius exponit, hos rursus bifariam dividit in eos, qui ex uno ente rerum multitudinem condensatione et rarefatione, et in eos, qui contrariorum secretione generent; atque in posteriorum numero unum ponit Anaximandrum[2]). Iam vero e prioris et posterioris loci comparatione certo apparet, hos duos generationis modos, condensationem et rarefactionem dico et contrariorum secretionem, ab Aristotele intellegi differentias illius motus, quem physici uni enti sive uni rerum principio insitum esse velint, quibus quidem differentiis hi ipsi in duas partes dividantur. Itaque Aristoteles, si solam sententiarum continuationem quam brevissimis indicamus, hoc fere dicit, physicos uni enti sive uni rerum principio velle motum inesse, huncque motum alterorum sententia in condensatione et rarefactione, alterorum in contrariorum secretione consistere[3]). In hisce autem posterioribus unum Anaximandrum memorat. Ergo ipse Aristoteles satis aperte dicit, quod volebamus, aeternum illum motum, quem Anaximander principio insitum esse velit, in ipsa contrariorum secretione consistere.

Quod ex Aristotele collegimus, confirmatur etiam a scriptoribus posterioribus, si eos locos, quibus, qua ratione Anaximander rerum multitudinem generet, referunt, inter

---

1) Vid. supra p. 156.

2) Vid. supra p. 158.

3) Vid. supra p. 158—160, ubi rem diligentius demonstravimus.

se comparamus. In hac enim ratione indicanda ita inter se differunt, ut alteri, velut Philoponus[1]) et uno loco Simplicius[2]), non memorantes aeternum principii motum, eam simpliciter in contrariorum secretione, alteri, velut Hippolytus[3]) et Hermias[4]) et uno loco Simplicius[5]), non memorantes contrariorum secretionem, simpliciter in aeterno principii motu ponant. Quae scriptorum differentia ita tantum plane explicatur, si sumimus, aeternum illum motum et contrariorum secretionem eandem rem esse. Simplicius quidem tertio quodam loco[6]) motum et contrariorum secretionem coniungit, dicens, Anaximandri sententia rerum generationem eo fieri, quod e principio aeterno ipsius motu secernantur contraria; sed inde non sequitur, ut illum aeternum motum a contrariorum secretione putaverit diversum esse, verum locus ita accipi potest, et, si duos eiusdem locos iam laudatos respicimus, ita accipi debet, ut aeternus ille motus ipse secretionis motus intellegatur[7]).

---

1) Vide supra p. 276, not. 1.
2) Vid. supra p. 275, not. 2.
3) Vid. supra p. 281, not. 2.
4) Vid. ibid. not. 3.
5) Vid. supra p. 280, not. 4.
6) Vid. supra p. 275, not. 2 et 281, not. 1.

7) Simplicii verba (Phys. 6, a, post med.) sunt haecce: „*οὗτος δὲ οὐκ ἀλλοιουμένου τοῦ στοιχείου τὴν γένεσιν ποιεῖ, ἀλλ' ἀποκρινομένων τῶν ἐναντίων διὰ τῆς ἀϊδίου κινήσεως.*“ Hunc locum ita explicavimus, ut intellegendum esset, e principio contraria secerni aeterno huius ipsius secretionis motu. Explicationis ratio hoc modo patebit. Est hic locus primus, quo Simplicius de hac re loquitur; quare postquam dixit, generationem fieri eo, quod e principio contraria secernerentur, ut id aliquo modo intellegi posset, addenda erat quaedam huius secretionis caussa; atque hanc caussam non in alia re ponit, sed ita indicat, ut hunc ipsum principii motum, qui in contrariorum secretione cerna-

Denique non abs re videtur esse memorare, Anaximenem quoque et Heraclitum dici aeternum principii motum statuere, eum autem motum, qui ab Heraclito statuatur, eo contineri, quod principium 'διαφερόμενον ἀεὶ ξυμφέρεται', eum, qui ab Anaximene ponatur, in principii condensatione et rarefactione consistere[1]).

5. Si aeternus Anaximandri motus in contrariorum secretione consistit, de hac ipsa secretione videndum est, in qua principii actione consistat. Quae res quamquam a veteribus omnino non traditur, tamen satis certe videtur cognosci posse ex iis, quae de Anaximandri principii natura et de contrariorum secretione antea invenimus. Reminiscimur enim primum, Anaximandri sententia principium infinitum esse substantiam corpoream simplicem, quae sua ipsius qualitate media sit inter duo contraria, atque quidem inter naturam frigidam eamque humidam atque opacam et naturam calidam eamque igneam ac lucidam (inter ὑγρασίαν καὶ φλόγα), quaeque hanc ipsam ob caussam haec contraria potentia contineat; deinde ex hac infinita substantia primo initio non ipsa illa contraria, sed 'τὸ ἐκ τοῦ ἀϊδίου γόνιμον θερμοῦ καὶ ψυχροῦ', id est, semen quoddam ex ipsa infinita substantia contrariorum illorum fecundum, et ex hoc demum semine prima illa contraria secerni, atque ea quidem ratione, ut natura fri-

---

tur, aeternum esse dicat. Ita autem locum intellegendum esse praeter argumentum in ipsa dissertatione adhibitum inde quoque licet colligere, quod Simplicius ait 'διὰ τῆς ἀϊδίου κινήσεως', definito utens articulo. Cum enim hic articulus anteponatur rei notae, de aeterno autem quodam Anaximandri motu nondum dictum sit, hic motus ita tantum videtur posse notus dici, si refertur ad contrariorum secretionem proxime memoratam; nisi forte putaveris, articulum definitum propterea adhiberi, quod Simplicius non multo ante Anaximandrum in iis numeraverit, qui principium 'ἓν καὶ κινούμενον' dicerent; id quod accipi posse concedo.

1) Cf. Simplic. Phys. 6, a, circa med.; Hippol. Refutt. I, 7.

gida medium locum occupet, natura calida illam undique modo sphaerae igneae cingat[1]). Cum igitur hoc contrariorum semen sit id, e quo ipsa contraria secernantur, de huius ipsius et ortu et natura ad contrariaque illa ratione accuratius videndum est.

Ac quommodo ipsum semen ex infinito principio oriri videatur, inferius explicare conabimur; quod autem ad ipsius naturam huiusque naturae ad illa contraria rationem attinet, duo apparent, quae videantur ipsam quaestionis propositae solutionem continere. Primum, cum ipsum infinitum principium sit substantia simplex propria sua qualitate utens, sine dubio etiam huius substantiae pars semine illo inclusa per se et ante contrariorum secretionem substantia simplex est eadem utens qualitate. Deinde ex ea re, quod ex hoc semine illa contraria ita dicuntur secerni, ut *natura frigida medium locum occupet, natura calida illam undique modo sphaerae igneae cingat*, sequitur, ut substantiae infinitae pars semine inclusa *tota* in *illas naturas contrarias transeat*. Quod si ita se habet, protinus intellegitur, contrariorum secretionem ita fieri, ut substantiae infinitae pars semine inclusa, mediam suam qualitatem linquens, in contrarias qualitates transeat in hasque transeundo *ipsa sese tota in naturas illas contrarias dirimat*. Ergo ea principii actio, qua contrariorum secretio continetur, est *ipsius principii in contraria diremptio*. Quod autem ad hanc ipsam in contraria diremptionem attinet, eam Anaximander putandus est non alio motu priore explicavisse, sed ipsum motum quendam principalem atque simplicem habuisse, siquidem verum est, quod antea ostendimus, contrariorum secretionem esse primum atque aeternum illum motum ipsi principio insitum. Sed haec omnia magis etiam patebunt ex ea disputatione, ad quam nunc transgredimur.

---

1) Vid. lib. II, cap. 25; p. 244 sq.

6. Postquam exposuimus, in qua ipsius principii actione contrariorum secretio videretur consistere, sunt quaedam, e quibus certo cognosci possit, qua generis notione haec principii actio a veteribus definiatur. Etenim plerique veteres scriptores Anaximandrum ita cum a reliquis physicis tum ab Anaximene distinguunt, ut eum non aliqua principii mutatione, veluti condensatione et rarefaetione, verum contrariorum secretione (‚οὐ κατ' ἀλλοίωσιν τοῦ ὑποκειμένου, ἀλλὰ κατ' ἔκκρισιν') rerum multitudinem generare dicant[1]). Ergo eum generationis modum, qui contrariorum secretione fiat, omnino opponunt ei, qui in aliqua principii mutatione consistat. Ex hac autem ipsa oppositione intellegitur, hos duos generationis modos aut genere aut specie diversos esse; quaerendum igitur est, quae inter eos intercedat differentia.

Responsio patet ex Aristotele. Is enim, ut antea iam monuimus, universi eius generis, quod ipse voce generalissima plerumque *μεταβολὴν* appellat, Latini generali huius

---

1) Simplic. Phys. 6, a, p. med.: „*οὗτος δὲ οὐκ ἀλλοιουμένου τοῦ στοιχείου τὴν γένεσιν ποιεῖ, ἀλλ' ἀποκρινομένων τῶν ἐναντίων διὰ τῆς ἀϊδίου κινήσεως.*“ Ibid. 32, a, p. inf. et b, p. sup.: „*κοινωνοῦντες οὗτοι πάντες κατὰ τὸ μίαν λέγειν τὴν ἀρχὴν διχῆ διαιροῦνται κατὰ τοὺς τρόπους τῆς γενέσεως· καὶ γὰρ οἱ μὲν ἐκ τοῦ ὑλικοῦ ἑνὸς γεννῶσι τὰ ἄλλα μανότητι καὶ πυκνότητι· . . . ἕτερος δὲ τρόπος, καθ' ὃν οὐκέτι τὴν μεταβολὴν τῆς ὕλης αἰτιῶνται οὔτε κατ' ἀλλοίωσιν τοῦ ὑποκειμένου τὰς γενέσεις ἀποδιδόασιν, ἀλλὰ κατ' ἔκκρισιν.*“ Philopon. in Phys. I, 4. 187ª 12: „*οἱ μὲν οὖν πυκνώσει καὶ μανώσει λέγοντες ἀλλοιώσει τοῦ κατ' αὐτοὺς στοιχείου γεννῶσι τὰ ἄλλα, ὥστε συμβαίνει αὐτοῖς τὴν γένεσιν ἀλλοίωσιν λέγειν . . . Ἀναξίμανδρος δὲ οὐκ ἀλλοιώσει τοῦ μεταξὺ γεννᾷ τὰ ἄλλα, ἀλλ' ἐκκρίσει ἐνυπαρχόντων ἐν αὐτῷ.*“ Themist. Phys. I, 4, p. 124, 10 Sp.: „*οἱ μὲν γὰρ . . . τὰ λοιπὰ δημιουργοῦσι πυκνότητι καὶ μανότητι χρώμενοι . .*“ . . ib. p. 124, 21: „*οὗτος δὲ (ὁ Ἀναξ.) οὐκέτι ἀλλοιώσει χρῆται πρὸς τὴν γένεσιν τῶν ἐφεξῆς, ἀλλ' ἐκκρίνεσθαί φησιν ἐξ ἀπείρου τοῦ στοιχείου τὰς ἐναντιότητας ἐνυπαρχούσας.*“

vocis significatione mutationem vel etiam motum dicere possunt, quattuor distinguit genera. Horum generum duo priora dicit '*γένεσιν*' sive generationem et '*ἀλλοίωσιν*', quam posteriores interpretes voce apud Romanos inusitata verterunt alterationem, nos simpliciter propria vocis significatione mutationem appellare possumus; haecque duo genera ita definit, ut dicat, omnem *μεταβολὴν* sive mutationem generaliter dictam fieri in re aliqua subiecta, eamque esse *ἀλλοίωσιν* sive mutationem proprie dictam, si quae res, ipsa eius essentia sive forma manente, non nisi adfectionum sive accidentium vicissitudine mutetur, esse autem *γένεσιν* sive generationem, si quae res, suam ipsius formam amittens, tota in aliam formam transeat[1]). Iam vero facile ostenditur, locis illis supra laudatis *ἀλλοιώσεως* vocabulum ea significatione intellegi, quam Aristoteles hac definitione sanciverat. Id enim primum inde colligendum est, quod ipsa illa sententia, Anaximandrum non aliqua principii mutatione ('*οὐ κατ' ἀλλοίωσιν*') sed contrariorum secretione multitudinem generare, sine dubio sumpta est a Theophrasto, siquidem apud Simplicium eo ipso loco legitur, quem e Theophrasto fluxisse ostendimus[2]). Deinde ipsis illis locis aperte indicatur. Nam hisce locis quae dicitur *ἀλλοίωσις*, non alia intellegitur nisi condensatio et rarefactio; haec enim est,

---

1) Satis erit, ad rem illustrandam unum adferre locum, Gen. Corr. I, 4. 319[b] 6 sq., ubi haec leguntur: „*περὶ δὲ γενέσεως καὶ ἀλλοιώσεως λέγωμεν τί διαφέρουσιν· φαμὲν γὰρ ἑτέρας εἶναι ταύτας τὰς μεταβολὰς ἀλλήλων· ἐπειδὴ οὖν ἐστί τι τὸ ὑποκείμενον καὶ ἕτερον τὸ πάθος, ὃ κατὰ τοῦ ὑποκειμένου λέγεσθαι πέφυκεν . . . ἀλλοίωσις μέν ἐστιν, ὅταν ὑπομένοντος τοῦ ὑποκειμένου, αἰσθητοῦ ὄντος, μεταβάλλῃ ἐν τοῖς αὐτοῦ πάθεσιν . . . ὅταν δ' ὅλον μεταβάλλῃ μὴ ὑπομένοντος αἰσθητοῦ τινος ὡς ὑποκειμένου τοῦ αὐτοῦ, ἀλλ' οἷον ἐκ τῆς γονῆς αἷμα πάσης, ἢ ἐξ ὕδατος ἀὴρ ἢ ἐξ ἀέρος παντὸς ὕδωρ, γένεσις ἤδη τοιοῦτον.*“ Cf. Phys. V, 2. 226[a] 26 sq. et b 1.

2) Simplic. Phys. 6, a, p. med. Vid. supra p. 144 et not. 2.

cui proprie contrariorum secretio opponitur, quaeque idcirco dicitur *ἀλλοίωσις*, ut statim generis sui notione explicetur; id quod cum e reliquis locis tum e Philoponi verbis intellegitur, dicentis, eos, qui rerum generationem in principii condensatione et rarefactione ponant, *τὴν γένεσιν* dicere nihil nisi *ἀλλοίωσιν* esse[1]). In condensationem et rarefactionem autem omnino cadit Aristotelis illa *ἀλλοιώσεως* definitio, siquidem ea revera nihil est nisi adfectionum principii sive accidentium vicissitudo. Ergo ea re, quod contrariorum secretio opponitur *ἀλλοιώσει* sive mutationi proprie dictae, contenditur, Anaximandri sententia rerum generationem non solum quarundam principii adfectionum vicissitudinem esse, sed esse veram generationem, id est, eam ita fieri, ut principium subiectum (hoc est, substantiae infinitae pars illo semine inclusa), suam ipsius qualitatem sive formam relinquens, totum in alias qualitates sive formas inter se contrarias transeat vel in eas se dirimat; id quod plane consentit cum ea ratione, qua contrariorum secretionem explicavimus. Ex eadem re simul efficitur, Anaximandri sententia mundum singulasque mundi res non solum quasdam principii adfectiones esse, sed esse res ab ipso principio separatas ac per se constantes, quae ortae quidem e principio sed tamen tota sua natura ab eo diversae sint. Quod quanto opere cum tota Anaximandri doctrina consentiat, postea magis etiam apparebit.

Sed cum hac ipsa re, quod contrariorum secretio cum mutationi tum condensationi et rarefactioni opponitur, quaedam Aristotelis sententia videtur dissentire; quam quidem dissensionem iam saepius memoravimus, diligentiorem autem eius explicationem in hunc locum distulimus[2]). Etenim Aristoteles, quamquam ipse physicos eo, quod alteri

1) Vid. supra p. 310 not. 1.

2) Cf. supra p. 265.

multitudinem condensatione et rarefactione, alteri contrariorum secretione generent, in duo genera distribuit in horumque posteriore Anaximandrum ponit, tamen Anaximandri principium saepius ita inter duo elementa medium dicit, ut altero densius, altero autem rarius esse dicat. Quodsi autem principium per se altero elemento densius altero autem rarius est, sequitur, ut principium, elementa illa ex sese secernens vel in ea transiens, ipsum sese oporteat partim densius partim rarius fieri, ut igitur rerum generatio certe non fiat sine quadam ipsius principii condensatione et rarefactione. Hanc autem revera Anaximandri sententiam esse, maximo opere confirmari videtur eo, quod eum scimus densitatis et raritatis notionem plane cognitam habuisse et diversis elementis diversos eius gradus tribuisse. Namque Aristoteles duobus Meteorologicorum locis omnino similibus hanc quorundam philosophorum opinionem refert: primo initio et terram et totam mundi regionem circa terram humidam fuisse, ex hac autem natura humida, a sole calefacta, exstitisse aerem, hacque ipsa re totius mundi ambitum factum esse ampliorem; Alexander autem hosce locos explicans Theophrastum ait eandem quorundam opinionem referre eamque dicere Anaximandri esse et Diogenis Apolloniatae [1]). Quodsi igitur Anaximander contendit, naturae humidae in aerem conversione mundi ambitum factum esse ampliorem, sequitur, ut aerem putaverit natura humida rariorem esse; si autem aerem putavit natura humida rariorem esse, eum putavisse oportet, naturam humidam in aeris formam transeuntem ipsam sese rariorem fieri, putavisse igitur oportet, naturae humidae in aerem conversionem aut in sola quadam illius rarefactione consi-

---

1) Aristot. Meteor. II, 1. 353 b 5 sq.; 2. 355 a 21 sq. Alexander in Aristot. Meteor. p. 91, a et p. 93, b. Cf. Wimmer, Theophrasti fragm. 39. Vide locos supra p. 248, not. 1 et 2.

stere, aut certe quandam illius rarefactionem adiunctam habere. Hinc autem concludendum est, Anaximandri sententia principium quoque, naturas illas contrarias ex sese secernens vel in eas se dirimens, ipsum sese partim densius partim rarius fieri.

Cum igitur Anaximander indubiis veterum testimoniis et omnino negetur et rursus etiam dicatur rerum multitudinem condensatione et rarefactione generare, quaerendum est, qua ratione hae pugnantes sententiae inter se concilientur. Ea vero, quod rerum generatio dupliciter dici potest condensatione et rarefactione fieri, primum ita, ut ipsa tota in principii condensatione et rarefactione consistere, deinde ita, ut non sine quadam principii condensatione et rarefactione fieri dicatur; pariter atque Aristoteles ipsam rerum generationem (*γένεσιν*) docet non esse *ἀλλοίωσιν*, sed tamen non sine alicuius rei, velut materiae, mutatione fieri[1]). Si prior ratio ponitur, condensatio et rarefactio prior est ipsis contrariorum qualitatibus, velut frigore et calore, haeque ipsae re nihil sunt nisi diversi quidam densitatis et raritatis gradus; atque haec re certe Anaximenis sententia est[2]), cui uni Theophrastus, quemadmodum Simplicius testatur, condensationem et rarefactionem tribuit[3]).

---

1) Aristot. Phys. VII, 3. 246 a 4: „*ἔτι δὲ καὶ εἰπεῖν οὕτως ἄτοπον ἂν δόξειεν, ἠλλοιῶσθαι τὸν ἄνθρωπον ἢ τὴν οἰκίαν . . . ἀλλὰ γίνεσθαι μὲν ἕκαστον ἀναγκαῖον ἀλλοιουμένου τινός, οἷον τῆς ὕλης πυκνουμένης ἢ μανουμένης ἢ θερμαινομένης ἢ ψυχομένης, οὐ μέντοι ἡ γένεσις αὐτῶν ἀλλοίωσίς ἐστιν.*“

2) Cf. Plut. de prim. frig. c. 6: „*ἢ, καθάπερ Ἀναξιμένης παλαιὸς ᾤετο, μήτε τὸ ψυχρὸν ἐν οὐσίᾳ μήτε τὸ θερμὸν ἀπολείπωμεν, ἀλλὰ πάθη τινὰ τῆς ὕλης ἐπιγινόμενα ταῖς μεταβολαῖς· τὸ γὰρ, συστελλόμενον αὐτῆς καὶ πυκνούμενον ψυχρὸν εἶναί φησι, τὸ δὲ ἀραιὸν καὶ τὸ χαλαρὸν . . θερμόν*'.

3) Simplic. Phys. 32, a, p. inf.: „*οἱ μὲν ἐκ τοῦ ὑλικοῦ ἑνὸς γεννῶσι τὰ ἄλλα μανότητι καὶ πυκνότητι, ὡς Ἀναξιμένης . . . ἐπὶ*

Si posterior ponitur, contrariorum qualitates notione certe priores sunt condensatione et rarefactione, ipsaeque naturam quandam habent suam ac propriam, ad condensationem autem et rarefactionem ita se habent, ut earum ortus quandam principii condensationem et rarefactionem habeat adiunctam. Atque haec quidem nobis putanda est Anaximandri sententia esse, si pugnantes illas duas sententias volumus plane inter se conciliari.

Itaque, ut quam brevissimis, quae disputavimus, complectamur, Anaximandri sententia rerum generatio per se non in principii condensatione et rarefactione, verum in contrariorum secretione consistit; sed tamen per accidens est condensatio et rarefactio, propterea, quod illa contrariorum secretio quandam principii condensationem et rarefactionem adiunctam habet[1].

7. Anaximander aliquo libri sui loco, cuius unius ipsa verba servata sunt, ait, e quo res ortae sint, in id pereundum etiam iis esse, secundum temporis ordinem[2]. Docet igitur, omnes res, id est, et ipsum mundum et omnes eius partes, ut ortae sint ex infinito principio, ita etiam tempore quodam peracto in infinitum principium resolvi. Simul autem docet, post aliarum rerum interitum semper alias ex eodem principio renasci. Putat enim, contrariorum e principio secretionem ab omni aeternitate sempiternam atque continuam esse, et eo, quod innumerabiles deinceps mundi e principio oriantur et in principium intereant, et eo, quod

---

γὰρ τούτου μόνον Θεόφραστος ἐν τῇ ἱστορίᾳ τὴν μάνωσιν εἴρηκε καὶ τὴν πύκνωσιν."

1) Si quadam Aristotelis dicendi ratione uti volumus in primis clara, illam sententiam ita exprimere possumus ut dicamus: "*ἡ γένεσίς ἐστι μὲν πύκνωσις καὶ μάνωσις, ἀλλ' οὐχ ὅπερ πύκνωσις καὶ μάνωσις· κατὰ συμβεβηκὸς γάρ ἐστιν*".

2) Simplic. Phys. 6, a. Ipsum locum inferius adscribemus.

ipsius cuiusque mundi partes deinceps resolvantur in principium ex eoque novis secretionibus suppleantur.

Primum igitur Anaximandrum infinitam mundorum seriem deinceps orientium occidentiumque statuere, ab ipsis veteribus aperte narratur. Etenim, ut testimonia adferam omnino evidentia, Cicero eum innumerabiles mundos ponere dicit longis intervallis orientes occidentesque[1]; Plutarchus autem accuratius etiam eum dicit innumerabiles ponere mundos deinceps orientes rursusque occidentes atque eo quidem occidentes, quod omnes ab aevo infinito ad initium (id est, in principium) revertantur[2]. Atque Hippolytus etiam, qui sententiam videtur e Theophrasto vel ex auctoribus illum sequentibus accepisse, eum refert ipsam temporis notionem in eo posuisse, quod rerum ortus et duratio et interitus certis terminis definita essent[3]. Alia testimonia in adnotatione adscribentur[4].

Verum etiam ipsius cuiusque mundi partes statuit deinceps in principium interire ex hocque continenter novis

---

1) Cic. Nat. D. I, 10: „Anaximandri autem opinio est, nativos esse deos, longis intervallis orientes occidentesque, eosque innumerabiles esse mundos.“

2) Plut. Strom. apud Euseb. Praep. Ev. I, 8, 2: „*ἀπεφήνατο δὲ τὴν φθορὰν γίνεσθαι, καὶ πολὺ πρότερον τὴν γένεσιν [τῶν ἀπείρων κόσμων], ἐξ ἀπείρου αἰῶνος ἀνακυκλουμένων πάντων αὐτῶν*“. ‘*Ἀνακυκλοῦσθαι*’ hoc loco est ‘revolvi ad initium’, id est ‘reverti in principium’; nec vero significat ‘conversione rotunda circumagi’, ut Teichmuellerus opinatur.

3) Vid. supra p. 38 et not. 4.

4) Stob. I, 20, p. 416: „*Ἀναξίμανδρος .. φθαρτὸν τὸν κόσμον*“. Simplic. Phys. 257, 6, p. med.; vide locum supra p. 280, 2. August. Civ. D. VIII, 2: „(rerum principia credidit) innumerabiles mundos gignere et quaecunque in iis oriuntur, eosque mundos modo dissolvi, modo iterum gigni existimavit, quanta quisque sua aetate manere potuerit.“

secretionibus suppleri; id quod sic videtur demonstrari. Simplicius Anaximandrum refert principium idcirco posuisse infinitum, 'ut posset rerum generationibus sufficere'[1]), et Pseudo-Plutarchus, verbis utens paullo diversis, idcirco, 'ne unquam earum, quae nunc essent, rerum generatio (ἡ γένεσις ἡ ὑφισταμένη) deficeret'[2]). Eandem sententiam Aristoteles in Physicis, eo loco, quo, ob quas rationes credatur esse aliquid infinitum, exponit, multo accuratius exprimit, dicens, unam rationem ob quam credatur esse aliquid infinitum, eam esse, quod ita solum rerum generatio et corruptio nunquam defectura sit, si infinitum sit id, unde, quae fiant, avellantur[3]); quo loco Anaximandri opinionem intellegi, ex eius cum illis Simplicii et Pseudo-Plutarchi locis consensione apparet. His igitur tribus locis non agi de ortu et interitu mundorum deinceps sibi succedentium, sed de ortu et interitu rerum, quae in mundo nunc consistenti cernantur, inde cognoscitur, quod Pseudo-Plutarchus ad vocem 'γένεσιν' adponit 'τὴν ὑφισταμένην', e qua adpositione patet, eam intellegi rerum generationem, quae nunc in mundo cernatur. Iam vero si Anaximander putavit, principium idcirco oportere infinitum esse, ne ea, quae nunc in mundo esset, rerum generatio deficeret, sequitur, ut semper aliquas mundi partes in principium resolvi semperque novis ex principio secretionibus suppleri putaverit; id quod ex iis, quae sequenti capite disputabuntur, magis etiam illucescet.

---

1) Simplic. Coel. 237ª 38, Carsten; vid. locum supra p. 23. 1.

2) Plut. Plac. I, 3; vid. locum supra p. 22, 1: 'ἡ γένεσις ἡ ὑφισταμένη' est 'ea, quae nunc est vel quae nunc consistit, rerum generatio'; hocque idem valet atque 'earum, quae nunc sunt, vel quae nunc in mundo cernuntur, rerum generatio'. Eadem sententia iisdem fere verbis legitur apud Stob. I, 10, p. 292 et apud Euseb. Praep. Ev. XIV, 14, 2.

3) Aristot. Phys. III, 4. 203ᵇ 18, coll. 8. 208ª 8. Vide locum supra p. 23, 2.

Sed tamen de hac sententia aliquid videtur mutandum esse. Cum enim Anaximander ipsum mundum putet aliquando interiturum esse, ut cum hac re ea, quae proxime disputavimus, concilientur, statuendum esse videtur, eius sententia partes, quae quoque tempore in principium revertantur, non exaequari iis, quae e principio in eorum locum succedant. Si quis autem obiecerit, de tali quadam eius sententia omnino nihil referri, concedendum tamen erit, eam et facile e similitudine animantium senescentium suscipi potuisse et ad conciliandas duas illas, quas exposuimus, sententias necessariam fere videri.

Num contrariorum secretionem ab omni aeternitate continuam esse (ea sententia, qua ipsa continui notio definitur), an intervallis quibusdam fieri putaverit, per se quidem e locis allatis non patet. Sed ea ipsa res, quod ad efficiendam generationis perpetuitatem principio opus esse dicit infinito, ita tantum videtur plane intellegi posse, si eum ponimus contrariorum secretionem putavisse continuam esse. Praeterea, si eum sumimus contrariorum secretionem voluisse intervallis quibusdam fieri, nullam, opinor, inveniemus caussam, e qua secretionis intermissiones potuerit explicare, nisi forte eum putaverimus statuisse, infinitum principium deliberata voluntate tum rerum semina ex sese emittere, tum retinere; id quod ab eius opinione de generationis caussa ipsi principio insita alienum esse videbimus. A qua autem sententia profectus crediderit, rerum generationem sive contrariorum secretionem ita solum posse sempiternam ac continuam esse, si principium esset infinitum, e sequenti capite intellegetur. Iam vero patet, Anaximandri doctrinam, si, quae disputavimus, vera sunt, simillimam esse doctrinae Heracliti, quem in aliis etiam vidimus ad illum proxime accedere.

8. Ex iisdem locis, quibus proxime usi sumus, alia etiam sequitur Anaximandri sententia in primis memorabilis, de qua nos iam dicturos esse in disputationis ante-

cedentis fine promisimus. Etenim si Anaximander putat, rerum ortum et interitum ea tantum condicione nunquam defecturum esse, si infinitum sit id, unde, quae fiant, avellantur, huius opinionis non alia potest caussa esse nisi quod putavit, si quae res interirent, naturam his rebus subiectam nunquam in formas relictas redire, sed totam aut statim aut per medias aliquas rerum formas in ipsum principium reverti, eamque ob caussam, si semper eaedem rerum formae renascerentur, id eo tantum fieri posse, quod ex ipso principio semper novae partes secernerentur in earumque partium, quae quoque tempore interirent, locum succederent. Hanc autem revera Anaximandri sententiam esse, et a Simplicio apertis verbis dicitur et e duobus Aristotelis locis facili ratiocinatione concluditur.

Itaque Simplicius aliquo loco duas ait de continua ortus et interitus vicissitudine opiniones esse, alteram eorum, qui unum solum rerum principium idque quidem infinitum ponant ex hocque omnia *κατ' εὐθεῖαν*, id est, recta via generari putent, alteram eorum, qui principia velint finita esse ex hisque omnia statuant eo oriri, quod *κύκλῳ*, id est, orbis modo in sese remeantis, alterius rei interitus per se ipso alterius ortus sit; atque ita opiniones distinguens Anaximandrum in priorum numero ponit[1]). Cum igitur Simplicius hoc loco dicat, Anaximandri sententia rerum generationem non *κύκλῳ* sed *κατ' εὐ-*

---

1) Simplic. Coel. 91 b 41, Carsten: *καὶ μέντοι . . οἱ μὲν ἀναιροῦσι τὴν γένεσιν . . . ., οἱ δὲ ἐξ ἑνὸς πάντα γίνεσθαι λέγουσι κατ' εὐθεῖαν, ὥς Ἀναξίμανδρος καὶ Ἀναξιμένης, οἱ δὲ καὶ γένεσιν λέγουσι καὶ ἐξ ἀλλήλων τὴν γένεσιν ποιοῦσι, τὴν ἄλλου φθορὰν ἄλλου γένεσιν ὁρῶντες, ὡς οἱ πεπερασμένας τὰς ἀρχὰς λέγοντες.*“ Apertissime a Philopono, Comment. in Gen. et Corr. 55, a, p. inf., ‘*ἡ γένεσις κατ' εὐθεῖαν*’ vel ‘*ἐπ' εὐθείας*’ et ‘*ἡ γένεσις κύκλῳ*’ inter se opponuntur.

ϑεῖαν fieri, id est, non orbis modo in se remeantis alterum ex altero, sed omnia recta via ex ipso principio generari, cumque eum viderimus alio loco dicere, Anaximandri sententiam rerum generationem nunquam deficere [1]), sequitur, ut Anaximandrum putet statuere, omnes res e principio generatas recta via, aut statim aut per aliquas formas medias, in principium interire, et pro hisce semper alias partes e principio in mundum secerni, quae in illarum locum succedant.

Res absolvitur duobus Aristotelis locis, quorum alter in tertio Physicorum, alter in priore de Gen. et Corr. libro legitur. Priore loco, quo refellit rationes ab ipso antea expositas, ob quas esse credant aliquid actu infinitum, ad eam rationem, quod principium oporteat infinitum esse, ne unquam rerum generatio deficiat, respondet, ad explicandam generationis perpetuitatem non opus esse ponere corpus quoddam sensile actu infinitum (σῶμα αἰσθητὸν ἐνεργείᾳ ἄπειρον); hanc enim effici etiam posse, si ipsum universum ponatur finitum esse, eo, quod alterius rei interitus per se ipse alterius generatio sit [2]). Quo loco Anaximandri respici doctrinam, antea demonstravimus. Quare cum Aristoteles aperte generationem, quae fiat κύκλῳ, ei opponat, quae κατ' εὐθεῖαν fieri dicitur (nam quod non ipsis his vocabulis utitur, nullius momenti est), sequitur, ut hanc posteriorem Anaximandro tribuat.

Altero loco consulto quaerit, qui possit fieri, ut, si semper aliqua rerum pars intereat, non aliquando omnis rerum generatio deficiat (ὑπολείπει), hacque quaestione proposita ostendit, si res, quae intereant, omnino e rerum natura evanescant, rerum generationem necessario aliquando defecturam esse. Id enim per se patere, si id, e quo res

---

1) Vid. supra p. 317 et 23 not. 1.

2) Phys. III. 8. 208ª 8 coll. 4. 203ᵇ 18. Vid. supra p. 23 not. 2.

generentur, finitum sit; verum idem iis quoque accidere, qui principium statuant infinitum esse, propterea, quod omnino non possit esse aliquid actu infinitum. Ergo ita tantum ortus et interitus vicissitudinem posse aeternam esse, si, quae intereant, non omnino desinant esse, sed alterius interitus per se ipse alterius generatio sit[1]). Iam hoc quoque loco Aristotelem, cum loquitur de ea opinione, qua sempiterna ortus et interitus vicissitudo ex infinitate principii explicetur, in primis Anaximandrum intellegere, inde concludendum est, quod locus non sententia solum sed partim etiam verbis (velut 'ἡ γένεσις οὐχ ὑπολείπει') cum illo priore omnino consentit. Quare cum hoc quoque loco aperte generationem, quae κύκλῳ fiat, generationi, quae fiat κατ' εὐθεῖαν, opponat (etsi enim ne hic quidem his vocabulis utitur, tamen intellegit id, quod iis significatur[2]), concludendum rursus est, eum hanc posteriorem tribuere Anaximandro.

Sed apud Aristotelem etiam huius Anaximandri sententiae exemplum reperitur. Nam quodam Meteorologicorum loco[3]) aliquos refert putare, eo, quod natura humida partim abiisset in aerem, totum coeli ambitum auctum esse, contraque hanc sententiam dicit, quae aquae partes sursum ferantur et in aerem vertantur, eas omnes, secus atque illi putent, certo quodam intervallo rursus in aquam converti et in terram deferri. Sententiam hoc modo improbatam Anaximandri esse, ipsius Theophrasti auctoritate vidimus constare. Itaque ex hoc loco intellegitur, Anaximandri sententia eas naturae humidae partes, quae in aerem versae sint, ex hocce non rursus in naturam humidam converti; id autem exemplum est eius rei, quod Anaximandri

1) Aristot. Gen. Corr. I, 3. 318 a 13—25. Locus longior est, quam ut huc possit transscribi.

2) Aristoteles primum dicit 'γένεσιν κύκλῳ' et 'γένεσιν εἰς εὐθύ' Gen. Corr. II, 10. 337 a 1 sq. et 11. 338 a 5 sq.

3) Aristot. Meteor. II, 2. 355 a 21. Vid. supra p. 248, not. 1 et p. 313.

sententia diximus omnino nullam rem, si in alius rei formam transiisset, in formam relictam redire, sed recta via in principium reverti.

9. Cum Anaximandri sententia nulla res, postquam in aliam formam transiit, in formam relictam redeat, sed recta via in principium revertatur, consequens est, ut duae illae naturae contrariae, quas solas ex ipso principio vidimus secerni, natura frigida atque humida et natura calida atque ignea, aut ipsae per se aut per aliquas rerum formas medias in principium resolvantur. Est vero Anaximandri sententia haecce, *naturam igneam per se ipsam, naturam humidam per aliquas formas medias in principium reverti, harumque formarum certum quendam ordinem esse a prima ad ultimam progredientem.* Quae quamquam non aperte traduntur, tamen ex iis, quae tradita sunt, satis certe colliguntur.

Proficiscimur inde, quod, ut supra ostendimus, ex ipso principio duae solum contrariae naturae, natura frigida atque humida et natura calida atque ignea, secernuntur, simulque locis ita seiunguntur, ut natura humida medium locum occupet, natura ignea illam sphaerae modo undique cingat. Harum naturarum concursu gignuntur omnia, quae praeter ipsas in mundo sunt; natura humida est id, e *quo*, natura ignea id, *quo efficiente* ex illa omnia gignuntur. Namque Anaximandri doctrina naturam humidam in ipso mundo *materiae* locum habere, sive eam esse rem, e qua omnes res praeter ipsum ignem (est autem is ille, qui orbibus quibusdam aereis inclusus stellas conficit) constarent, antea cum ex universa Anaximandri doctrina tum e nonnullis veterum testimoniis ostendimus[1]. Quodsi autem natura humida est id, e quo omnes mundi res gignuntur, sequitur, ut ignis non possit nisi caussae efficientis vim

---

1) Aristot. de Melisso cet. 2 975 b 21; Herm. Irris. Gent. c. 4. Vid. supra p. 254 et not. 1 et 2.

habere; atque haec sola ei tribuitur ab Aristotele, id quod e locis mox laudandis apparebit.

Iam si quaerimus, quo ordine e natura humida reliquae res oriantur, responsio petenda est e duobus Aristotelis Meteorologicorum locis, quibus iam saepius usi sumus. Priore loco Aristoteles ait, Anaximandri sententia (namque hunc in primis intellegendum esse, Theophrasti testimonio ostendimus) naturam humidam, quae initio totam circa terram regionem occupaverit, a sole exsiccatam esse hacque re aliquam eius partem evaporavisse et in aerem transiise, reliquam autem partem mare esse[1]); — qua appellatione fortasse, ut apud Heraclitum, aqua in universum intellegi potest. De terrae origine hoc quidem loco Aristoteles non loquitur; loco autem haud multo post sequenti eiusdem sententiam ita refert, ut ea dicat initio et regionem circa terram et ipsam terram fuisse humidam[2]); et hac re aperte simul dicit, hac sententia terram e natura humida ortam esse. Sine dubio autem eam putat hac sententia e natura humida ortam esse per medium mare sive in universum per mediam aquam; id enim videtur colligendum esse e loco illo priore. Nam postquam illo loco dixit, Anaximandri sententia propter solis exsiccationem aliquam naturae humidae partem in aerem evaporasse, reliquam autem partem mare esse, addit, eadem sententia ipsum mare exsiccatione minui et postremo totum futurum esse siccum[3]). Iam priore loci parte naturae hu-

---

1) Aristot. Meteor. II 1. 335b 6: „εἶναι γὰρ τὸ πρῶτον ὑγρὸν ἅπαντα τὸν περὶ τὴν γῆν τόπον, ὑπὸ δὲ τοῦ ἡλίου ξηραινόμενον τὸ μὲν διατμίσαν πνεύματα . . . ποιεῖν, τὸ δὲ λειφθὲν θάλατταν εἶναι“.

2) Ibid. 355a 21: „— φάσκουσι τὸ πρῶτον ὑγρᾶς οὔσης καὶ τῆς γῆς καὶ τοῦ κόσμου τοῦ περὶ τὴν γῆν κτλ.“

3) Ibid. 1. 353b 9: „διὸ καὶ ἐλάττω γίνεσθαι ξηραινομένην οἴονται, καὶ τέλος ἔσεσθαί ποτε πᾶσαν ξηράν“.

midae exsiccatio aperte dicitur causs a, qua efficiatur, ut haec natura altera parte evaporet in aerem, altera parte concrescat in mare; quare eo etiam, quod mare continua exsiccatione minui dicitur, putandum est intellegi, mare exsiccatione semper partim evaporare in aerem, partim magis etiam concrescere. Cum autem naturae humidae exsiccatione altera eius pars vertatur in mare sive aquam, consentaneum est, maris sive aquae exsiccatione alteram eius partem in terram verti. Quod si ita se habet, statuendum erit, Anaximandri sententia terram statim ab initio e natura humida per medium mare vel in universum per mediam aquam oriri[1]). Simul autem inde, quod aliquando futurum esse putat, ut mare totum sit exsiccatnm, sequitur, ut futurum esse putet aliquod tempus, quo natura humida tota altera parte in aerem, altera parte in terram versa sit; a qua re videtur ipsum mundi interitum repetere. Cum explicata de mundi origine sententia fortasse cohaeret, quod Anaximander traditur statuisse, prima animalia orta esse in humore et progrediente demum aetate in loca sicciora concessisse; quamquam id non necessarium est[2]).

1) Alexander quidem in comment. in priorem Meteorologicorum locum, (p. 91 a) e Theophrasto de maris ortu haec refert: „*τὸ δέ τι αὐτῆς (τῆς ὑγρότητος) ὑπολειφθὲν ἐν τοῖς κοίλοις τόποις θάλατταν εἶναι*“; quae ita dicta sunt, quasi terra iam fuerit, cum oriretur mare. Sed haec, ut cum Aristotelis narratione consentiant, ita videntur intellegenda esse et facile ita intellegi possunt, ut brevitatis caussa prima maris origo et posterior maris condicio in unum coniuncta sint. Quod si ponimus, haec erit verborum illorum sententia: simul cum maris e natura humida ortu ex hoc terram etiam ortam esse tumque illud in huius locis cavis subsedisse. Saepius autem in veterum narrationibus accidit, ut, quod in philosophorum doctrina ad diversos rerum orientium status deinceps succedentes pertineat, in unam confundatur; quae res saepe plurimum obest, ne ipsa doctrina recte intellegatur.

2) Plut. Plac. V 19. Cf. Plut. Symp. VIII 8. 4. Eiusdem sen-

Iam igitur, si haec vere disputavimus, Anaximandri sententia duos apparet esse ordines, quibus rerum generatio eveniat; alter est hicce: natura humida, aer; alter hicce: natura humida, mare sive aqua, terra.

Quod ad naturae humidae in principium reversionem attinet, ea Anaximandri sententia non fieri potest nisi per aerem. Etenim primum eius sententia natura humida nec ipsa nec per aliam naturam ex ipsa ortam verti potest in naturam igneam, nisi forte ita, ut antea redeat in principium inter has naturas medium[1]), propterea, quod hae naturae inter se contrariae sunt. Namque eum hanc ipsam ob caussam vidimus putavisse, rerum principium non posse

---

tentiae vestigium credi possit his Hippolyti, Refutt. I 6, verbis contineri: „*τὸ δὲ σχῆμα αὐτῆς (τῆς γῆς) ὑγρόν, στογγύλον κτλ.*" Pro '*ὑγρόν*', quod libri habent, in editione Gotting. suadente Roepero scribitur '*γυρόν*', quae mutatio et facilis est et ad Anaximandri de terrae forma opinionem accomodata. Sed tamen non potest non mirum videri, cur in hac brevi descriptione rotunda terrae forma duobus significetur vocabulis, quae, hoc praesertim loco, significatione videantur omnino non differre. Quare credere possis '*ὑγρὸν*' retinendum et ita explicandum esse, ut Hippolytus, quod non nisi ad primum terrae statum pertineret, aut inscientia aut neglegentia aut brevitatis caussa hoc loco inseruerit. Facile autem concedo, huic etiam explicationi plura obesse; primum, quod '*τὸ σχῆμα*' proprie non potest dici '*ὑγρόν*', quamquam haec verborum inconvenientia non nimis videtur premenda esse; deinde quod continuo post terra similis esse dicitur '*κίονι λίθῳ*' (de qua re alio loco plura dicentur), humiditatis autem qualitas ita videtur cum lapidis natura pugnare, ut haec repugnantia vix potuerit non animadverti.

1) Eodem modo Aristoteles condendit, rem, quae sua qualitati alii rei prosus contraria sit, in hanc non posse transire nisi ita, ut antea revertatur in materiam primam. Vid. Metaph. VIII 5. 1044 b 29 sq. Quamquam id etiam in Anaximandro maximo opere dubium est; quippe qui videatur putavisse, in perpetuo rerum ortu interituque non bis easdem sed semper alias infiniti partes in mundum secerni.

unum aliquod elementorum esse, quod elementa inter se contraria esssnt, contrarium autem non posset transire in contrarium. Deinde, cum rerum generatio recta via propediatur ergoque nulla res in formam relictam redeat, sequitur, ut naturam humidam, quatenus versa sit in aerem, per hunc etiam oporteat in principium reverti. Tum, cum paullo ante viderimus, Anaximandri sententia mare etiam vel in universum aquam continua exsiccatione altera parte in aerem, altera in terram abire, quatenus in aerem abiit, per hunc sine dubio etiam in principium revertitur. Hinc autem inductione videtur concludendum esse, terram quoque per aerem in principium redire; idque confirmatur etiam eo, quod paullo post de mundi interitu dicemus. Itaque in universum *omnes res putandae sunt per aerem in principium reverti*; hocque omnino consentit cum ea re, quod naturali quadam hominum opinione ipse rerum interitus creditur fere quaedam earum in aerem dissolutio esse [1]). Cum autem terram oporteat, si per aerem revertitur in principium, antea in ipsum aerem transire, id, quoniam Anaximandri sententia nulla res in formam relictam redit, non nisi ita fieri potest, ut terra ipsa sine ulla natura media in aerem vertatur. Idem efficitur eo, quod Anaximandrum vidimus putare, aliquando futurum esse tempus, quo natura humida tota in aerem et terram abiisset, et ab hac ipsa re videri mundi interitum repetere; nam si terra non ipsa, sed per aquam et naturam humidam in aerem verteretur, proprie semper eadem mundi condicio servaretur. Ipsam autem terrae in aerem conversionem putavisse videtur *evaporatione* quadem fieri solis ardore

---

1) Cf. Aristot. Gen. Corr. I, 3. 318 b sq., in primis v. 29, ubi haec leguntur: „*πνεῦμα γὰρ καὶ ἀὴρ κατὰ μὲν τὴν αἴσθησιν ἧττόν ἐστιν· διὸ καὶ τὰ φθειρόμενα ἁπλῶς τῇ εἰς ταῦτα μεταβολῇ φθείρεσθαι λέγουσιν*“. Nihil impedit, quominus Aristoteles in iis, qui id dicant, prae ceteris Anaximandrum intellexerit.

effecta. Nam si priorem illum Aristotelis locum respicimus, quo ea naturae humidae pars, quae evaporaverit (τὸ διατμίσαν), in aerem transiise eodemque modo semper aliqua maris pars in aerem verti dicitur, cum hacque re coniungimus, quod apud Alexandrum Theophrostus quoque illas conversiones ἀτμίδας καὶ ἀναθυμιάσεις appellat, Anaximander existimandus erit evaporationem (τὸ διατμίζειν) putavisse dissolutionis formam omnibus rebus communem ipsamque eius notionem in eo posuisse, quod esset in aerem dissolutio.

Iam haec si coniungimus cum iis, quae antea de generationis ordinibus diximus, apparet, triplicem esse ordinem rerum, per quas natura humida in principium revertatur. Revertitur enim aut per unum aerem, aut per aquam et aerem, aut per aquam et terram et aerem.

Quod attinet ad naturam igneam, haec in nullam naturam, quae quidem orta sit e natura humida, potest transire, propterea, quod huic naturae prorsus contraria est. Ergo hanc oportet ipsam sine ulla natura media in principium reverti.

10. Sed Anaximander non solum innumerabiles mundos statuit intervallis quibusdam deinceps orientes occidentesque, verum etiam innumerabiles mundos in infinito principio simul constantes aequisque intervallis inter se distantes. Res et satis certe colligitur ex aliquo loco Aristotelis et a plurimis veterum scriptoribus aperte narratur.

Primum Aristoteles eo loco, quo consulto veterum de infinito sententias exponit et caussas etiam enumerat, ob quas credant esse aliquid infinitum, in his caussis unam adfert, quae longe gravissima sit et omnibus communis, his fere verbis, ‘quia cogitatio omnes, quos forte posuerit, spatii fines transgrediatur, extra mundum credi infinitum esse spatium, et, si infinitum sit spatium, extra mundum

infinitam etiam naturam corpoream esse oportere et infinitam mundorum multitudinem'[1]). In iis autem, qui extra mundum infinitam esse credant mundorum multitudinem, ab Aristotele prae ceteris Anaximandrum etiam intellegi, cum inde colligendum est, quod illam caussam omnibus dicit communem esse, tum inde, quod in tota hac disputatione omnium maxime Anaximandrum respicit, quippe qui primus infinitatis notionem in philosophiam introduxerit, et hunc etiam unum nominatim memorat.

Deinde idem ab omnibus veterum scriptoribus, qui quidem omnino aliquid de Anaximandri infinita mundorum multitudine memoriae prodiderunt, aperte refertur; quos quidem scriptores trifariam divido. Etenim plerique eorum illam ipsam rem simpliciter narrant, atque verbis quidem tam planis, ut de eorum sententia omnino non possit dubitari, velut Stobaeus, Plutarchus in Stromatis, Simplicius, Augustinus[2]), quorum locos in adnotatione subiecimus. Alii,

---

1) Aristot. Phys. III, 4. 203b 22: „*μάλιστα δὲ καὶ κυριώτατον, ὃ τὴν κοινὴν ποιεῖ ἀπορίαν πᾶσιν· διὰ γὰρ τὸ ἐν νοήσει μὴ ὑπολείπειν καὶ ὁ ἀριθμὸς δοκεῖ ἄπειρος εἶναι . . . καὶ τὸ ἔξω τοῦ οὐρανοῦ· ἀπείρου δὲ ὄντος τοῦ ἔξω, καὶ σῶμα ἄπειρον εἶναι δοκεῖ καὶ κόσμοι*".

2) Stobaeus, Ecl. I, 22. p. 496 ait: „*Ἀναξίμανδρος . . . ἀπείρους κόσμους ἐν τῷ ἀπείρῳ κατὰ πᾶσαν περιαγωγήν. τῶν δὴ ἀπείρους ἀποφηναμένων τοὺς κόσμους Ἀναξίμανδρος τὸ ἴσον αὐτοὺς ἀπέχειν ἀλλήλων, Ἐπίκουρος, ἄνισον εἶναι τὸ μεταξὺ τῶν κόσμων διάστημα.*" Cum priore huius loci parte innumerabiles mundi esse dicantur in infinito '*κατὰ πᾶσαν περιαγωγήν*', id est, ut nos dicere solemnus, in omnes dimensiones, per se patet mundos intellegi simul in infinito constantes; idque eo omnino confirmatur, quod altera loci parte hi mundi dicuntur in infinito paribus intervallis inter se distare, id quod non nisi ad mundos simul in spatio constantes pertinere potest.

Deinde e Plutarchi Stromatis ab Eusebio Praep. Ev. I, 8, 2 haec referantur: „*Ἀναξίμανδρον . . τὸ ἄπειρον φάναι, . . . ἐξ οὗ δή φησι τούς τε οὐρανοὺς ἀποκεκρίσθαι καὶ τοὺς ἅπαντας ἀπείρους*

qui Anaximandrum referunt infinitam mundorum multitudinem deinceps orientium occidentiumque ponere, ita

---

ὄντας κόσμους." Quo loco primum 'οἱ οὐρανοὶ' et 'οἱ ἅπαντες κόσμοι' ita distinguuntur, ut 'ὁ οὐρανὸς' significet coelum, 'ὁ πᾶς κόσμος' autem ipsum totum mundum, cuius ὁ οὐρανὸς pars sit; atque inde apparet, Plutarchum non innumerabilia unius cuiusdam mundi corpora, verum innumerabiles intellegere mundos. Deinde cum hos mundos ex infinito dicat 'ἀποκεκρίσθαι', id est, secretos esse, nec vero deinceps secerni vel secretum iri, ipso perfecti temporis usu significat, se mundos intellegere iam simul constantes. Haec temporis perfecti significatio respicitur etiam a Zellero, Gesch. I, 199, 3.

Tum Simplicius Phys. 257, 6, p. m. (in Aristot. Phys. VIII, 1. 250 b 18: „ὅσοι μὲν ἀπείρους τε κόσμους εἶναί φασι καὶ τοὺς μὲν γίνεσθαι τοὺς δὲ φθείρεσθαι τῶν κόσμων, ἀεί φασιν εἶναι κίνησιν") haec habet: „οἱ μὲν γὰρ ἀπείρους τῷ πλήθει τοὺς κόσμους ὑποθέμενοι, ὡς οἱ περὶ Ἀναξίμανδρον καὶ Λεύκιππον καὶ Δημόκριτον, καὶ ὕστερον οἱ περὶ Ἐπίκουρον, γινομένους αὐτοὺς καὶ φθειρομένους ὑπέθεντο ἐπ' ἄπειρον, ἄλλων μὲν ἀεὶ γινομένων, ἄλλων δὲ φθειρομένων, καὶ τὴν κίνησιν ἀΐδιον ἔλεγον'. Quo loco 'ἀπείρους κόσμους' intellegi mundos simul constantes, inde apparet, quod numero plurali dicitur 'ἄλλων μὲν γινομένων ἄλλων δὲ φθειρομένων'; nam si unum tantum quoque tempore mundum esse putavisset, dicendum ei fuisset 'ἄλλου μὲν — ἄλλου δέ'. Eadem autem ratione simul patet, Aristotelem etiam eo loco, qui his Simplicii verbis explicatur, plures mundos intellexisse simul constantes; atque cum illo loco de Anaximandro quoque cogitavisse, Simplicii explicatione probabile fit.

Sequuntur duo alii Simplicii loci, qui leguntur in comment. in Aristot. Coel. 91 b 30 et 273 b 38 Carsten. Priore loco ait: „οἱ μὲν ἕνα κόσμον . . . ἔλεγον, ὅσοι μὴ ἐδέχοντο τὸ ἄπειρον ἐν ἀρχῇ . . . οἱ δὲ καὶ πλήθει ἀπείρους κόσμους, ὡς Ἀναξίμανδρος μὲν ἄπειρον τῷ μεγέθει τὴν ἀρχὴν θέμενος ἀπείρους ἐξ αὐτοῦ τῷ πλήθει κόσμους ποιεῖν δοκεῖ." Altero loco ait: „Ἀναξίμανδρος . . . ἄπειρον πρῶτος ὑπέθετο, ἵνα ἔχῃ χρῆσθαι πρὸς τὰς γενέσεις ἀφθόνως. καὶ κόσμους ἀπείρους οὗτος, καὶ ἕκαστον τῶν κόσμων ἐξ ἀπείρου τοῦ τοιούτου στοιχείου ὑπέθετο, ὡς δοκεῖ." In hisce duobus locis, ceteroquin satis apertis, mirum videri potest,

loquuntur, ut pateat, eos hanc infinitam mondorum multitudinem non unam tantum infinitam mundorum se-

---

quod in utriusque fine additum est verbum '*δοκεῖ*'. Hoc enim verbo qui utitur, significat, se eam sententiam, ad quam adponit, non certo scire sed propter rationes quasdam concludere. Iam vero Simplicius loco antea laudato simplicitur contendit Anaximandrum infinitam mundorum multitudinem ponere simul constantium. Cum hac igitur re parum consentit, si his locis illud ipsum dicit sibi videri. Sed dissensio tollitur, si accuratius quaerimus, ad quamnam sententiarum partem illud *δοκεῖ* pertineat.

Priore igitur loco verbum *δοκεῖ* non eo pertinet, quod Anaximander '*ἀπείρους κόσμους*' ponere, verum eo, quod '*ἄπειρον τῷ μεγέθει τὴν ἀρχὴν θέμενος*' ponere dicitur, quodque Simplicius dicit sibi videri, non est, Anaximandrum innumerabiles mundos ponere — id enim, ut antea vidimus, plane cognitum habebat — sed eum id facere propter infinitatem principii. Hanc autem revera Simplicii sententiam esse, apparet etiam e verbis statim sequentibus, quibus pariter caussam adfert, ob quam Leucippus et Democritus putent innumerabiles mundos esse, in hunc modum: *Λεύκιππος δὲ καὶ Δημόκριτος ἀπείρους τῷ πλήθει κόσμους ἐν ἀπείρῳ τῷ κένῳ καὶ ἐξ ἀπείρων τῷ πλήθει ἀτόμων συνίστασθαί φασιν.*"

Altero loco *ὡς δοκεῖ* non ad totam enuntiationem '*καὶ κόσμους κτλ.*', sed solum ad hanc posteriorem eius partem '*καὶ ἕκαστον τῶν κόσμων ἐξ ἀπείρου τοῦ τοιούτου στοιχείου ὑπέθετο*' referendum est. Quod ut intellegatur, quaerendum est, horum verborum quae sententia sit; id enim non primo adspectu patet. Cum adiectivum '*ἀπείρου*' sine articulo praeponatur substantivo cum articulo iuncto '*τοῦ τοιούτου στοιχείου*', illo adiectivo huic substantivo adponitur nota, quae ipsa huius notione non contineatur, estque verborum eadem significatio atque si scriptum sit '*ἐξ ἀπείρου ὄντος τοῦ τοιούτου στοιχείου*'. Sequitur, ut *τὸ τοιοῦτον στοιχεῖον* non intellegi possit ipsum summum principium, quippe quod ipsa sua notione infinitum sit; quin etiam absurdum esset separatim addere, unumquemque mundum ex infinito omnium rerum principio esse. Itaque *τὸ τοιοῦτον στοιχεῖον* intellegi necesse est id principium, quod singillatim uni alicui mundo subiectum sit, intellegi igitur singulas summi principii partes,

riem, in qua mundus mundo succedat, sed innumerabiles tales series intellegere[1]). Alii denique, qui

---

quarum quaeque singillatim unius alicuius innumerabilium mundorum principium sit. Atque haec sententia facile etiam in verbis invenitur, si statuimus, genetivum 'τοιούτου' pendere a substantivo 'στοιχείου', referri autem ad praecedens 'ἕκαστον κόσμον', quamquam lege malim 'τούτου' vel potius 'τοιουδί'. Ergo Simplicius dicit, Anaximandrum non solum ipsum summum principium infinitum ponere ex eoque infinitam mundorum multitudinem generare, verum etiam unamquamque earum eius partium, quarum quaeque uni alicui illorum mundorum subiecta sit, velle infinitam esse. Addens autem 'ὡς δοκεῖ' fatetur, se hanc rem non certis testimoniis cognitam habere sed ob quasdam rationes concludere. Conclusisse autem videtur inde, quod Anaximandri sententia generatio et corruptio recta via progrederetur hancque ob caussam, ne ipse unusquisque mundus brevissimo tempore rursus interiret, pro partibus deinceps intereuntibus novae semper partes ex ipso principio secernendae essent; huic enim continuae novarum partium secretioni ut uniuscuiusque principium posset sufficere, ipsum quoque debere infinitum esse. Num recte concluserit, id est, num ipse Anaximander ita senserit, diiudicare non ausim. Inde enim, quod per se absonum est, in principio infinite extenso innumerabiles ponere partes pariter infinitas, non iam sequitur, ut Anaximander non talem quandam sententiam habuerit. Certe enim non magis absonum est, quam quod Anaxagoras alia ratione 'ἀπειράκις ἄπειρα μεγέθη' ponit.

Denique addi potest locus Augustini in Civ. D. VIII, 2, qui sic legitur: „Anaximander . . . rerum principia singularum esse credidit infinita et innumerabiles mundos gignere . . ., eosque mundos modo dissolvi, modo iterum gigni existimavit." Quo loco inde, quod primum innumerabiles mundi e principis gigni, deinde hi iidem modo dissolvi modo iterum gigni dicuntur, apparet, mundos intellegi innumerabiles, qui ante ortus et interitus vicissitudinem iam innumerabiles sint, nec vero hac demum vicissitudine innumerabiles fiant, intellegi igitur mundos simul constantes.

1) Plut. Plac. I, 3: „Ἀναξίμανδρος δὲ . . τὸ ἄπειρον. ἐκ γὰρ τούτου πάντα γίνεσθαι καὶ εἰς τοῦτο πάντα φθείρεσθαι. διὸ καὶ γεννᾶσθαι ἀπείρους κόσμους καὶ πάλιν φθείρεσθαι εἰς τὸ ἐξ οὗ γί-

simpliciter solum innumerabiles Anaximandri mundos memorant, id tali faciunt sententiarum coniunctione, ut non nisi mundi simul constantes intellegi possint[1]).

Mundos illos aequis intervallis inter se distare, apud unum quidem Stobaeum legitur[2]); sed nihilo secius putandum est verum esse. Namque res et nimis singularis est, quam ut videri possit inventa esse, et per se etiam omnino probabilis est, propterea, quod aequalis quaedam et congruens partium dispositio ita convenit cum naturali quadam mentis opinione, ut hoc ipsum caussa idonea sit, cur in rebus ponatur, nisi aliae caussae obstant. Atque hanc ob caussam Anaximander etiam ortum et in-

---

νεται.“ Particula ‘*διὸ*’ sine dubio eo pertinet, quod Anaximander principium posuerit infinitum; nam, ut innumerabiles oriantur mundi, per se non inde sequi potest, quod, quidquid ortum sit, in principium intereat, sed inde solum, quod principium sit infinitum.

1) Simplic. 6, a, p. m.: „(*Ἀναξί. λέγει τὴν ἀρχὴν*) *τινὰ φύσιν ἄπειρον, ἐξ ἧς ἅπαντας γίνεσθαι τοὺς οὐρανοὺς καὶ τοὺς ἐν αὐτοῖς κόσμους*“. Et similiter Hippol. Refutt. I, 6: „*οὗτος ἀρχὴν ἔφη φύσιν τινὰ τοῦ ἀπείρου, ἐξ ἧς γίνεσθαι τοὺς οὐρανοὺς καὶ τοὺς ἐν αὐτοῖς κόσμους.* His locis quoniam mundorum multitudo coniungitur cum ipsa principii infinitate, de ortu autem mundorum et interitu nihil additur, mundi non possunt intellegi nisi simul in infinito constantes; id quod eo gravius est, quod loci sine dubio e Theophrasto fluxerunt. Quod ad verba ‘*οἱ οὐρανοὶ καὶ οἱ ἐν αὐτοῖς κόσμοι*’ attinet, *οὐρανὸς* aperte totum significat mundum (cf. Aristot. Coel. I, 9. 278 b 18), *κόσμοι* autem singula uniuscuiusque mundi corpora coelestia. Similis est hic Irenaei locus, c. haer. II, 14, 2: „Anaximander autem hoc, quod immensum est, omnium initium subiecit, . . . e quo immensos mundos constare ait.“ Denique huc pertinet hic locus Theodoreti, Graec. aff. cur. 4 IV, p. 796 ed. Hal.: *Ἀναξίμανδρος δὲ καὶ πολλοὺς εἶναι (κόσμους) καὶ ἀπείρους ἐδόξασεν.*“ Namque mundos intellegi simul constantes inde patet, quod Theodoretus Anaximandrum componit cum Leucippo, Democrito, Epicuro, opponit autem Platoni et Aristoteli.

2) Vid. supra p. 328, not. 2, init.

teritum mundorum putavisse videtur certis quibusdam et aequalibus intervallis fieri; id quod eo videtur confirmari, quod ab Hippolyto refertur statuisse, rerum ortum et durationem et interitum certis terminis definita esse[1]), et quod ipse dicit omnia in principium resolvi secundum temporis ordinem[2]).

Nec vero haec Anaximandri innumerabilium mundorum opinio ullo modo potest mira videri, sed potius documento esse debet, quanta in eo fuerit vis cogitandi atque constantia. Namque cum principium statueret infinitum, id est, in omnes partes infinite extensum esse, cumque id principium esse vellet substantiam corpoream ubique sui similem, in eo quoquoversus innumerabiles esse oportebat partes, quae plane eodem modo se haberent ad generationem mundi, nullaque reperiri poterat caussa, cur in hac parte potius quam in alia mundus existeret[3]). Atque hoc sentiens videtur innumerabiles mundos statuisse simul constantes.

Zellerus quidem[4]) Anaximandrum negat plures mundos posuisse simul constantes, et veterum de hac re testimonia inde putat profecta esse, quod illi plura eiusdem mundi corpora falso plures diversos mundos intellexerint; atque in priore quidem huius sententiae parte, nec vero in altera, consentientem habet Teichmuellerum[5]). Sed argumenta eius parum idonea sunt. Nam quod dicit incredibile esse, Anaximandrum propter solam principii infinitatem sine ullo sensuum testimonio innumerabiles mundos posuisse simul constantes, eo refellitur, quod multis exemplis ostenditur atque luculentis, quanta iam in eo fuerit

---

1) Vid. supra p. 38 et not. 4, coll. p.
2) Vide supra p. 315.
3) Cf. Aristot. Phys. III, 4. 203b 27.
4) Philos. d. Gr. I, p. 199 sq.
5) Studien zur Gesch. der Begr. p. 31.

vis cogitandi a sensuum perceptionibus libera; ut taceam, mundorum etiam deinceps succedentium opinionem, quam Zellerus Anaximandro tribuit, nullo sensuum testimonio suscipi posse. Quod autem putat, multitudinem mundorum omnino seiunctorum pugnare cum principii unitate, non consentit quidem cum ipsa rationis natura, plures ponere mundos, qui nullo unitatis vinculo coniuncti sint; sed id in Anaximandri doctrinam non cadit. Cum enim eius principium infinite in omnes partes extensum sit, id unum et singillatim unumquemque mundum et simul omnes amplectitur sustinetque. Quod denique putat, Anaximandrum, si de infinita mundorum simul constantium multitudine locutus sit, non nisi infinitam corporum coelestium multitudinem intellexisse, id duplici modo refellitur; primum eo, quod incredibile est, Anaximandrum corpora coelestia, quae in hoc uno mundo essent, dixisse numero infinita; deinde eo, quod pugnat cum allatis veterum testimoniis. Horum enim aliqui, cum Anaximandrum referunt innumerabiles mundos ponere, aperte inter ipsos mundos et ea, quae hisce contineantur, corpora coelestia distinguunt, partim ita, ut '*τοὺς οὐρανοὺς καὶ τοὺς ἐν αὐτοῖς κόσμους*', partim ita, ut '*τοὺς οὐρανοὺς καὶ τοὺς ἅπαντας κόσμους*' dicant[1]), illic *οὐρανὸν* intellegentes universum mundum, *τοὺς ἐν αὐτῷ κόσμους* autem singula mundi corpora coelestia, hic *οὐρανὸν* intellegentes coelum, quatenus mundi pars est, *τὸν ἅπαντα κόσμον* autem ipsum universum mundum[2]); ex hac autem accurata distinctione apparet, illos scriptores de sententia, quam referrent, omnio certos fuisse.

Ergo Anaximander, ut brevibus totam eius de hac re

---

1) Vid. supra p. 328, not. 2 (verba Plutarchi) et p. 331, not. 2 (verba Simplicii et Hippolyti).

2) De hac vocabulorum significatione vid. Aristot. Coel. I, 9. 278 b 9 sq.

doctrinam complectar, dupliciter infinitam mundorum multitudinem ponit, primum eo, quod in infinito principio innumerabiles mundos ponit simul constantes et paribus intervallis inter se distantes, deinde eo, quod omnes hos mundos statuit certis temporis intervallis (*κατὰ τὴν τοῦ χρόνου τάξιν*) iisque quidem longis in principium interire semperque alios in eorum locum succedere.

11. Superest ut quaeratur de caussa moventi, qua ex principio rerum generatio sive contrariorum secretio fiat. Nam etsi contrariorum secretio ab omni aeternitate sempiterna et idcirco necessaria est, tamen fieri potest, ut in ipsa principii natura sit aliquid ab ipsa illa secernendi actione diversum, velut ut in ea aeterna quaedam insit qualitas, quae ab omni aeternitate contrariorum secretionem per hancque innumerabiles mandorum generationes habeat consequentes. Si Anaximander talem quandam qualitatem credidit in principio inesse, haec certe id fuit, a quo omnium maxime eius sententia cum de reliquarum rerum tum de hominum natura ac condicione penderet. Quare operae pretium est videre, quid de hac re ex iis, quae a veteribus tradita sunt, effici possit.

Simplicius eo loco, quo consulto cum reliquorum philosophorum tum Anaximandri de summo principio doctrinam exponit, haec ipsius Anaximandri verba adfert, sine dubio e Theophrasto transscripta, quarum partem priorem antea iam laudavimus[1]). „E quibus res (*τὰ ὄντα*) oriuntur, in

---

1) Simplic. Phys. 6, a, p. m. „*ἐξ ὧν δὲ ἡ γένεσίς ἐστι τοῖς οὖσι, καὶ τὴν φθορὰν εἰς ταῦτα γίνεσθαι κατὰ τὸ χρεών, διδόναι γὰρ αὐτὰ δίκην καὶ τίσιν ἀλλήλοις τῆς ἀδικίας κατὰ τὴν τοῦ χρόνου τάξιν, ποιητικωτέροις οὕτως ὀνόμασιν αὐτὰ λέγων.*“ Vocabulum *ἀλλήλοις*, quod deest in ed. Ald., in omnibus reliquis libris legitur. De verbis ‘*κατὰ τὴν τοῦ χρόνου τάξιν*’ cf. Hippol. Refutt. I, 6: „*λέγει δὲ χρόνον ὡς ὡρισμένης τῆς γενέσεως καὶ τῆς οὐσίας καὶ τῆς φθορᾶς.*“

ea etiam intereunt fatali necessitatis lege; solvunt enim sibi invicem poenam iniuriae secundum temporis ordinem." Cum Theophrastus, quod sciamus, non nisi haec ipsius Theophrasti verba adferat, non sine caussa coniciemus, eum in iis putavisse sententiam inesse in primis notabilem, quae aptissime ipsis Anaximandri verbis enuntiaretur. Nam quod in fine additur, — num ab ipso Theophrasto an a Simplicio, ambiguum est — haec verbis dicta esse poeticis, inde non licet concludere, Anaximandrum ipsum haec verba intellegi voluisse significatione translata, non magis, quam inde, quod Aristoteles illa Platonis, 'res participare ideas et ideas rerum exemplaria esse', translationes poeticas appellat [1]), sequitur, ut illa verba ipsius Platonis sententia non nisi translationes sint. Quod si ita se habet, nostro iure sumimus, illa Anaximandri verba omnino propria sua ac naturali sententia accipienda esse, et ea etiam, quae cum hac sententia necessario coniuncta sint, ad Anaximandri sententiam pertinere.

Primum igitur in ipsis illis verbis haec inest sententia: 'rerum singularum ortum iniuriam esse et principii generantis in res generatas et harum in principium, atque principii quidem in res generatas, quod eas ex sese dimiserit, rerum autem in principium, quod secesserint ex eius unitate seque sui iuris fecerint; huius autem iniuriae et principium et res solvere debere poenam, atque res quidem prin cipio ita, ut suo quaeque tempore in eius unitatem revertantur, principium rebus ita, ut eas in sese recipiat'. Iam vero ad iniuriae notionem et ipsa rei veritate et communi hominum opinione pertinet, ut sit actio, cuius caussa in quadam sive adpetitione sive voluntate posita sit. Ergo, si Anaximandrum ponimus iniuriae vocabulo propria sua significatione usum esse, eum oportet credidisse, caussam, qua movente principium ex sese secerneret contraria eoque

---

1) Aristot. Metaph. I, 9. 991^a 20.

rerum multitudinem generaret, in ipsius aeterna quadam generandi adpetione positam esse. Cum autem iniuria non in principio solum sed etiam in rebus generatis esse dicatur, Anaximander putandus erit in his quoque adpetionem quandam posuisse, eam, opinor, quod eorum quaeque per se ac sui iuris esse studeret[1]).

---

1) Non innutile videtur, cum sententia exposita comparare Empedoclis doctrinam, ad quam concipiendam non veridissimile est Anaximandri doctrinam aliquantum valuisse. Nam Anaximandri et vitam et doctrinam Empedocli notam et non parva apud eum auctoritate fuisse, colligendum est e D. Laertio (VIII, 70), quo teste Diodorus quidam Ephesius, alias ignotus, rettulerat, Empedoclem magnifico habitu tragicorum simili excelluisse in hacque re aemulum fuisse Anaximandri. Ex eadem autem re videtur concludendum esse, Empedoclem simili fere atque illum fuisse sentiendi ac cogitandi ratione. Namque illam exterioris vitae magnificentiam et gravitatem in hisce viris non a vana quadam ostentatione profectam esse, propterea credendum est, quia id omnino pugnaret cum alto eorum ingenio et cum ea sententia, quam de caduca rerum natura habebant, et in Empedocle etiam cum ea re, quod Aristotele teste (Problem. 30. 953 a 26) severa quadam animi tristitia erat, quodque, ut D. Laertius (VIII, 63) refert, principatus honores ipsi oblatos respuit. Maxime autem quaedam habitus magnificentia et vestitus gravitas convenire videtur iis, quorum ingenium quiddam sacerdotis ac vatis simile habeat; idque ad eos pertinet, qui de iis rebus, quae maxime in religionis opinionibus versantur, velut de animorum origine et fatis, sibi videantur veritatem cognovisse abditiorem. Hanc rem in Empedoclem cadere, notum est; num in Anaximandrum quoque cadat, incertum quidem est, sed nec dissentit ab eius doctrina antea proposita et propter Empedoclis similitudinem non sine aliqua certe caussa conici possit. Iam Empedocles singularum rerum ortum inde repetit, quod crescens Discordiae vis in Sphaero divino elementorum discretionem ac fugam, Amicitia autem discretorum coniunctionem et mixtionem effecerit. Haec Empedoclis sententia de singularum rerum origine re non multum differt ab Anaximandri sententia, si hunc sumimus in principio quandam generandi adpetitionem possuisse, qua movente id

Quod ex ipsis Anaximandri verbis conclusimus, nonnihil confirmari videtur eo, quod contrariorum secretionem vidimus a veteribus principii mutationi (ἀλλοιώσει), velut condensationi et rarefactioni, opponi et hac ipsa re veram generationem (γένεσιν) dici. Si contrariorum secretio est vera generatio, Anaximander existimandus est putavisse, ipsam generationis naturam in contrariorum secretione consistere, et eam generationem, qua e principio orirentur mundi, similem esse ei, quae in animalibus cerneretur. Id quod eo videtur probari, quod eum vidimus statuere, circa uniuscuiusque mundi initium ex ipso principio non nisi quoddam mundi semen contrariorum fecundum (τὸ ἐκ τοῦ ἀϊδίου γόνιμον θερμοῦ καὶ ψυχροῦ) secerni atque ex hoc demum ipsa contraria per haecque mundum oriri [1]. Quodsi autem mundorum generationem similem esse putavit ei, quae in animalibus cerneretur, consentaneum est, eum in ipso principio similem etiam generationis caussam, id est, aeternam quandam generandi adpetitionem posuisse. Quae res plane consentit cum eo, quod haec communis fere est apud antiquiores opinio, primam rerum

---

ex sese secerneret contraria. Nam cum hanc contrariorum secretionem putet iniuriam esse, in qua re Empedocles cum eo consentit, facile intellegitur, qui fieri potuerit, ut Empedocles pro generandi adpetitione Discordiae vim poneret huicque alterum generationis principium opponeret Amicitiam. Quare ego quidem non improbabile esse puto, expositam Empedoclis doctrinam aliquo modo ex Anaximandri doctrina nexam esse. Sed tamen, cum praeter illam Diodori Ephesii narrationem nihil de necessitudine inter Empedoclem et Anaximandrum forte intercedenti relatum sit, non licet de huius doctrina ex Empedoclis doctrina concludere; et propterea maxime hanc disputationem in adnotatione addidi, ne quid viderer omisisse.

1) Simile est, quod Damascius (de Princip. p. 384) Pherecydem refert docuisse, „τὸν Κρόνον ποιῆσαι ἐκ τοῦ γόνου ἑαυτοῦ πῦρ καὶ πνεῦμα καὶ ὕδωρ."

generationis caussam esse amorem, qui a generandi adpetitione omnino non differt. Nam ut taceam de theogoniis et cosmogoniis[1]), Pherecydes, qui Anaximandro paullo posterior est eiusque doctrinam videtur cognitam habuisse[2]), rerum originem inde repetit, quod Iupiter sive ipse summus deus se mutaverit in Amorem, id est, eam repetit ab adpetitione generandi in Iovis animo orienti. Atque Brachmanorum etiam sententia prima rerum emanationis caussa posita est in quodam principii desiderio.

Denique omnino procabile est, Anaximandrum in universum in principio peculiarem aliquam generationis caussam posuisse, propterea, quod principium, quatenus sua ipsius natura substantia erat simplex propria sua utens qualitate inter duo contraria media, non facile videri poterat ad contrariorum secretionem se ita habere, ut eam per se ac naturaliter haberet adiunctam. Quodsi autem in universum aliquam generationis caussam in principio posuit, haec quae potuerit esse praeter insitam quandam ipsi generationis adpetitionem, non facile quisquam invenerit. Atque haec de hac re satis sunto!

12. Iam denique in eo sumus, ut totam Anaximandri disciplinam paene oculis possimus subicere. Anaximander igitur unum tantum omnium rerum ponit principium hocque esse statuit substantiam corpoream simplicem, infinite in omnes partes extensam, propria sua eaque sensili qualitate utentem, qua quidem qua-

---

1) Quod theogoniarum scriptores amorem generant, eo explicatur, quod natura rebus subiecta non tempore quidem, at notione tamen prior est quam vis ea, qua res e natura subiecta gignuntur; quam rationem theogoniarum scriptores ita mentibus informant, ut illam tempore priorem, hanc ex illa generari dicant.

2) Sunt quaedam apud Pherecydem Anaximandri doctrinae maxime similia; nec vero ea, quae putat I. Conrad in dissert. de Pherecydis aetate et cosmogonia, p. 26; 33; 35.

litate media sit inter duas naturas contrarias, naturam frigidam eamque humidam atque opacam, et naturam calidam eamque igneam ac lucidam.

Haec substantia infinita, pulsa, opinor, insita quadam generandi adpetitione, ab omni aeternitate innumerabiles ex sese generat mundos, atque quidem et innumerabiles simul in ipsa constantes paribusque intervallis inter se distantes, et innumerabiles infinito aevo certis temporis intervallis deinceps orientes occidentesque.

Ipse mundorum generatio in hunc fit modum. Substantia infinita primum innumerabilibus ipsius locis ex sese secernit quaedam mundorum semina, ex ipsa quasi turgentia (*γόνιμα*) duabus naturis contrariis, natura humida ac frigida et natura ignea ac calida. Quae quidem semina verisimile est ab Anaximandro similia putari ovorum, atque duplicem quidem ob caussam, primum, ut antea iam monuimus[1]), propterea, quod, quae ex iis oriuntur, statim ab initio figuram habent globosam et, pariter atque ova in luteum et album, in partem interiorem et exteriorem divisa sunt, deinde propterea, quod Anaximandrum ostendimus mundorum generationem videri similem putare ei, quae in animalibus cerneretur, haec autem omnino ab ovorum generatione videtur incipere. Quam ob caussam sine dubio Orphici quoque e principiis primo ovum et ex ovo demum mundum generant. Ipsum autem Anaximandrum omnem generationem putare ab ovorum generatione incipere, eo quodammodo videtur confirmari, quod prima animalia statuit in humore orta esse corticibus inclusa spinosis[2]); hi enim cortices videntur vice fungi ovorum. Illa igitur mundorum semina, vel, ut apertius dicam, inclusae illis seminibus infinitae substantiae partes, in naturas illas contrarias se dirimunt, ita,

---

1) Vid. supra p. 246.

2) Plut. Plac. V, 19.

ut natura humida medium locum occupet, natura ignea illam sphaerae modo undique cingat. Quarum naturarum efficientia iam ipsi mundi omnesque, quae in iis sunt, res singulares oriuntur; natura humida est id, e quo omnia, natura ignea id, quo efficiente ex illa omnia gignuntur.

Iam principium infinitum innumerabiles illos mundos ex ipso ortos in eoque paribus intervallis distantes ita continet, ut et singillatim unumquemque eorum et simul omnes ab omnibus partibus amplectatur (*περιέχει ἅπαντα*). Amplectens autem eos et partes eorum deinceps intereuntes in sese recipit et ex sese semper novas partes in eos secernit, hacque re eos perpetuo alit atque conservat, dum statuto tempore peracto totos in sese recipiat aliosque vicissim ex sese generet. Hinc autem patet, infinitum principium duplici intellectu esse *τὸ ὑποκείμενον*[2]), primum eo, quod omnes res ex sua substantia generat et alit, deinde eo, quod mundos amplexu suo quasi fulcit ac sustinet.

Postremo, si, quae disputavimus, in uno conspectu ponimus, apparet, Anaximandri sententia mundorum generationem talem esse, quam recte quandam gemmationem dicere possimus in ipso principio evenientem. In qua re vix opus est addere, me hoc non eo intellectu dicere, quod Anaximander ipse gemmationem ab aliis generationis modis accurata notione distinxerit, sed eo solum, quod mundorum generatio ab eo proposita re ipsa plane conveniat cum ea, quam gemmationem apellare solemus.

Haec de mundorum origine eorumque ad summum principium ratione doctrina omnino singularis est et Anaximandri propria, hanc autem ipsam ob caussam in primis notabilis. Quodsi autem quispiam dixerit, eam, quam de

1) Cf. supra p. 21.

Anaximandri doctrina proposuimus sententiam, a coniectura potius quam a certis historiae testimoniis profectam esse, concedo equidem, eam non totam quidem ipsis veterum testimoniis aperte tradi, simul vero contendo, eam unam cum omnibus veterum testimoniis consentire, ea una haec ipsa testimonia omnino explicari. Id quod veritatis videtur documentum certissimum esse.

IV.

DE HUIUS MUNDI DESCRIPTIONE ET RERUM SINGULARVM ORIGINE.

1. Quamquam Anaximander innumerabiles ponit mundos et simul in infinito principio constantes et deinceps orientes occidentesque, tamen non nisi unius mundi originem et descriptionem persequitur, eius, quem ipsi incolimus, ut qui solus experientia cognitus sit. Num mundos illos innumerabiles inter se aequales an diversos esse putaverit, non traditur, nec in iis, quae tradita sunt, quidquam inest, quo alterum videatur altero verisimilius esse.

Iam quod ad huius mundi originem pertinet, de hac antea iam diximus, eo loco, quo de duabus primis naturis contrariis quaerebamus ex ipso infinito principio ortis[1]). Ibidem ipsa res, de qua agebatur, ita tulit, ut etiam de descriptione mundi aliqua memoranda essent. Quare cum nunc, quod illic aliud agentes tetigimus, separatim tractandum sit, primum ea, quae illic explicavimus, huc transferenda sunt, hisque deinceps ea adiungenda, quae aliis veterum testimoniis de hac re memoriae prodita sunt.

2. Si totam Anaximandri rationem prospicimus, facile apparet, eum re certe tres mundi orientis aetates distinguere, primam eam, qua corpora coelestia, alteram eam, qua interiora mundi corpora, terra mare aer quaeque haec sequuntur meteora, tertiam eam, qua, quae e terra gignuntur, velut animalia et plantae, oriantur.

1) Vid. supra l. II c. 25; p. 244 sq.

Iam de prima mundi origine et formatione Anaximander haec fere docet. Circa huius mundi initium ex infinito principio quoddam mundi semen secernitur, ex ipso principio fecundum duarum naturarum contrariarum, naturae frigidae atque humidae et naturae calidae atque igneae; quod quidem semen nobis visum est ab Anaximandro simile putari ovi. Hoc semen, quod pars est ipsius infiniti principii, se dirimit in naturas illas contrarias, quarum fecundum est; quae quidem diremtio ita fit, ut natura humida medium locum occupet, natura ignea illam sphaerae modo undique cingat. Efficiente sphaera ignea (hanc enim solam ab Anaximandro potuisse caussam putari eius mutationis, de qua iam dicturi sumus, antea certis, opinor, argumentis probavimus [1])) exterior naturae humidae pars vertitur in aerem; is, in amplius se extendens spatium, sphaeram igneam innumeris locis dirumpit et partibus diruptis ita se circumvolvit, ut orbes efficiantur aerii igneos orbes circumcludentes. Qui quidem orbes non omnes in eiusdem globi circuitu, sed alii interiores, alii exteriores sunt; id quod inde patet, quod, ut postea videbimus, Anaximandri sententia stellae diversis intervallis a mundi centro distant [2]). Atque ex hac re sequitur, ut Anaximander aerem putaverit non ubique eodem, verum regionibus quibusdam maiore impetu sphaerae igneae instare eoque huius sphaerae partes in his regionibus positas abrumpere atque longius propellere; qua re postea in alia caussa utemur. Orbium illorum aeriorum unusquisque rotundo utitur foramine nobis adverso, per quod ignis inclusus ad nos effunditur. Haec foramina stellae sunt eae, quae nobis apparent; verae autem stellae sunt ipsi illi orbes ignei aeriis orbibus inclusi, quorum flammae

---

1) Vid. supra p. 247—249, cum not.

2) Cf. Stob. I, 24, p. 510; Plut. Plac. II, 15; Euseb. Praep. Ev. XV, 46; Galen. Hist. Phil. 13.

micantes per illa foramina ad nos emittuntur. Atque haec omnia satis liquent ex iis, quae supra disputavimus[1]).

Haec igitur prima mundi orientis aetas est, quae inde a primo initio usque ad perfectam corporum coelestium formationem pertinet. Si, quae hoc tempore totius mundi species sit, contemplamur, protinus apparet, totum mundum e duabus tantum partibus constare, e corporibus coelestibus sive illis stellarum orbibus, qui in mundi circuitu sunt, et e reliqua natura humida, quae ab illis undique cincta tamquam globus ubique sui similis totum medium mundi spatium replet. Ipsum autem Anaximandrum quoddam statuisse mundi orientis tempus, quo nihil esset praeter stellarum orbes et naturam humidam ab illis undique cinctam, ipsius Aristotelis et Theophrasti testimoniis constat. Nam Aristoteles duobus Meteorologicorum locis, quos antea attulimus[2]), refert, philosophorum quorundam sententia, quorum nomine Anaximandrum etiam intellegi antea Theophrasti testimonio mox iterum laudando ostendimus, initio totam regionem circa terram et ipsam terram humidam fuisse; hanc autem naturam humidam a sole calefactam et exsiccatam partim evaporatione versam esse in aerem (qui motus ventos pariat per hosque solis et lunae conversiones inter solstitia [τὰς τροπὰς] efficiat), reliquam autem eius partem mare esse, quod ipsum quoque continua exsiccatione decrescat et postremo totum siccum futurum sit. Eandem quorundam sententiam Alexandro teste Theophrastus refert, diserte eam dicens Anaximandri et Diogenis esse, et eo etiam Aristotele accuratior est, quod, eorum de maris ortu sententiam referens, addit etiam eius locum, dicens, eam naturae humidae partem, quae in cavis (terrae) locis reliqua sit, mare esse[3]). Quae verba facile patet non ita intellegenda esse,

---

1) Vid. supra p. 244 sq.

2) Vid. supra p. 248 not. 1.

3) Alex. in Meteor. p. 91, a, p. inf.: „οἱ μὲν γὰρ αὐτῶν (τῶν

quasi, cum e nutura humida existeret aer, terra iam fuerit, in cuius locis cavis inde ab initio aliqua naturae humidae pars subsederit. Cum enim Aristoteles aperte dicat, initio et regionem circa terram et ipsam terram humidam fuisse [1]), hac ipsa re contendit, Anaximandri sententia terram pariter atque aerem e natura humida ortam esse. Vix autem poterit dubitari, quin eadem caussa efficiente simul et aer et terra orta sint, ita ut natura humida a sole exsiccata partim in aerem evaporaverit, partim in terram coaluerit. Quare illorum Theophrasti verborum haec putanda est sententia esse, in terrae simul cum aere e natura humida orientis locis cavis aliquam naturae humidae partem subsedisse, hancque mare esse. Itaque ex hisce Aristotelis et Theophrasti locis apparet, Anaximandri sententia, cum stellarum orbes iam exstitissent, omne interius mundi spatium etiam natura humida repletum fuisse, terram autem et aerem postea demum e natura humida orta esse. Iisdem autem locis simul continentur ea, quae ad alteram mundi orientis aetatem pertinent; ad quam nunc transgredimur.

φυσικῶν) ὑπόλειμμα λέγουσι τὴν θάλασσαν τῆς πρώτης ὑγρότητος· ὑγροῦ γὰρ ὄντος τοῦ περὶ τὴν γῆν τόπου τὰ πρῶτα τῆς ὑγρότητος ὑπὸ τοῦ ἡλίου ἐξατμίζεσθαι . . . τὸ δέ τι αὐτῆς ὑπολειφθὲν ἐν τοῖς κοίλοις τόποις θάλατταν εἶναι . . . ταύτης τῆς δόξης ἐγένοντο, ὡς ἱστορεῖ ὁ Θεόφραστος, Ἀναξίμανδρός τε καὶ Διογένης.“

1) Aristoteles posteriore quidem tantum loco ait, Anaximandri sententia initio et ipsam terram et totam regionem circa terram humidam fuisse, priore autem loco dicit solum totam regionem circa terram (*τὸν περὶ γῆν τόπον*), non addens 'et ipsam terram'; atque hoc modo Theophrastus etiam loquitur. Sed '*τὸ περὶ τὴν γῆν*' non uecessario significat id, quod terram circumdat, sed etiam modo infinito significare potest omne, quod in regione terrae est. Quare cum posteriore illo Aristotelis loco eoque quidem accuratiore ipsa terra diserte memoretur, colligendum est, *τὸ περὶ τὴν γῆν* et altero Aristotelis loco et apud Theophrastum ita intellegi, ut simul ipsa quoque terra intellegatur.

Postquam igitur stellarum orbes in mundi circuitu effecti sunt, natura humida, qui totum interius mundi spatium replet, ordore solis (is enim secunda mundi orientis aetate eundem obtinet locum, quem prima obtinuit sphaera ignea) calefactatur (est enim per se frigida) et exsiccatur, hacque re partim evaporat in aerem, eum, qui terrae circumfusus usque ad stellarum orbes pertinet, cuius motu efficiuntur venti, partim vertitur in terram, quae totius mundi locum medium occupat, reliqua denique naturae humidae pars, ea, quae in cavis terrae locis subsedit, mare est. Nec tamen haec reliqua naturae humidae pars statim ipsa per sese mare est, ita ut mare mihil sit nisi ipsa prima natura humida, sed ipsa quoque solis exsiccatione mutata et hoc demum modo in mare conversa est[1]). Postquam terra mare aer, id est, prima mundi interioris corpora orta sunt, sequuntur ea, quae a veteribus uno vocabulo appellantur meteora, veluti venti, nubes, imbres, fulgura ac tonitrua, quae Anaximander ab iisdem caussis repetit, quibus hucusque usus est, a perpetua actione naturae igneae in naturam humidam, id est, solis in terram mare aerem a natura humida orta; cuius rei aliqua exempla alio loco adferentur.

Tertia denique aetas ea est, qua animalia generantur et plantae; quamquam haec aetas tempore quidem a priore non prorsus videtur separata esse. Verisimile enim est, Anaximandri sententia animalium ortum iam incepisse, cum terra nondum ad eam, quae nunc utitur, soliditatem pervenisset sed humidior etiam ac limosa esset[2]). De his quoque rebus posteriore loco dicetur.

---

1) Plut. Plac. III, 16: „*Ἀναξίμανδρος τὴν θάλασσάν φησιν εἶναι τῆς πρώτης ὑγρασίας λείψανον, ἧς τὸ μὲν πλεῖον μέρος ἀνεξήρανε τὸ πῦρ, τὸ δὲ ὑπολειφθὲν διὰ τὴν ἔκκαυσιν μετέβαλεν.*“ Idem iisdem verbis refertur apud Euseb. Praep. Ev. XI, 59 et Galen. Hist. Phil. c. 22.

2) Cf. supra p. 324.

3. Postquam summatim maximas mundi partes proposuimus earumque et ortum et dispositionem monstravimus, iam de unaquaque earum singillatim dicendum est. Incipiemus autem a terra, quia quaedam eorum, quae ad terram pertinent, magno erunt usui in quaestione de corporibus coelestibus.

Terram igitur Anaximander in media collocat mundi parte, ita ut terrae centrum ipsius mundi centrum sit, ubique eodem intervallo a circuitu distans[1]). Quod ad eius speciem attinet, Plutarchus in Stromatis eam ipsis verbis dicit figura esse cylindri admodum plani, cuius altitudo triplo minor sit latitudine[2]); statuit igitur eam, ut idem aliis verbis dicam, similem esse rotae solidae. De qua quidem terrae figura omnes videntur consentire[3]). Nam Hippolytus Anaximandrum refert

---

1) Testimonium rei luculentissimum apud ipsum Aristotelem invenitur, Coel. II, 13. 295^{b} 10 sq., quo loco Anaximandrum ait terram dicere eam ob caussam in sua sede manere, quod in medio mundo collocata ubique eadem distantia a circuitu absit. Locus ipse paullo post adferetur. Similiter Hippolytus, Refutt. I, 6, terram manere dicit „*διὰ τὴν ὁμοίαν πάντων ἀπόστασιν.*“ Idem testatur Diog. Laert. II, 1: „*μέσην δὲ τὴν γῆν κεῖσθαι κέντρου τάξιν ἐπέχουσαν, οὖσαν σφαιροειδῆ.*“

2) Plut. apud Euseb. Praep. Ev. I, 8, 2: „*ὑπάρχειν δέ φησι τῷ μὲν σχήματι τὴν γῆν κυλινδροειδῆ, ἔχειν δὲ τοσοῦτον βάθος, ὅσον ἂν εἴη τρίτον πρὸς τὸ πλάτος.*“

3) Quod Diog. Laert. l. l. eam dicit *σφαιροειδῆ*, sine dubio error est inde profectus, quod neglegentius formam rotundam intellexit formam globosam.

Teichmuellerus Diogenem secutus opinatur, Anaximandri sententia terram globosam esse, ad hancque opinionem Plutarchi et reliquorum scriptorum testimonia accommodans contendit, Anaximandri sententia terram globosam quidem, sed in utroque polo multo planiorem esse, hancque sententiam iam prope accedere ad eam, qua nunc terram dicant globum in polis complanatum. Stud. zur Gesch. der Begr. p. 35 cum not. **; 41; 47. Non opus

terrae figuram dicere planam(?) et rotundam, similem columnae lapideae (*κίονι λίθῳ παραπλήσιον*), cuius planitierum altera a nobis incolatur, altera huic opposita sit[1]). Placitorum autem scriptores priorem quidem huius discriptionis partem, sive per neglegentiam sive per inscientiam, omittunt, posteriorem autem iisdem fere verbis referunt, dicentes, terram Anaximandri sententia similem

---

videtur, hanc Teichmuelleri opinionem et reliqua eius de terra commenta singillatim refellere.

1) Hippol. Refutt. I, 6: „*τὸ δὲ σχῆμα αὐτῆς* (*τῆς γῆς*) *ὑγρὸν* στρογγύλον, κίονι λίθῳ παραπλήσιον· τῶν δὲ ἐπιπέδων ᾧ μὲν ἐπιβεβήκαμεν, ὃ δὲ ἀντίθετον ὑπάρχει.*“ Quod ad verba '*τὸ δὲ σχῆμα αὐτῆς ὑγρὸν, στρογγύλον*' attinet, antea (p. 324, 2) iam monuimus, *ὑγρὸν* in edit. Gotting. suadente Roepero mutatum esse in *γυρόν*. simul autem addidimus caussam, cur haec mutatio videretur improbabilis esse. Sed ne *ὑγρὸν* quidem potest verum esse, propterea maxime, quod continuo post *τὸ σχῆμα* simile dicitur '*κίονι λίθῳ*'. Quaeritur igitur, quid ab ipso Hippolyto videatur scriptum esse. Proficiscor inde, quod apud Hippolytum in hac libri parte multa insunt indicia accuratae cognitionis, quae fluxisse videtur e Theophrasto. Cf. supra p. 12. Quare cum Plutarchus terram referat figura esse cylindri plani, cum igitur eam dicat planam et rotundam esse tamquam rotam solidam, probabile videtur, Hippolytum quoque Anaximandri terram iisdem duabus notis definivisse aeque necessariis. Atque rotundi quidem notio aperte vocabulo '*στρογγύλον*' continetur; quare pro '*ὑγρὸν*' videtur scriptum fuisse vocabulum, quo notio plani contineatur. Quaerenti autem vocabulum, quod hanc significationem habeat nec nimis litteris ab '*ὑγρὸν*' differat, nunc non aliud succurrit nisi '*ὕπτιον*'. Cum enim *ὕπτιον* dicatur de terra plana ac patenti, quae opponitur terrae montuosae (Suidas *ὕπτια πέδια* explicat *τὰ ὁμαλά*, Herodotus II, 7 Aegyptum mediam appellat *ὑπτίην*, Plutarchus Apoph. reg. c. 18 Boeotorum terram *ὑπτίαν καὶ ἀναπεπταμένην*, Pollux On. X 82 *πίνακας ἐκπετάλους* partim *κυκλοτερεῖς* partim *ὑπίους* esse dicit), satis videtur idoneum esse ad significandam eam rationem, quam diximus Hippolyti loco significandam esse. Si quis vocabulum invenerit aptius, facile recipima. De verbis '*κίονι λίθῳ*' postea dicetur.

esse lapidi columnae (λίθῳ κίονι προσφερῆ), cuius planitierum altera a nobis incolatur, altera huic opposita sit[1]). Quod ab Hippolyto dicitur 'κιόνι λίθῳ', a Placitorum scriptoribus autem 'λίθῳ κίονι', nullam ipsius sententiae differentiam continet; illud enim significat 'columnam, quae materia sit lapis', hoc 'lapidem, quae formâ sit columna'.

Iam vero quod ad ipsam sententiam attinet, κιὼν aperte idem significat atque ille Plutarchi cylindrus. Quod autem et ab Hippolyto et a Placitorum scriptoribus terra dicitur lapis esse, atque ab illo quidem ita, ut dicatur columna, quae lapis, ab his ita, ut dicatur lapis, qui columna sit[2]), id primum intuenti non poterit non mirum videri. Cum autem omnes in hac re referenda consentiant, ea omnino putanda est ad ipsam Anaximandri doctrinam pertinere. Quod si ita se habet, protinus patet, qualem Anaximander velit terrae materiam esse; sequitur enim, ut terram interiorem vel potius ipsam terram putet lapidem vel saxum esse, partes autem molliores, velut lutum humumque, non terram verum terrae et aquae mixtionem. Atque haec sententia optime conciliatur cum ea sententia, qua aerem et terram e natura humida dicit orta esse; nam aeris liquiditas et lapidis soliditas facile videri poterant inter se maxime contraria esse, inter quae natura humida media esset. Praeterea haec senten-

---

1) Plut. Plac. III, 10: „Ἀναξίμ. λίθῳ κίονι τὴν γῆν προσφερῆ τῶν ἐπιπέδων." Eadem verba leguntur apud Euseb. Praep. Ev. XV, 56 et Gal. Hist. Phil. c. 21. Quod attinet ad vocabulum 'τῶν ἐπιπέδων', quod intellegi nequit, id, si Hippolyti locum respicimus, protinus apparet initium esse huius Hippolyti sententiae: 'τῶν δὲ ἐπιπέδων ᾧ μὲν ἐπιβεβήκαμεν, ὃ δὲ ἀντίθετον ὑπάρχει'.

2) Cum 'κίονι λίθῳ' et 'λίθῳ κίονι' ratione grammatica ita se habeant, ut posterior vox ad priorem simpliciter adponatur. Haec adpositio paullo quidem durior est, nec tamen legibus grammaticis contraria; κίονι λίθῳ idem est atque κίονι λίθῳ ὄντι, λίθῳ κίονι autem idem atque λίθῳ κίονι ὄντι.

tia facile concipi poterat ex iis, quae ipsis sensibus animadvertebantur. Similis videtur Anaximenis sententia esse[1]).

Iam cum Anaximander terram in media mundi parte velit collocatam esse, de caussa, cur in hac sua sede maneat, sententiam, proponit, quae tanquam subita quaedam veritatis lux opinionem illa aetate communem et quadam cogitandi consuetudine etiam necessariam perrumpit. Ut enim ipse Aristoteles testatur, unus omnium antiquiorum philosophorum statuit, terram in medio mundo pendulam esse a nulla re sustentam. Caussam autem, cur in hac sua sede permaneat nec in ullam partem declinet, eam esse dicit, quod ubique eodem intervallo a mundi circuitu distet, hac fere usus ratiocinatione: quae res in medio mundo posita sit, eam ad omnes circuitus partes eandem habere rationem, quae res autem hoc modo se habeat, ei nullam esse caussam, cur deorsum potius quam sursum aut in obliquum moveatur; ergo hanc rem oportere, si omnino moveatur, simul in omnes partes moveri; iam vero eandem rem non posse simul in contrarias partes moveri; ergo eam rem, quae in medio mundo posita sit, in nullam posse partem moveri, sed immobilem in sua sede manere[2]). Alexander quidem teste Simplicio refert, Ana-

---

1) Cf. prae ceteris Hippol. Refutt. I, 7.

2) Aristot. Coel. II, 13. 295 b 10: „*οἱ μὲν οὖν πλεῖστοι περὶ τὰς αἰτίας ταύτας* (sc. *τοῦ μένειν τὴν γῆν*) *διατρίβουσιν· εἰσὶ δέ τινες, οἳ διὰ τὴν ὁμοιότητά φασιν αὐτὴν μένειν, ὥσπερ τῶν ἀρχαίων Ἀναξίμανδρος. μᾶλλον μὲν γὰρ οὐθὲν ἄνω ἢ κάτω ἢ εἰς τὰ πλάγια φέρεσθαι προσήκει τὸ ἐπὶ τοῦ μέσου ἱδρύμενον καὶ ὁμοίως πρὸς τὰ ἔσχατα ἔχον· ἅμα δ' ἀδύνατον εἰς τἀναντία ποιεῖσθαι τὴν κίνησιν· ὥστ' ἐξ ἀνάγκης μένειν.*“ Etsi haec argumentatio ab Aristotele oratione directa proponitur, tamen eam ipsius Anaximandri esse inde apparet, quod Aristoteles, ib. v. 16, statim addit: „*τοῦτο δὲ λέγεται κομψῶς μὲν οὐκ ἀληθῶς δέ· κατὰ γὰρ τοῦτον τὸν λέγον κτλ.*“, quodque eius partes singillatim refellit; cf. maxime ib. v. 29 sq. Eadem Anaximandri

ximandri sententia terram et eo in sua sede manere, quod ab aere sustineatur, et eo, quod ubique pari intervallo a circuitu absit[1]. At incredibile videtur, Anaximandrum ad illam caussam a pari distantia petitam putavisse aliam etiam addendum esse, quasi dubitantem, num illa sufficeret. Quare, cum Aristoteles etiam non nisi illam unam caussam memoret, atque ita quidem, ut hanc solam videatur cognovisse, illa Alexandri narratio putanda erit ex aliquo errore nata esse, veluti inde, quod aut ipse aut is, quem sequebatur, sciebat, Anaximandri sententia terrae undique circumfusum esse aerem inde a terra usque ad coeli circuitum pertinentem[2].

Ex illo autem Aristotelis loco simul patet, Anaximandri sententia coelum ingentem esse sphaeram, quae terram eique circumfusum aerem ab omnibus partibus amplectatur aequalique intervallo et a superiore et ab inferiore terrae planitie distet; quam quidem rem propterea moneo, quia alias non aperte traditur, magni autem momenti est in aliqua quaestione, de qua postea tractandum erit.

Quod ad ipsam illam Anaximandri ratiocinationem attinet ab Aristotele relatam, sententia prima, a qua reliqua pendent, haec est: eam rem, quae ubique pari inter-

---

sententia breviter refertur ab Hippolyto, Refutt. I, 6: „*τὴν δὲ γῆν εἶναι μετέωρον ὑπ' οὐδενὸς κρατουμένην, μένουσαν διὰ τὴν ὁμοίαν πάντων ἀπόστασιν.*“

1) Alexander apud Simplic. Coel. 238ª 13 Carsten: „*Ἀναξιμάνδρῳ δ' ἐδόκει καὶ διὰ τὸν ἀέρα τὸν ἀνέχοντα μένειν ἡ γῆ καὶ διὰ τὴν ἰσορροπίαν καὶ ὁμοιότητα*“.

2) Possunt quidem alia etiam erroris initia excogitari, veluti id, quod Anaximander, ostendens, terram semper in sua sede manere, cum adiunctione dixerit, si quis forte non concesserit, terram propter parem illam distantiam manere, eam iam propterea non posse suam sedem relinquere, quod ab aere undique circumfuso coerceatur.

vallo a circuitu distet, si omnino moveatur, simul in omnes partes moveri oportere. Iam huic quidem sententiae ex opinione volgari recte poterat in hunc modum responderi: illam rem nequaquam in omnes partes moveri, sed, quemadmodum omnia corpora necessitate naturali suoque pondere deorsum ferri. Cum vix fieri possit, ut Anaximander hoc ignoraverit, vix potest dubitari, quin iam, antequam illam sententiam proponeret, opinionem volgarem conatus sit aliquo modo refutare. Quod qua ratione fecerit, quam clare, quam ad persuadendum apte, nescimus. Sine dubio autem et putavit et aliquo modo pronuntiavit, in mundo universo nihil esse summum nihilque infimum, sed tantum cercuitum et partem mediam et diversas inter hanc et illum distantias. Id enim ultro quasi ei liquere debebat ex ipsa principii infinitate, quod unumquemque mundum ab omnibus pariter partibus ampleteretur et sustineret; et hanc revera eius sententiam fuisse, inde quoque apparet, quod, cum simul et terram et aerem e natura humida totum medium mundi spatium replenti generet, in ipso ortu terram in medio loco, aerem in huius circuitu constitisse dicit.

Est autem illa Anaximandri sententia sane mirabilis insignique modo ostendit, quanta in eo fuerit ingenii vis, quanta et perspicacia et audacia. Qua quanto opere excelluerit et ipsam suae aetatis intellegentiam antecesserit, vel maxime ex hac ipsa re apparet, quod pariter, atque postea in Copernico accidit, nemo philosophorum subsequentium illam eius sententiam ausus est accipere. Sed tamen ipse veritatem magis divinatione quadam vidit quam totam eius rationem perspexit; viam monstravit nec vero munivit.

Sed de terrae figura una etiam quaestio restat; quae ipsa rursus hipartita est. Quaerendum enim est, et quibus rationibus ductus Anaximander terrae plani cylindri ac non potius globi figuram tribuerit, et ad quam

caussam efficientem hanc eius figuram rettulerit. Quod ad priorem quaestionem attinet, cum caussam, cur terra semper in medio mundo retineatur, in aequali eius a circuitu distantia ponat, cum hac opinione proprie non nisi globosa terrae figura convenit, atque vix credibile est, eum hoc non animadvertisse. Sed sive animadvertit sive non animadvertit, certe non sine gravibus rationibus terrae illam plani cylindri figuram adsignavit. Iam cum quaerendum sit, hae rationes quae fuisse videantur — nulla enim huius rei aperta sunt testimonia — in primis reputandum est, primo initio terram a mente humana necessario planam putari, propterea, quod haec opinio ipso sensuum testimonio menti quasi imprimitur et quod non nisi terra plana videtur apta esse ad aquas aliasque res mobiles, veluti homines et animalia, sustinendas. Quare haec opinio apud Graecos antiquissima est, ut cum ex aliorum poetarum tum ex Homeri et Hesiodi carminibus patet; ac sine dubio luculentis horum poetarum descriptionibus potissimum factum est, ut in omnium mentibus inhaereret. Iam, cum increscente cogitationis vi cognosceretur, terram non inferiorem mundi partem esse usque in ima eius loca descendentem, sed in mundo medio suspensam undique a coeli sphaera circumdari, ei non minus quam antea figura plana, sed, quo facilius ab aqua vel aere sustineretur, aut tabulae aut disci aut tympani figura tribuebatur. Ac memorabile sane est, quod omnes philosophi Ionici inde a Thalete usque ad Anaxagoram et Democritum (excepto fortasse Heraclito, quamquam ne hoc quidem certum est) in illa sententia permanserunt, etsi posterioribus eorum omnino nota erat diversa Pythagoreorum et Parmenidis ratio, qui terram statuebant globosam esse; de qua re postea plura dicentur. Itaque probabile est, Anaximandrum quoque ob easdem fere rationes terram planam putavisse, quas initio adumbravimus[1]); quamquam enim putabat, ter-

1) Schleiermacherus (Werke III, 2, p. 204) verisimile esse

ram propterea in nullam partem moveri posse, quod ubique eodem intervallo a circuitu abesset, tamen propter hanc sententiam non necessario etiam putabat, in omnibus terrae locis pariter aquas subsidere et homines animaliaque insistere posse. Cum autem ubique cogitationem magis quam sensuum perceptiones atque inde profectas opiniones sequatur, non verisimile est, eum illis rationibus contentum fuisse. Aristoteles in altero de Coelo libro[1]) omnes philosophos ab ea opinione, quam de terrae figura habeant, bifariam dividit in eos, qui terram globosam, et in eos, qui planam ac tympani similem esse velint, hosque posteriores refert duas suae opinionis rationes adferre, alteram, quod sol oriens et occidens non circulari sed recta linea ascendere et descendere videatur, alteram, quod terra sine hac forma non possit ab aqua aut aere sustineri. Ex ipsa divisione patet, Aristotelem nomine eorum, qui terram velint planam ac tympani similem esse, omnes eos intellegere, qui terram non globum sed corpus quoddam planum esse putent. In quibus cum Anaximander quoque sit et ab Aristotele ipso non multo post in eorum numero memoretur[2]), concludendum est, hunc quoque ab Aristotele in iis intellegi, qui ad probandam suam sententiam priore illa ratione utantur; namque eum non iis etiam numerari, qui altera ratione utantur, ex iis patet, quae paullo post[3]) ab ipso Aristotele de eius sententia referuntur. Ac profecto, si Aristoteles, ut dicit omnes, qui terrae planam figuram tri-

---

putat, Anaximandrum vetere quadam opinione, qua terrae disci forma tribuatur, ad suam opinionem adductum esse; addit autem, de hac re nihil certi inveniri posse.

1) Aristot. Coel. II, 13, 293^{b} 33 — 294^{a} 8.

2) Ibid. 295^{b} 10.

3) Ibid. l. l.

buant, ita etiam omnes intellegit, illa prior ratio ad Anaximandrum quoque referenda est[1]).

Iam vero si Anaximander sive iis quas diximus sive aliis etiam rationibus sibi persuaserat, terram figura esse plani cylindri, necessario ponebat caussam, qua efficiente terra illum figuram accepisset. De qua caussa, cum non diversa esse possit ab eo motu, quo universum hunc mundum putabat effectum esse, postea disseremus.

4. Sequitur, ut de stellarum orbibus accuratius quaerendum sit. Atque originem quidem eorum antea satis explicavimus, et universe etiam de eorum natura et in coelo dispositione diximus. Vidimus enim[2]), Anaximandri sententia aerem, efficiente sphaera ignea e natura humida ortum, hanc sphaeram igneam innumeris locis dirupisse diruptisque partibus undique ita se circumvolvisse, ut existerent orbes aerii igneos orbes circumcludentes; vidimus, in his orbibus aeriis foramina esse nobis adversa, per quae

---

1) Ipse Aristotelis locus, quo usi sumus, non sine quadam obscuritate est. Videtur enim dupliciter intellegi posse, primum ita, ut omnes philosophi, qui terram planam esse statuant, simul et priore et altera ratione, deinde ita, ut alteri priore, alteri altera vel etiam utraque ratione uti dicantur. Si ipsam orationis formam respicimus, haec omnino priorem sententiam commendat; sed hanc si accipimus, Anaximander omnino non intellegi potest; id autem pugnat cum ea re, quod Aristoteles ipso loci initio apertissime significat omnes, qui terram planam esse velint quodque postea ipse Anaximandrum in eorum numero memorat. Hoc si tenemus, altera sententia accipienda est, quae, quamquam minus cum orationis forma consentit, tamen ea non excluditur. — Si quis autem putaverit, rationem illam priorem omnino coniunctam esse cum ea quaestione, utrum terra globosa an plana sit, ergo eam ne in mentem quidem venire potuisse, antequam haec quaestio posita esset, reminiscendum est, Anaximandri sententiam eiusmodi fuisse, ut facile in illam quaestionem potuerit incidere.

2) Vid. supra c. 2.

ignis inclusus ad nos effulgeret; vidimus denique, haec foramina luminosa stellas esse eas, quae nobis apparerent, veras autem stellas ipsos illos orbes igneos esse aeriis orbibus circumclusos. Nunc vero tota orbium illorum ratio, multis etiam numeris obscura, diligentius investiganda est.

Iam quid omnium primum quaerendum sit, sic patet. Cum orbes illi eo dicantur orta esse, quod aer sphaeram igneam diruperit partesque diruptas orbibus quibusdam incluserit, facile intellegitur, id duplici modo fieri potuisse, primum ita, ut aer sphaeram igneam circulis parallelis diruperit hacque re eam in plures annulos parallelos per totum sphaerae ambitum circumeuntes diviserit, deinde ita, ut eam quoquoversus diruperit eoque in partes conis cylindrisque vel aliis eiusmodi corporibus similes disciderit. Si illud accipitur, stellarum orbes sunt annuli aerii igneos annulos circumcludentes, qui per totum coeli ambitum pertinent; si hoc ponitur, sunt cylindri aerii cylindros igneos includentes, qui in diversis circuitus locis ad libram suspensi ita sunt, ut inferior eorum planities nobis adversa sit. Ac rursus, prout aut hoc aut illud ponitur, sphaerae igneae diruptionem aut posteriore modo oportet aut priore evenisse. Quaerendum igitur est, horum utrum Anaximandro placuerit.

Exstant quaedam orbium illorum descriptiones ab Hippolyto, Theodoreto, Placitorum scriptoribus memoriae proditae, breves quidem sed accuratae, quibus ipsa rei singularitas fidem facit. Ab his igitur proficiscendum est. Omnes hae descriptiones re quidem omnino consentiunt, verbis autem interdum aliquid differunt; verum haec ipsa verborum differentia eiusmodi est, ut ipsius rei cognitionem magno opere adiuvet. Quare quotiens illi scriptores in eiusdem rei descriptione verbis differunt, eorum loci seorsum adferentur. Sunt illae descriptiones tripartitae; pertinent enim ad Anaximandri sententiam de stellis in universum, de sole, de luna.

Itaque de stellis in universum Anaximandri sententia ab Hippolyto sic refertur: 'stellas esse orbes igneos (κύκλον πυρὸς) ab aere circumclusos; hornm autem orbium igneorum esse exspirationes (ἐκπνοάς), quae fiant per quaedam aeris circumcludentis foramina (πόρους τινὰς ἀερώδεις), iis locis, quibus stellae appareant; eo, quod in lunae orbe hoc foramen tum obstruatur tum recludatur, lunae varietates effici[1]). A Theodoreto autem hoc modo refertur: 'stellas esse coagmentationes quasdam aeris (συστήματα ἄττα τοῦ ἀέρος) in rotarum figuram concretas (τροχοειδῶς πεπιλημένα), quae repletae sint igne et per foramina quaedam flammas emittant'[2]). A Stobaeo denique hoc modo: „stellas esse concretiones aeris rotis similes (πιλήματα ἀέρος

1) Hippol. Refutt. I, 6: „τὰ δὲ ἄστρα γίνεσθαι κύκλον πυρός, ἀποκριθέντα τοῦ κατὰ κόσμον πυρός, περιληφθέντα δ' ὑπ' ἀέρος. ἐκπνοὰς δ' ὑπάρξαι τόπους* (lege πόρους) τινὰς ἀερώδεις, καθ' οὓς φαίνεται τὰ ἄστρα· διὸ καὶ ἐπιφρασσομένων τῶν ἐκπνοῶν τὰς ἐκλείψεις γίνεσθαι." In editione Gotting. Roeperi consilio vocabulum 'τόπους' post 'ὑπάρξαι' e sua sede transfertur post 'καθ' οὑς' (καθ' οὓς τόπους κτλ.); sed hac transpositione ipsa loci sententia prorsus corrumpitur. Etenim vocabulo 'τόπους' reiecto verba 'ἐκπνοὰς ὑπάρξαι τινὰς ἀερώδεις' significant, 'exspirationes esse quasdam aerias', quod idem valet atque 'exspirationes quasdam aeris'. Hoc autem absurdum est, quoniam non de aeris sed de ignis exspirationibus agitur. Ergo 'τόπους' non e sede sua removendum est; sed sine ulla dubitatione mutandum est in 'πόρους'. Id enim unum cum loci sententia plane convenit; et ab Hippolyto ita scriptum fuisse, patet e verbis continuo sequentibus: „τὴν δὲ σελήνην ποτὲ μὲν πληρουμένην φαίνεσθαι, ποτὲ δὲ μειουμένην, κατὰ τὴν τῶν πόρων ἐπίφραξιν ἢ ἄνοιξιν." Nam inde, quod dicitnr 'τῶν πόρων' cum articulo definito, patet, hos πόρους iam antea memoratos esse.

2) Theodoret. Gr. aff. cur. 4, tom. IV, p. 797 ed. Hal.: „ὁ δὲ Ἀναξίμανδρος (τοὺς ἀστέρας) συστήματα ἄττα τοῦ ἀέρος ἔφη, τροχοειδῶς πεπιλημένα, πυρὸς ἔμπλεα εἶναι, ἀπό τινων στομίων ἀφιέντα τὰς φλόγας."

τροχοειδῆ), repletas igne, quae aliqua sua parte per foramina flammas exspirent[1]).“ Ex horum trium locorum comparatione, ut hoc statim breviter moneam, apparet, Anaximandri stellas tum ita significari, ut dicantur orbes ignei ab aere circumclusi, tum ita, ut dicantur orbes aerii (nam *πιλήματα ἀέρος τροχοειδῆ* sunt orbes aerii) ignem circumcludentes; atque inde sequitur, ut ipsius Anaximandri sententia stellae sint orbes ignei ab aeriis orbibus circumclusi, sive orbes aerii igneos orbes circumcludentes; quamquam ad rem aptius priore modo dicuntur, quoniam ipsa stellarum natura continetur igne.

De sole autem sententia a Plutarcho in Placitis sic refertur: ‘solem esse orbem (*κύκλον*), qui curvaturam sive orbitam (*τὴν ἁψῖδα*) habeat talem fere, qualis in curruum rotis cernatur, eamque quidem cavam et igne repletam; hanc orbis curvaturam aliqua parte per foramen ignem emittere tamquam per *πρηστῆρος* (vocis significatio infra explicabitur) fistulam, huncque ignem esse solem’[2]). A Stobaeo autem hoc modo narratur: ‘solem esse orbem (*κύκλον*) currus rotae similem, cuius peripheria (*περιφέρεια*) cava sit et igne repleta, et aliqua parte per foramen ignem emittat tamquam per *πρηστῆρος*

---

1) Stob. Ecl. I, 24. p. 510: „*Ἀναξίμανδρος* (*τὰ ἄστρα*) *πιλήματα ἀέρος τροχοειδῆ, πυρὸς ἔμπλεα, κατὰ τι μέρος ἀπὸ στομίων ἐκπνέοντα φλόγας· καὶ ἀνωτάτω μὲν πάντων τὸν ἥλιον τετάχθαι, μετ' αὐτὸν δὲ τὴν σελήνην, ὑπὸ δὲ αὐτοὺς τὰ ἀπλανῆ τῶν ἄστρων καὶ τοὺς πλανήτας.*“

2) Plut. Plac. II, 20: „*Ἀναξίμανδρος* (*τὸν ἥλιον*) *κύκλον εἶναι ὀκτωκαιεικοσαπλασίονα τῆς γῆς, ἁρματείου τροχοῦ τὴν ἁψῖδα παραπλήσιον ἔχοντα, κοίλην, πλήρη πυρός· ἧς* (sc. *ἁψῖδος*) *κατά τι μέρος ἐκφαινούσης διὰ στομίου τὸ πῦρ ὥσπερ διὰ πρηστῆρος αὐλοῦ,* [*καὶ*] *τοῦτ' εἶναι τὸν ἥλιον.*“ Particula *καὶ*, quae ante *τοῦτο* legitur, sine dubio delenda est. Quid hoc loco significet *πρηστήρ*, postea seorsum spectabimus, quoniam sine diligentiore inquisitione non potest cognosci.

fistulam'[1]). Idem refertur etiam a Galeno et Eusebio, qui verbis maxime cum Plutarcho consentiunt[2]).

De luna denique sententia a Stobaeo hoc modo refertur: 'lunam esse orbem currus rotae similem, quae pariter atque solis orbis curvaturam sive orbitam (*ἁψῖδα*) habeat cavam, igne repletam, uno exspirandi foramine tamquam *πρηστῆρος* fistula utentem'[3]). Quae de eadem re apud Plutarchum, Eusebium, Galenum leguntur, verbis vix differunt[4]).

His igitur locis solutio continetur eius quaestionis,

---

1) Stob. Ecl. I, 25. p. 524: „*Ἀναξίμανδρος (τὸν ἥλιον) κύκλον εἶναι . . . ἁρματείῳ τροχῷ παραπλήσιον, ἔχοντα κοίλην περιφέρειαν, πλήρη πυρός, κατὰ μέρος ἐκφαίνουσαν διὰ στομίου τὸ πῦρ, ὥσπερ διὰ πρηστῆρος.*" Post '*πρηστῆρος*' sine dubio addendum ēst '*αὐλοῦ*', quod in laudato Plutarchi loco legitur. Protinus enim apparet, id agi, ut *τὸ στόμιον*, quod ante dictum est, re quadam simili illustretur. Nulla autem *πρηστῆρος* significatio est, quae cum *στομίῳ* sive foramine aliquo comparari possit. Verum comparari cum eo potest *αὐλὸς* sive fiustula (cf. not. seq.) ac propterea sine dubio etiam *πρηστῆρος αὐλός*.

2) Galen. Hist. phil. 14: *Ἀναξίμ. τὸν κύκλον αὐτοῦ (τοῦ ἡλίου) εἶναι ὀκτωκαιεικοσαπλασίονα τῆς γῆς, ἁρματείου τροχοῦ τὴν ἁψῖδα παραπλήσιον ἔχοντα, κοίλην καὶ πλήρη πυρός, κατὰ μέρος διὰ στομίου τὸ πῦρ ὡς δι' αὐλοῦ* (hic igitur *αὐλὸς* per se, *πρηστῆρος* vocabulo non adiecto, cum *στομίῳ* comparatur) *πρὸς ἡμᾶς ἐκπέμπεσθαι· καὶ τοῦτ' εἶναι τὸν ἥλιον.*" Eusebius, Praep. Ev. XV, 23, plane consentit cum Plutarcho.

3) Stob. Ecl. I, 26. p. 548: *Ἀναξίμανδρος (τὴν σιλήνην) κύκλον πυρὸς . . . ὅμοιον ἁρματείῳ τροχῷ, κοίλην ἔχοντι τὴν ἁψῖδα* (in Stobaei de sole loco pro hac voce dicebatur *περιφέρεια*) *καὶ πυρὸς πλήρη, καθάπερ τὸν τοῦ ἡλίου, κείμενον λοξόν· ὡς κἀκεῖνον ἔχοντα μίαν ἐκπνοὴν οἷον πρηστῆρος αὐλόν.*"

4) Plut. Plac. II, 25: *Ἀναξίμανδρος (τὴν σελήνην) κύκλον εἶναι . . . ὥσπερ τὸν τοῦ ἡλιου πλήρη πυρός· ἐκλείπειν δὲ κατὰ τὰς ἐπιστροφὰς* (leg. *ἐπιφράξεις*) *τοῦ τροχοῦ· ὅμοιον γὰρ εἶναι ἁρματείῳ τροχῷ κοίλην ἔχοντι τὴν ἁψῖδα καὶ πλήρη πυρός, ἔχοντι μίαν ἐκπνοήν.*" Similiter Eusebius et Galenus.

quam initio proposuimus. Etenim primum hisce locis omnibus stellae ipsae a stellis apparentibus distinguuntur illaeque uno ore ita difiniuntur, ut sint orbes (κύκλοι) aerii igneos orbes includentes vel orbes ignei aeriis orbibus circumclusi, hae autem ita, ut sint orbium illorum aeriorum foramina, per quae ignis inclusus ad nos effulgeat. Quod ad orbium illorum formam attinet, ipsa vocabuli significatione possunt quidem et plani cylindri sive rotae solidae et annuli esse, quoniam κύκλος utrumque significare potest; verum alia sunt, e quibus certissime efficiatur, eos esse annulos.

Ac primum quidem illi stellarum orbes comparantur cum rotis, atque quidem non cum rotis in universum sed cum rotis curruum. Curruum autem rotae iam temporibus antiquis apud Graecos non erant solidae sed radiis instructae, quibus modiolus cum curvatura iungebatur. Ergo stellarum orbes non cum rotis solidis sed cum talibus rotis comparantur, in quibus modiolus cum curvatura iuncta est radiis. Deinde illi orbes curruum rotis similes dicuntur cavam habere peripheriam (περιφέρειαν), quae repleta sit igne, et hac parte comparantur cum rotarum curvatura sive orbita (ἁψῖδι), quae cava et igne repleta sit. Cum autem in rota praeter curvaturam radii etiam sint et modiolus, facile patet, in illis stellarum orbibus nihil esse, quod rotarum radiis et modiolo respondeat, nisi forte modiolus intellegatur axis. Ergo eo tantum intellectu putandi sunt cum curruum rotis comparari, quod similes sint rotarum curvaturae, quae cava et igne repleta sit. Iam vero orbis, qui similis est rotarum curvaturae cavae et igne repletae, est annulus cavus sive pervius, solidum ignis annulum circumcludens. Ergo, si descriptiones allatas sequimur, Anaximandri stellarum orbes sunt cavi annuli aerii solidos annulos igneos circumcludentes.

Iam cum cognoverimus, stellarum orbes annulos esse

igne repletos, ut notio eorum plane obsolvatur, quaerendum est, quis eorum situs sit et qua ratione se habeant ad stellas apparentes; hae enim duae quaestiones ita cohaerent, ut non nisi coniunctim solvi possint. Itaque illos stellarum orbes vidimus foramina habere nobis adversa, per quae ignis inclusus ad nos effunderetur. Quae foramina, si orbes illi annuli sunt, non nisi in ipso horum annulorum corpore esse possunt, et ab omnibus etiam Placitorum scriptoribus, quorum locos attulimus, quotiens stellarum orbes cum rotis comparant, in harum rotarum curvatura ponuntur. Haec foramina sunt stellae eae, quae nobis apparent. Iam vero iidem Placitorum scriptores referunt, Anaximandri sententia has stellas apparentes circumagi (*περιφέρεσθαι*) iis orbibus, e quibus eorum flammae effulgeant quibusque contineantur[1]). Hae circumactiones apte duplici tantum modo intellegi possunt, primum ita, ut illi annuli, in coelo ad libram supensi, circa suum ipsorum axem vertantur hacque re unusquisque eorum cum sua stella apparenti in coelo circulum describat, cuius planities nobis adversa sit; deinde ita, ut illi annuli, per totum coeli ambitum circumeuntes, cum sua quisque stella circa mundi axem hancque ob caussam etiam circa terram circumferantur. At prorsus

---

1) Plut. Plac. II, 16 (de stellarum motu in universum): „*Ἀναξίμανδρος, (τοὺς ἀστέρας) ὑπὸ τῶν κύκλων καὶ τῶν σφαιρῶν, ἐφ' ὧν ἕκαστος βέβηκε, φέρεσθαι.*“ Idem iisdem verbis apud Euseb. Praep. Ev. XV, 47 et apud Galen. Hist. ph. 13 legitur. Verba '*ἐφ' ὧν ἕκαστος βέβηκεν*' parum apta sunt ad Anaximandri stellas apparentes; quare e doctrinis posterioribus videntur ad eum translata esse. — Stob. Ecl. I, 25. p. 524: (*Ἀναξίμανδρος*) *τὸν μὲν ἥλιον ἶσον εἶναι τῇ γῇ· τόν δὲ κύκλον, ἀφ' οὗ τὴν ἐκπνοὴν ἔχει καὶ ὑφ' οὗ περιφέρεται κτλ.*“ Plane idem legitur apud Plut. Plac. II, 21; Galen. 14, praeterquam quod hi omnes pro *περιφέρεται* habent *φέρεται*, et duo priores pro *ὑφ' οὗ ἐφ' οὗ*.

incredibile est, Anaximandrum eam statuisse stellarum circumactionem, quam priorem posuimus, iam eam unam ob caussam, quia nullus eiusmodi stellarum motus in coelo conspicitur. Ergo illa stellarum circumactio posteriore modo intellegenda est; idque eo comprobatur, quod omnibus iis locis, quibus antea usi sumus, non nisi de quotidianis stellarum conversionibus agitur. Anaximandrum autem revera stellarum conversiones circa mundi axem docuisse, postea accuratius ostendetur.

Haec si recte disputavimus, simul duo sequuntur, primum, ut illi stellarum annuli per totum coeli ambitum circumeant, deinde, ut foramina, per quae ignis annulis illis inclusus ad nos effulget, sive stellae apparentes in interiore annulorum curvatura sint, ea, quae nobis adversa est.

Sed de ipsis his foraminibus etiam aliqua quaestio restat. Etenim illi stellarum orbes sive annuli ignem ipsis inclusum ad nos emittere dicuntur '*διὰ στομίου*' (per foramen) tamquam '*διὰ πρηστῆρος αὐλοῦ*'. Verba '*διὰ πρηστῆρος αὐλοῦ*' quid sibi velint, adhuc a nemine cognitum est, plerique autem ipsum *πρηστῆρος* vocabulum, quoniam hoc loco omnino non posset explicari, suspicati sunt corruptum esse. Quod cum propter summam omnium locorum consensionem admitti non possit, denuo videndum est, ecqua apta illorum verborum explicatio sit. In qua re ut a certis initiis proficiscamur, primum loci huc pertinentes accurate inspiciendi quaedamque orationis differentiae notandae sunt.

Itaque Plutarchus, Stobaeus, Eusebius iis locis, quibus de solis orbe loquuntur, huius orbis curvaturam (*ἁψῖδα, περιφέρειαν*) ignem ad nos emittere dicunt '*διὰ στομίου ὥσπερ διὰ πρηστῆρος αὐλοῦ*'[1]). Idem Stobaeus, de lunae

1) Vide locos supra p. 358 not. 1 et p. 459 not. 1 et 2, ubi etiam vidimus, in Stobaei loco post '*πρηστῆρος*' vocabulum '*αὐλοῦ*', quod in libris deest, addendum esse.

orbe loquens, hunc orbem habere ait *'μίαν ἐκπνοὴν οἷον πρηστῆρος αὐλόν'*[1]). Galenus denique, solis orbem describens, huius orbis curvaturam dicit ignem ad nos emittere *'διὰ στομίου ὡς δι' αὐλοῦ'*, *πρηστῆρος* vocabulo omisso[2]). Itaque omnibus locis, quibus de hac re agitur, solis et lunae orbium foramina (*στόμια*), per quae ex illis orbibus ignis effulgeat, comparantur cum *πρηστῆρος αὐλῷ*, excepto uno Galeni loco, quo illud foramen simpliciter cum *αὐλῷ* comparatur, *πρηστῆρος* vocabulo non addito. Ipsa autem similitudo primum ac proprie posita est in notionibus *τοῦ στομίου* et *τοῦ αὐλοῦ*, id est, foraminis et fistulae, id quod et ex orationis forma et inde patet, quod apud Galenum *πρηστῆρος* vocabulum omissum est[3]).

Iam igitur quid est *πρηστῆρος αὐλός*? Quod cum quaerimus, in primis tenendum est, hanc cum *πρηστῆρος αὐλῷ* comparationem idcirco institui, ut res a sensuum perceptionibus remota intellectuque difficilis similitudine notae rei illustretur, hanc igitur rem putandam esse talem, quae omnibus ipsa experientia possit nota esse. Itaque

---

1) Vide locum supra p. 359 not. 3.

2) Vide locum supra p. 359 not. 2.

3) Teichmuellerus, Studien p. 12, not. opinatur, in verbis *'διὰ πρηστῆρος αὐλοῦ'* *διὰ* non de loco sed de caussa intellegendum esse, et verba *'τὴν ἀψῖδα ἐκφαίνειν διὰ στομίου τὸ πῦρ ὥσπερ διὰ πρ. αὐλοῦ'* sic vertit: „Herausgetrieben wird die Flamme wie durch einen aus einem Blasinstrumente (*αὐλὸς*) herausfahrenden Wirbelwind (*πρηστήρ*)" (p. 14). Falsam esse istam de praepositione *διὰ* opinionem vel inde apparet, quod propter verborum collocationem *διὰ* ante *πρηστῆρος αὐλοῦ* naturaliter eodem modo accipitur atque *διὰ* ante *στομίου*, omnino autem probatur eo, quod a Galeno solis orbis foramen (*στόμιον*) simpliciter comparatur cum *αὐλῷ*, *πρηστῆρος* vocabulo omisso. Ex hisce simul patet, *αὐλὸν* non dici de ipsa orbis cava curvatura, ut ille putat, sed de huius curvaturae foramine ignem emittenti. De mirabili autem illa sententia, qua aer tibiae inflatu commotus dicitur vortex (Wirbelwind), non est quod plura dicam.

quid sit αὐλός, omnino non potest dubitari; est enim quaevis tibiae similis fistula; quae significatio in nostra caussa non solum aptissima est, verum etiam necessario postulatur. Omnis difficultas in πρηστῆρος vocabulo posita est. Hoc igitur vocabulum, ductum a verbo πρήθειν, quod et adflandi et incendendi vel infiammandi vim habet[1]) naturaliter eam significat rem, cuius ipsa proprietas maxime in adflandi et inflammandi vi cernitur, quasi vocabulum significare dicas adflatorem et inflammatorem. Inde efficitur, ut apud Graecos tres maxime res, similes omnino eademque orige ortae, πρηστῆρος vocabulo appellentur, typhon et turbo (haec duo ab Aristotele uno typhonis nomine comprehenduntur) et prester proprie dictus, qui iam solus ab Aristotele et a posterioribus physicis hoc vocabulo appellatur. Omnes hae res ab Aristotele (nam in nostra quaestione non nisi veterum opinionibus uti possumus) ita definiuntur, ut vortices ventorum sint, in nubibus contrariorum ventorum conflictu coorti, ipsarum nubium partes secum circumagentes et e nubibus usque ad terram descendentes hicque, quidquid deprehendant, in orbem agentes et in sublime tollentes. Quorum vorticum ab ipso Aristotele ii, qui sine igne et colore sint, typhones, qui igne incensi sint, seorsum presteres appellantur; a posteroribus autem typhonum duae distinguuntur species, ipsi typhones et turbines[2]).

---

1) Num hae duae verbi significationes ab una simpliciore significatione fluxerint, num igitur verbi una tantum radix sit, adhuc quantum ego quidem sciam, incertum est. Equidem opinor, unam tantum verbi radicem esse hancque naturaliter aestuantem illum ac strepentem motum significare, qui et in flammarum et in ventorum aestu cernitur.

2) Accuratissime de harum rerum natura et caussis disputat Aristot. Meteor. III, 1, maxime p. 370 b 17—371 a 3 et 371 a 9—17. Cf. Plin. Hist. N. II, 48 et 49; Senec. Quaest. Nat. V, 13; Lucret. VI, 422 sq.; Ideler, Aristot. Meteor. II, p. 250—288.

Num igitur in verbis ʻπρηστῆρος αὐλὸςʼ πρηστὴρ talem quendam vorticem significat? Quod ut cognoscatur, primum quaerendum est, num in illis vorticibus, veluti num in eo, qui prae ceteris dicitur prester, sit fistula (αὐλός); deinde, si forte invenerimus esse, num haec fistula comparari possit cum illo stellarum orbium foramine. Quod ad priorem quaestionem attinet, dicere possis, vorticem ipsa circumactione circa axem fieri cavum, ita ut per eum a polo ad polum canalis pertineat, qui recte possit fistula vocari. At non compertum est, num physici Graeci tales canales in vorticibus agnoverint et, si forte agnoverunt. num eos vocabulo proprio αὐλοὺς appellaverint. Plinius quidem, de diversis typhonis formis agens, typhonem ait tum vocari columnam, cum e nube in maris superficiem demissus ipse se sustineat, cumque nubes in longum ʻveluti fistulaʼ aquam trahat[1]), et Arati explicator has columnas refert a nautis appellari ʻsiphonesʼ[2]). Sed ex his nullo modo sequitur, ut in hoc vortice putaverint canalem sive fistulam esse[3]). Verum etiam si veteres ponimus putavisse, per tales vortices fistulam pertinere, tamen cum hac fistula non comparari potest foramen illud, quo stellarum orbes uti dicuntur. Nam per hoc foramen e stellarum orbibus ignis ipsis inclusus effundidur, per illam autem vorticum fistulam nihil emittitur, sed potius id, quod a vortice contingitur, sorbetur et in sublime tollitur. Accedit, quod haec vorticum fistula nimis aliena est a mentis cogitatione, quam ut apte possit

---

1) Plin. Hist. N. II, 49. Cf. Lucret. V, 425. Est haec columna id, quod a nostris ʻWasserhoseʼ, a Francogallis ʻune trombeʼ vocatur.

2) Vid. Ideler l. l. II, p. 257.

3) Teichmuellerus l. l. p. 13, not. cuiusdam (nam non nominat) adfert opinionem, qui dicat, πρηστῆρος αὐλὸν esse eam vorticis fistulam, de qua disputavimus, hancque explicationem per se quidem omnino probabilem esse existimat, sed tamen ea, quam ipse proposuerit, deteriorem. (cf. supra p. 363 not. 3.)

ad illustrandam rem novam atque incognitam adhiberi. Ergo in verbis 'πρηστῆρος αὐλὸς' πρηστὴρ non potest ea significatione intellegi, de qua hucusque locuti sumus.

Sed πρηστὴρ significat etiam follem, velut eum, quo fabri ad sufflandum ignem utuntur. Quae vocabuli significatio quamquam, quod sciam, non nisi uno Apollonii Rodii loco[1]) invenitur, tamen eam opinor in Graecia vel certe in aliquibus Graeciae partibus frequentissimam fuisse, propterea quod πρηστὴρ, cum altera sua significatione quasi adflatorem significet, plane naturaliter videtur hoc instrumentum significare, aeque ac φυσητήρ[2]), quae vox eodem modo a φυσᾶν atque πρηστὴρ a πρήθειν facta est. Quod dicunt, hanc vocabuli significationem translatam esse, id incautius dici arbitror, propterea quod nulla alia videtur esse significatio illa prior atque, ut ita dicam, naturalior, a qua illa possit translata esse; nam typhonis, turbinis presteris notio certe non propius abest a naturali vocabuli significatione quam notio follis. Itaque ego quidem puto, 'πρηστῆρα' iis, de quibus agimus, locis follem, et 'πρηστῆρος αὐλὸν' follis fistulam significare, ipsamque Anaximandri sententiam hanc esse: stellarum annulos aerios igneos annulos circumcludentes per foramen ignem ipsis inclusum emittere similiter, atque folles per fistulam aerem ipsis inclusum emittant; qua quidem follis imagine simul vehementior quaedam exspirandi vis significatur. Quamquam praeter ea, quae attuli, non habeo, quibus sententiam confirmem, tamen ipsa comparationis aptitudo et perspicuitas satis videtur explicationis veritatem probare. Atque ego quidem opinor, verba 'πρηστῆρος αὐλὸν' ab ipso Anaximandro adhibita esse, atque eo quidem, quem indicavi, intellectu.

His disputatis responsum est iis quaestionibus, quas

---

1) Ap. Rhod. IV, 777.

2) Cf. Pollux On. X, 21, 147.

in huius capitis initio proposuimus. Quod enim ad priorem quaestionem attinet, orbes illi aerii igneos orbes includentes sunt annuli aerii cavi solidos annulos igneos circumcludentes, per totum coeli ambitum circumeuntes, in curvatura interiore nobisque adversa rotundis praedita foraminibus, per quae ignis inclusi flammae in interiorem mundum effunduntur tamquam per follium fistulas; quae quidem luminosa foramina sunt stellae nobis apparentes. Hi annuli quotidie ita circa mundi axem circumferuntur, ut curvatura rotae vertitur circa rotae axem, et cum annulis simul etiam luminosa illa eorum foramina sive stellae apparentes circa mundi axem circumferuntur. Quod autem diximus, Anaximandri stellarum orbes annulos esse per totum coeli ambitum circumeuntes, ei rei novum argumentum accedit ex ea ratione, qua solis et lunae conversiones per lineam eclipticam explicat; de qua re postea seorsum agetur.

Ex iis, quae de stellarum orbibus diximus, patet etiam, quod alterum quaerebamus; sequitur enim, ut Anaximander de prima sphaerae igneae diruptione sic fere statuerit: aerem e natura humida ortum, cum in amplius spatium se extenderet, sphaeram igneam parallelis lineis dirupisse hacque re eam in annulos parallelos per totum sphaerae ambitum pertinentes divisisse, his autem annulis ita se undique circumvolvisse, ut eos annulis aeriis circumcluderet secumque in loca aut longius aut proprius a mundi centro distantia (de hac enim re postea dicetur) abriperet. Res Anaximandri sententia ita fere videtur evenisse, velut si ingens fluminis vis, cum in obiectum incidit aggerem, hunc pluribus locis perrumpit dirumpitque et partes diruptas undique undis circumvolutas secum abripit; nec veridissimile est, Anaximandrum primum ab hoc simili sententiam illam in mente informavisse.

5. Sententiam contrariam sequuntur Brandisius[1]) et Zellerus[2]); atque hic quidem tam subtiliter eam defendit, ut diligentius persequenda sit. Zellerus igitur, ut primum eius sententiam quam brevissime proponamus, Anaximandri stellarum orbes existimat esse planos cylindros aerios cavos, solidos cylindros igneos includentes, in coelo ad libram suspensos, qui in media planitie inferiore foramine utantur rotundo, per quod tamquam per rotae modiolum ignem inclusum ad nos demittant. Adductus autem ad hanc sententiam est duobus argumentis, quorum altero probari putat, Anaximandri stellarum orbes non esse orbes sive annulos per totum mundi ambitum circumeuntes, altero, esse cylindros tales, quales descripsimus.

Quod ad prius argumentum attinet, Placitorum scriptores referunt, Anaximandri sententia solem eum, qui nobis appareat, magnitudine aequalem esse terrae, illum vero orbem, e cuius quodam foramine hic sol apparens effulgeat et quo circumferatur, magnitudine sua terram, vel, cum sol apparens terrae dicatur aequalis esse, ipsum solem apparentem viginti septem vel viginti octo partibus superare[3]). Ab hac igitur profectus narratione Zel-

---

1) Brandis, Gesch. der Griech. u. Röm. Philos. I, p. 137.

2) Zeller Gesch. etc. I, p. 195 et not. 3.

3) Stob. I, 25. p. 524: „(*τὸν ἥλιον*) *κύκλον εἶναι ὄκτω καὶ εἰκοσαπλασίονα τῆς γῆς . . . καὶ τὸν μὲν ἥλιον ἶσον εἶναι τῇ γῇ, τὸν δὲ κύκλον, ἀφ' οὗ τὴν ἐκπνοὴν ἔχει καὶ ὑφ' οὗ περιφέρεται, εἶναι τοῦ προειρημένου μεγέθους.*“ Plut. Plac. II, 20: „(*τὸν ἥλιον*) *κύκλον εἶναι ὄκτω καὶ εἰκοσαπλασίονα τῆς γῆς*“ — et ibid. 21: „*τὸν μὲν ἥλιυν ἶσον τῇ γῇ εἶναι, τὸν δὲ κύκλον, ἐφ' οὗ φέρεται, ἕπτα καὶ εἰκοσαπλασίονα τῆς γῆς.*“ Cum Plutarcho ipsis verbis consentiunt Euseb. XV, 23 et 24 et Galen. Hist. phil. c. 14. Idem Theodoretus quoque refert, Graec. aff. cur. 4. tom. IV, p. 718 ed. Hal., dicens: „*Ἀναξίμανδρος μὲν ἑπτακαιεικοσαπλασίονα τῆς γῆς τοῦτον ἔφησεν εἶναι*“, iisdem sine dubio fontibus usus. Cf. ibid. p. 801 et 822.

lerus acute sane et sagaciter in hunc modum ratiocinatur: ‘Si Anaximandrum statuimus solis orbem putavisse orbem sive annulum per totum coeli ambitum pertinentem, sequitur, ut hunc orbem putaverit magnitudine non plus viginti septem vel viginti octo partibus maiorem esse, quam diametrum solis apparentis; at fieri non potest, ut hunc orbem, si eum putavisset annulum esse per totum coeli ambitum pertinentem, putaturus fuerit magnitudine non plus viginti septem vel viginti octo solis apparentis diametros continere, quippe quae magnitudinum ratio nimium cum ipso oculorum iudicio pugnet; ergo non licet statuere, eum solis orbem patavisse annulum esse per totum mundi ambitum circumeuntem’. Sed hoc etsi acutissime conclusum est, tamen ipsa ratiocinationis propositio quam maxime fieri potest incerta est.

Etenim in hac propositione ponenda Zellerus, ut paullo ante diximus, inde proficiscitur, quod Placitorum scriptores referunt, Anaximandri sententia solis orbem viginti septem vel viginti octo partibus maiorem esse quam terram vel ipsum solem apparentem, narrationem vero plane diversam Hippolyti, qui Anaximandri sententia solis orbem dicit viginti septem partibus maiorem esse quam orbem lunae[1]), censet ab errore quodam ac fortasse non nisi a calami errore profectum esse. Iam vero primum illa apud Placitorum scriptores narratio non continet, quod Zellerus sumit, solis orbem viginti septem vel viginti octo partibus maiorem esse quam solis apparentis diametrum. Etenim illi scriptores dicunt, solis orbem Anaximandri sententia viginti septem vel viginti octo partibus maiorem esse quam terram vel solem apparentem,

1) Hippol. Refutt. I, 6: „*εἶναι δὲ τὸν κύκλον τοῦ ἡλίου ἑπτακαιεικοσαπλασίονα [τοῦ] τῆς σελήνης, καὶ ἀνωτάτω μὲν εἶναι τὸν ἡλίου, κατωτάτω δὲ τοὺς τῶν ἀπλανῶν ἀστέρων κύκλους.*“ Non ipsam lunam, sed lunae orbem intellegi, ex antecedenti Hippolyti disputatione patet.

id autem naturaliter ita tantum intellegi potest, ut solis orbis cum terrae vel solis apparentis circuitu, nec vero cum eius diametro comparetur; nulla enim caussa est, cur in orbe solis circuitus (hunc enim intellegi per se patet) in sole apparente autem non circuitus verum diameter intellegatur. Quod si ponimus, solis orbis non vinginti septem vel viginti octo solis apparentis diametros, sed triplo plures, id est, octoginta unum vel octoginta quattuor continebit[1]. Sed hoc leve est, quoniam haec magnitudinum ratio nihilo minus eiusmodi est, ut conciliari non possit cum ea opinione, qua solis orbis sit annulus per totum coeli ambitum pertinens.

Deinde, id quod gravissimum est, illa apud Placitorum scriptores narratio omnino dubia est, non solum propterea, quia ei adversatur narratio Hippolyti (haec enim quamdiu non refutata est, illius minuit fidem; de qua re postea dicetur), sed maxime propterea, quod in sese ipsa habet, quae mirum in modum inter de dissentiant. Nam Stobaeus solis orbem ait viginti octo partibus terra maiorem esse, Theodoretus autem viginti septem, Plutarchus denique et Galenus et Eusebius iisdem fere locis tum viginti octo tum viginti septem[2]. Unde mira haec dissensio orta sit, difficile erit inventu; id tamen videtur recte ex ea concludi posse, narrationis illius auctorem ipsam Anaximandri rationem non iam perspexisse atque inde factum esse, ut sententias omnino diversas misceret. Iam vero iidem scriptores (excepto Theodoreto, qui non separatim de sole loquitur) iisdem locis, quibus ista narrantur, solis orbem ita describunt, ut eum dicant orbem rotarum curvaturae (τροχοῦ ἁψῖδι) similem, quae curvatura cava sit et igne repleta et per foramen nobis adversum ignem ad nos ef-

---

1) Hanc rem recte monuit Teichmuellerus, l. l. p. 16.

2) Vide locos p. 369, not. 3.

fundat, addentes, hoc foramen luminosum esse solem nobis apparentem, qui simul cum illo orbe circumferatur; describunt igitur ita, ut pateat, ipsos solis orbem intellegere annulum per totum coeli ambitum circumeuntem, quemadmodum antea ostendimus. Hanc solis orbis descriptionem et illam de eius magnitudine narrationem omnino inter se pugnare, Zellerus rectissime vidit; quare id quidem patet, non simul utramque posse veram esse, quaeritur autem, utra vera sit. Hoc igitur quaerentes si hanc descriptionem et illam narrationem inter se comparamus, non poterit dubitari, quin haec descriptio multo sit fide dignior. Nam in illa narratione Placitorum scriptores et secum ipsi et cum Hippolyto quam maxime pugnant; in hac autem descriptione et inter sese et cum Hippolyto omnino consentiunt, nec praeterea ullum est veterum testimonium, quod cum ea pugnet; nam eo Achillis Tatii loco, quo Zellerus utitur, nihil eiusmodi contineri, paullo post apparebit. Ergo potius propter hanc descriptionem illa narratio, quam propter illam narrationem haec descriptio damnanda est.

Sed hoc magis etiam apparet, si Hippolyti narrationem adiungimus, quem vidimus solis orbem referre Anaximandri sententia viginti septem partibus maiorem esse quam orbem lunae. De cuius narrationis veritate cur dubitetur, mihi quidem nulla videtur caussa idonea esse. Quod enim in universum ad Hippolyti fidem attinet, in iis, quae ab eo in primo libro cum de aliis philosophis tum de Anaximandro traduntur, plurima sunt, quae cognitionem accuratiorem ostendant et ex ipso Theophrasto videantur fluxisse[1]). Si cui autem mirum videatur, quod Anaximander dicatur solis orbi magnitudinem tribuisse tanto maiorem quam orbi lunae, id optime consentit cum ea re, quod eodem Hippolyto et omnibus Placitorum scriptoribus testibus solis orbem voluit omnium extimum ac summum esse; nam de hac ipsa

1) Vide supra p. 12. Cf. Usener, Anal. Theophr. p. 42, 26.

re non posse dubitari, inde apparet, quod, ut postea videbimus, in universa Anaximandri ratione ea invenitur caussa, qua efficiente solis orbem oportuerit omnium extimum fieri. Nec vero Hippolyti narrationem eo labefactari, quod pugnat cum ea narratione, quae apud Placitorum scriptores legitur, satis patet ex iis, quae de hac ipsa re antea disputavimus.

Iam igitur si hanc Hippolyti narrationem accipimus, cum Placitorum scriptores lunae orbem referant undeviginti partibus terra maiorem esse[1]), efficitur, ut solis orbis undevicies viginti septem, id est, DXIII partibus maior sit quam terra, ut igitur plus ter DXIII, id est, plus MDXXXIX solis apparentis diametros contineat. Haec autem magnitudinum ratio, quamvis plurimum absit a rei veritate, tamen non eiusmodi esse videtur, ut non possit conciliari cum ea opinione, qua solis orbis credatur annulus per totum coeli ambitum pertinens. Ergo nihil adhuc invenimus, quo probaretur, hanc non esse Anaximandri opinionem; atque id primum erat.

Alterum argumentum, quo Zellerus utitur, est quidam Achillis Tatii locus[2]), quo directo probari putat, Anaximandri stellarum orbes esse planos cylindros tales, quales descripsimus. Sed fallitur. Etenim Tatius, diversa de sole placita referens, hoc loco „aliqui autem“, inquit, „in quibus Anaximander quoque est, solem dicunt lucem effundere rotae figura utentem; ut enim in rota cavus sit modiolus, ex hoc autem radii extendantur ad rotae curvaturam extrinsecus circumcurrentem, sic solem, cum e cavo lucem emittat, huius lucis radios extendere iisque extrinsecus amnia in circuitu collustrare[3])“

---

1) Stob. Ecl. I, 26 p. 548: „*Ἀν. (τὴν σελήνην) κύκλον εἶναι ἐννεακαιδεκαπλάσιον τῆς γῆς, ὅμοιον ἁρματείῳ τροχῷ, κτλ.*“ Idem referunt Plut. Plac. III, 25; Galen. 15; Euseb. XV, 26.

2) Achill. Tact. Isag. c. 19; vid. not. seq.

3) Achill. Tact. l. l.: „*τινὲς δέ, ὧν ἔστι καὶ Ἀναξίμανδρος, φασὶ*

Quem locum si accuratius inspicimus, protinus apparet, Tatium proprie non id agere, ut solis figuram, sed ut eum describat modum, quo lux e sole emissa diffundatur; cum enim dicat, Anaximandri sententia 'solem lucem effundere rotae figura utentem', significat, lucis effusionem modo quodam fieri, qui definiatur eo, quod sol figuram habeat rotae similem. Iam sequenti loci parte, qua sententiam propositam explicat, ostendit, non, qua ratione ipse sol, sed qua ratione sol una cum suis radiis sumptus figuram habeat rotae similem. Cum enim in rota tres distinguat partes, cavum modiolum, curvaturam, radios e modiolo ad curvaturam pertinentes, ipsum solem non nisi cum modiolo comparat, eam ob caussam, quod, ut modiolus cavus sit, ita sol e cavo lucem emittat; cum radiis autem non ipsum solem sed solis radios comparat, propterea, quod e cavo illo emissi extrinsecus in orbem diffundantur[1]); cum rotae curvatura denique, si imaginem volumus absolvi, comparare non potest nisi ipsas res, quas ultimas solis radii attingunt in iisque quasi terminantur, ut rotae radii in curvatura. Quare, si hoc aliquo modo volumus cum priore loci parte consentire, sumendum erit, illic verba 'solem lucem effundere rotae figura utentem' ita intellegenda esse, ut sol non ipse per se, sed ea tantum parte, quatenus lucem effundat eoque se quasi in radios exstendat, dicatur rotae figuram habere[2]). Haec si ita se habent, toto

---

πέμπειν αὐτὸν (τὸν ἥλιον) τὸ φῶς σχῆμα ἔχοντα τροχοῦ. ὥσπερ γὰρ ἐν τῷ τροχῷ κοίλη ἐστὶν ἡ πλήμνη, ἔχει δ' ἀπ' αὐτῆς ἀνατεταμένας τὰς κνημῖδας πρὸς τὴν ἔξωθεν ἁψῖδος περιφοράν, οὕτω καὶ αὐτόν, ἀπὸ κοίλου τὸ φῶς ἐκπέμποντα, τὴν ἀνάτασιν τῶν ἀκτίνων ποιεῖσθαι, καὶ ἔξωθεν αὐτὰς κύκλῳ φωτίζειν." Posteriorum verborum sententia haec est, *τὰς ἀκτῖνας* omnia in orbem collustrare.

1) Zellerus quidem, l. l., hanc loci partem ita intellegit, ut solis radii e cylindri foramine emissi extrinsecus per totam cylindri planitiem diffundi dicantur; at haec sententia, nimis sane mirabilis, nullo modo ipsis Tatii verbis significatur, sed a Zellero sumitur.

2) In enuntiatione: „*πέμπειν αὐτὸν τὸ φῶς σχῆμα ἔχοντα τρο-*

loco de ipsius solis figura nihil continetur. Verum etiam si sumimus, priore loci parte ipsum solem dici rotae formam habere hancque sententiam summa quadam cogitationis et orationis inconcinnitate relinqui, tamen nusquam indicatur, in qua re haec similitudo consistat. Nam inde, quod in altera loci parte sol dicitur *ex cavo* lucem emittere, suspicari quidem possis, hoc cavum intellegi corpus quoddam cavum, e quo ignis ipsi inclusus per foramen effundatur: verum hoc cavum utrum cylindrus cavus sit, in cuius media planitie inferiore, an pervius annulus, in cuius curvatura nobis adversa illud foramen sit, hoc ex ipso loco nullo modo potest dignosci.

Atque huic quaestioni ne ipse quidem Tatius, opinor, respondere posset. Facile enim intellegitur, Tatium (aut eum, quem sequebatur) id quidem traditum invenisse, ab Anaximandro solem rotae similem dici, in qua autem re haec similitudo consisteret, non invenisse traditum, sed ipsum ad eam explicandam comparationem illam satis ineptam excogitavisse. Quam incognita Tatio fuerit ipsa Anaximandri doctrina, id etiam potest documento esse, quod lunae diminutionem a quibusdam dicit eo explicari, quod eius *foramen rotae simile obstruatur*[1]). Nam eos, qui ita sentiant, non nisi Anaximandrum intellegi posse, protinus patet; is autem lunae orbem, non huius orbis fo-

---

χοῦ" verba 'σχῆμα ἔχοντα τροχοῦ' grammatice eam habent vim, ut modum vel formam significent, qua lucis emissio fiat. Nihil autem impedit, quominus τὸ σχῆμα ἔχειν τροχοῦ ita coniunctum sit cum lucis emissione, ut sol hanc figuram non per se habeat, verum quasi demum accipiat cum lucis emissione, propterea videlicet, quod lucem emittere sit in radios se diffundere, hoc autem, rotae figuram accipere.

1) Achill. Tact. c. 21: „κατὰ μῆνα δὲ ἐκλείπειν . . . ἄλλοι δὲ τοῦ στομίου τοῦ τροχοειδοῦς, δι' οὗ ἐκπέμπεται τὸ φῶς, ἀποφραχθέντος".

ramen, rotae similem dicit[1]). Ergo in illo Tatii loco nihil est, quo probari possit, solis orbem Anaximandri sententia planum esse cylindrum[2]).

Verum ut nullis veterum testimoniis probatur, ita etiam per se omnino improbabile est, Anaximandrum stellarum

---

1) Quam manca et incerta Tatii de Anaximandro scientia sit, Teichmuellerus etiam (l. l. p. 18 sq.) clare ostendit, quamquam sententiam loci, de quo egimus, non plane intellexisse videtur.

2) Tatius post locum, de quo egimus, sic pergit: „*τινὲς δὲ ὡς ἀπὸ σάλπιγγος ἐκ κοίλου τόπου καὶ στενοῦ ἐκπέμπειν αὐτὸν τὸ φῶς ὥσπερ πρηστῆρας.*“ Hos '*τινάς*', quos Tatius a prioribus, id est, ab Anaximandro distinguit, Teichmuellerus (l. l. p. 20) non alios esse putat nisi ipsum Anaximandrum. Sed quamvis praeter hunc eiusque discipulos non facile invenias, ad quem locus referri possit, tamen haec res omnino incerta est. Nam Tatii verba ita obscura sunt, ut per se sola certam interpretationem fugere et sine adiumentis aliunde advenientibus non intellegi posse videantur. Etenim primum cum *σάλπιγξ* sit et *εὐθεῖα* et *καμπύλη* (Pollux On. IV, 11, 85), utra hoc loco intellegenda est? Deinde, cum sol dicatur lucem emittere '*ὡς ἀπὸ σάλπιγγος ἐκ κοίλου τόπου καὶ στενοῦ*', num *σάλπαγξ* idem intellegitur atque *ὁ κοῖλος καὶ στενὸς τόπος*, ita ut hic illius similitudine illustretur? an *σάλπιγξ* est res ab hoc cavo et angusto loco diversa, veluti quoddam huius cavi loci foramen, ita ut idem atque *αὐλός* significet? an denique ad *ἐκπέμειν* pertinet, ita ut significet, lucem ex augusto loco quadam quasi vehementia efflari? Denique in verbis '*ἐκπέμπειν αὐτὸν* (*τὸν ἥλιον*) *τὸ φῶς*' utrum '*πρηστῆρας*' pertinet ad *αὐτὸν* an ad *τὸ φῶς*? id est, utrum ipse sol comparatur cum *πρηστῆρι* an lux a sole emissa? — nam prout aut hoc aut illud accipitur, *πρηστῆρος* significatio alia erit. Sed huius loci non est, haec accuratius persequi. Mihi quidem non veridissimile videtur, Tatium, cum *αὐλὸν* falso intellexisset tibiam, pro eo memoriae errore dixisse *σάλπιγγα* et in verbis allatis hanc fere latere sententiam: 'solem e cavo et angusto loco tamquam ex tibia sive fistula (vel tamquam per fistulam — nam ille cavus locus et Anaximandri solis nnnulus et huius annuli *στόμιον* intellegi possit) lucem emittere, similiter atque folles (aerem per tibiam sive fistulam emittant).

orbes planos cylindros putavisse. Etenim primum eum vidimus solis orbis magnitudinem aliquo modo definivisse. Iam si eum sumimus hunc orbem putavisse cylindrum esse, cum hic cylindrus praeter modiolum, per quem ignis emittitur, sensibus nullo modo appareat, nulla excogitari potest ratio, qua se credere potuerit eius magnitudinem invenire posse. Deinde in Anaximandri doctrina plura sunt, quae illa opinione posita omnino non possint explicari. Nam cum cylindros illos oporteat in coelo ad libram suspensos esse, qua vi sustinente in sua sede manent? et, cum Anaximandri sententia stellae circa mundi axem moveantur, ut partim iam vidimus, partim postea accuratius ostendemus, qua ratione cylindrorum illorum conversiones explicari poterunt? Quod enim Zellerus e duobus Aristotelis et Theophrasti locis conicit, has conversiones pulsu fieri ventorum, illi loci non ad stellarum conversiones circa axem mundi, sed ad solis et lunae conversiones per circulum eclipticum pertinent; id quod postea seorsum decebimus. Denique tota haec cylindrorum opinio eiusmodi est, ut vix a quoquam potuerit concipi. Nam nec in natura ullum est simile, a quo suscipi potuerit, nec ulla excogitari potest ratio, quae quasi quadam necessitate debuerit ad inveniendam eam perducere. Haec autem omnia modo contrario se habent, si Anaximander stellarum orbes putabat annulos esse per totum coeli ambitum circumeuntes. Hac enim opinione posita, simulatque stellae alicuius a terra distantia creditur inventa esse, ipsius orbis sive annuli magnitudo protinus patet; hac posita stellarum conversiones circa mundi axem admodum apte explicantur; et sine hac opinione Anaximander eam rationem, qua ab Aristotele et Theophrasto dicitur solis et lunae conversiones per circulum eclipticum explicavisse, ne concipere quidem potuisset; haec denique opinio in natura multa habet similia, a quibus potuerit suscipi, et per se eiusmodi est, ut facile, cum

primum stellarum natura et motus e caussis naturalibus explicanda sunt, menti sagaci ocurrere et eximie placere possit.

Quod ad reliquos scriptores recentiores attinet, vix opus est, Roethii[1]) memorare sententiam, qui Anaximandri orbes coelestes opinatur sphaeras esse crystallinas sese amplectentes, quarum unaquaeque sphaera cingatur ignea et húius sphaerae ignes eo loco, quo stella quaeque nobis appareat, per foramen rotundum ad nos transmittat. Haec enim sententia neglectis apertissimis veterum testimoniis conficta est.

Unus Teichmuellerus illos orbes statuit quidem annulos esse rotarum curvaturae similes, qui circa mundi axem convertantur; sed quae de hac re loquitur, tam imperspicua et partim etiam inter se pugnantia sunt, ut non solum difficile sit, eius sententiam cognoscere, sed ut ipse etiam videatur sententiam non satis clare in animo informatam habuisse. Quod orbes coelestes dicit circa mundi axem converti, id accipit maxime propter anteceptam illam opinionem, qua ipsi infinito principio aeternum tribuit motum circularem. Quod annulos dicit, id recte inde sumit, quod veterum testimoniis cum rotarum curvaturis comparantur. Sed quae singillatim de his annulis disputat, ea eiusmodi sunt, ut, quales esse putet, clara quidem notione non concipi possit, ut autem, quales putare videtur, tales certe non potuerint esse, et propter ipsius rei naturam nimis mirabilem et propter perfectam eius a veterum testimoniis dissensionem. Ea autem caussa, qua annulorum illorum originem explicat (putat enim, si recte intellexi, celeri universi mundi circumactione in extremo aere ventorum vortices oriri cavis canalibus utentes, hosque ipsos illos annulos esse) non solum nullo veterum testimonio memoratur, verum etiam per se ipsa talis est, ut ne cogitatione quidem in-

1) E. Roeth, Gesch. der abendl. Philos. II, p. 153 sq.

formari possit, quomodo eius efficientia tales oriri possint annuli. Videtur autem eo maxime in falsam suam sententiam incidisse, quod in explicandis veterum testimoniis ad hanc rem pertinentibus magis ingenii festinationi indulsit quam diligentem locorum examinationem et comparationem adhibuit. Quae de Teichmuelleri sententia breviter diximus, ex adnotatione subiecta patebunt[1]). — Atque his dictis ad propositum revertimur.

---

1) Cum in stellarum orbibus duo spectanda sint, annuli aerii et ignis ipsis inclusus, incipiendum videtur ab ea sententia, quam Tèichmuellerus de ignis natura et origine proponit Ignem igitur contendit Anaximandri sententia oriri e vento, ventum autem tenuissimum esse aeris exhalationem. Studien etc. p. 10. Ad hanc autem sententiam ab Anaximandri doctrina omnino alienam (vidimus enim, Anaximandri sententia aerem, quippe e natura humida ortum, non posse in ignem verti) adductus est eo, quod Anaximandri definitionem fulguris (Hippol. Refutt. 6; Plut. Plac. III, 3; al.), omnibus aliis veterum locis neglectis, falso interpretatur.

Iam propter istam Anaximandri de igne sententiam per se putat consentaneum esse, eum stellas quoque e ventis quibusdam, qui in extremo aere essent, explicavisse. Atque hoc revera factum esse, ipsis veterum testimoniis probari putat (adfert autem in not. ** p. 11 locos, quos ipsi antea p. 358 sq. laudavimus), dicens (p. 11): „denn er nimmt an, dass sich in einem bestimmten Abstande von der Erde gewisse luftige Oerter finden, wo die obere feine Ausscheidung der Welt (ignis intellegitur) in einen Luftwirbel geräth, so dass die feurige Masse ganz von Luft umschlossen ist und nur an einer Stelle als Licht herausfahren kann. Diese Stelle ist's, wo wir die Sonne oder den Stern jedesmal sehen." Facile patet, haec vix pertinere ad rem propositam. Propositum enim erat, ut ignem in universam, ita etiam stellas e ventis quibusdam oriri; stellarum autem nomine hoc loco vix aliud intellegi potest nisi stellarum ignis; de igne enim agitur. At laudato Teichmuelleri loco ignis iam antea ortus ('die obere feinere Ausscheidung der Welt' cf. p. 26) ventorum vorticibus circumcludi, nec vero ipse e ventis oriri dicitur. An forte intellegi volt, ut ventus (id est, tenuissima aeris exhalatio) nubibus involutus fulgura et tonitrua pariat,

6. Cum igitur stellarum orbes sint annuli aerii cavi solidos annulos igneos circumcludentes per totum coeli

---

ita tenuissimam totius mundi exhalationem superiorem (id est, quandam ventorum speciem) ventorum vorticibus inclusam stellas conficere? Sed hanc molestam orationis inconcinnitatem mittamus.

Statim post verba laudata sic pergit (p. 12): „Analysiren wir diese Anschaung (eam, quae loco antecedenti contineri putatur) in ihre Elemente. 1. Zuerst erkennen wir das Gestirn als eine hervorschiessende Flamme (φλόγας). 2. Dieser leuchtende blitzartige Strahl schiesst aus einer Röhre, die aus verfilzter Luft besteht (haec 'Röhre', de qua in disputatione antecedenti nihil dictum est, quae intellegenda sit, ex adnotatione subiecta conici potest) und einem Wagenrade ähnlich ist. 3. Die Oeffnung befindet sich in den Felgen des Radkranzes, und diesen soll man sich deshalb hohl und mit Feuer gefüllt denken. 4. Solche Oeffnungen befinden sich an einigen bestimmten dichtern Stellen (!) in der Luft, wo die Gestirne dann auch gesehen werden. 5. Herausgetrieben wird die Flamme wie durch einen aus einem Blasinstrumente herausfahrenden Wirbelwind (ὥσπερ διὰ πρηστῆρος αὐλοῦ)."

Quod secundo loco ait: 'die Flamme schiesst hervor aus einer Röhre — aus verfilzter Luft — einem Wagenrade ähnlich', his, ut ex adnotatione subiecta intellegitur, eius interpretatio continetur verborum: stellarum orbes ignem inclusum emittere 'διὰ στομίου ὥσπερ διὰ πρηστῆρος αὐλοῦ', quam quidem interpretationem ipse quinto loco aperte proponit. Etenim in his verbis alterum διὰ non, quemadmodum διὰ antecedens, de loco, sed de caussa dictum esse statuens, cum αὐλῷ, quem vertit tibiam, comparari putat ipsum cavum stellarum annulum, πρηστῆρα autem, quem turbinem vel vorticem ventorum esse volt, si quid video, eam putat vim esse, qua ex stellae uniuscuiusque annulo ignis inclusus expellatur. Quod ut aliquo modo intellegi possit, statui oportet, in ipso stellae annulo esse quendam ventorum vorticem, qui ignem inclusum propellat atque expellat. Qui vortex ipsum stellae annulum permeans et ignem propelleus qui sit, Teichmuellerus non dicit, nec facile a quoquam inveniatur. Sed ipsos etiam stellarum orbes sive annulos aerios cavos dicit vortices (πρηστῆρας) esse per se ipsos annulorum cavorum speciem referentes; id quod patet et e loco antea laudato, quo eos appellat 'Luftwirbel', et deinceps magis etiam apparebit;

ambitum circumeuntes, per foramina quaedam flammas ad nos effundentes, in hac Anaximandri doctrina primum, quod

---

ad quam opinionem non videtur adductus esse nisi eodem vocabulo in verbis 'ὥσπερ διὰ πρηστῆρος αὐλοῦ'. Ergo ventorum vortices dicit, qui stellarum ignem tamquam annulis cavis includant, et vortices, qui ignem ex illo priore vortice expellant. Num igitur hi sunt duo vortices diversi? Diversos esse oportet, si respicimus, quae adhuc disputata sunt; sed non sunt diversi, si ea respicimus, quae ab ipso Teichmuellero loco quodam posteriore dicuntur. Namque p. 26, quem locum deinceps adferemus, *contendit*, *iisdem ventorum vorticibus, qui ignem tamquam annulis cavis includant*, hunc ignem etiam per quaedam foramina expelli („aus welchen — sc. radkranzähnlichen Luftwirbeln — *dieselben* Wirbelwinde das Feuer durch eine Oeffnung heraussprühen lassen"). Haec quomodo intellegantur, non ausim dicere. Num forte ventorum vortices annulorum formam referentes se, veluti in animalibus arteriae, contrahunt hacque re ignem inclusum propellunt? Verum sive hoc sive alio modo rem fieri putat, certe hac sententia, quoniam vortex ignem expellens non iam *inest in* annulis, ipse suam illam verborum 'ὥσπερ διὰ πρηστῆρος αὐλοῦ' *interpretationem omnino tollit*. Sed ipsi antea satis docuimus, hanc totam interpretationem ineptam inesse. Vid. supra p. 364, not. 3.

Quod in verbis, de quibus hucusque disputavimus, quarto loco dicit, orbium sive annulorum illorum foramina esse *in aeris locis densioribus*, absurdum est. Quis enim intelleget, cur foramina, per quae ignis ad nos effunditur, ibi esse dicantur, ubi aer sit densior, cum magis certe consentaneum sit ea ibi ponore, ubi aer sit rarior? Sed Teichmuellerus Hippolyti verba 'τόπους τινὰς ἀερώδεις' isto modo interpretatur. — Quae ab eodem alio loco alia de horum annulorum natura dicuntur, in huius disputationis fine adferentur.

Iam quomodo stellarum annulos putet *ortos esse*, ex hisce patet ibid. p. 15: „Das sich drehende Rad ist die *ganze Luftsphäre*, welche um die Erde rotirt; an dem äussersten Umfang dieser Luftsphäre wirbelt sich die Luft zusammen, so dass sie *dort* mit den hohl zu denkenden Felgen des Radkranzes verglichen werden kann (nunc igitur *sphaera sive globus* comparatur cum rota, et *excelsior quaedam sphaerae pars* cum rotae curvatura). An einzelnen Stellen *dieser Radkreise* (sunt igitur *plures*, quam-

sciamus, quaedam apparet opinio, quae inde ab Anaximandro usque ad Eudoxum et Aristotelem multis, immo forte pleris-

---

quam antea unus tantum dici videbatur) lassen die dicht verfilzten Luftwirbel (illi videlicet 'Radkreise') die in ihnen befindliche (unde in iis sit, hoc loco non dicitur; cf. ib. p. 11) feinste warme Ausscheidung der Welt als Flamme herausfahren, und diese werden als die die Erde umkreisenden Gestirne gesehen." Ac rursus p. 26: „Diese grosse Kugel (intellegitur infinita mundi materia, id est, ipsum infinitum principium) ist in Bewegung um ihre eigne Axe wie ein Rad (!) — — Durch dieselbe Drehung bilden sich in der Peripherie der Luft grosse Stürme (cf. ib. p. 13, not.), welche den feurigen Kugelmantel (id est, jene feinste waren Ausscheidung der Welt) in lauter einzelne Kreise zerreissen und die feurige Masse wie in einen hohlen Radkranz einschliessen, aus welchem dieselben Wirbelwinde (qui antea appellabantur 'grosse Stürme') das Feuer durch einige Oeffnungen heraussprühen lassen." Omitto miram istam opinionem, qua aeris sphaera cum rota et excelsior quaedam huius sphaerae pars cum rotae curvatura comparantur; omitto magnam istam orationis inconstantiam, qua sine ulla explicatione vocabula 'Radkranz, Radkreise, verfilzte Luftwirbel' ac rursus 'grosse Stürme et Luftwirbel' inter se commutantur, quae non potest non moram facere intellectui. Sed, — in qua re ipsa loci sententia posita est — quod Teichmuellerus annulorum illorum originem eo putat explicari, quod celeri mundi conversione in aeris circuitu ventorum vortices oriantur cavorum annulorum similes, id eiusmodi est, ut ne cogitatione quidem a quoquam informari possit. Etenim si concedatur, celeri mundi conversione in extremo aere vortices oriri (longum enim est, de hac re plura dicere), tamen hi vortices non possunt annulos efficere, qui per totum mundi ambitum circumeant. Nam si proficiscimur ab illa Aristotelis definitione, qui vortices effici dicit contrariorum ventorum conflictu, celeri illa conversione in extremo aere ita tantum possunt vortices oriri, ut aeris partes celerius motae incidant in partes tardiores ipsis resistentes. Sed vortices hoc modo orti necessario tales erunt, quorum axes directi sint in axe mundi; hi autem comparari non possunt cum illis stellarum annulis, qui explicandi erant. Accedit, quod Anaximandri sententia stellarum orbes diversis intervallis a terra distant; at, si Teichmuelleri opinio vera esset, omnes

que philosophis videtur communis fuisse; eam dico opinionem, qua ad explicandam eam rem, quod stellae, quae diversis intervallis a mundi centro distarent nec in eadem sphaera defixae essent, eadem semper a centro distantia circa mundi axem converterentur, annuli ponebantur e materia invisibili constantes per totumque coeli ambitum circumeuntes, qui stellas ipsis infixas ferrent[1]).

Cuius opinionis exemplum praeclarissimum illi Platonis vorticelli (σφονδύλοι) sunt[2]). Nam hi vorticelli et Anaximandri annuli cavi sine dubio ex eadem profecta sunt cogitatione, eo autem maxime differunt, quod hi vorticelli stellam, quae globus est igneus, continent uno certo loco

---

orbes in eiusdem globi circuitu esse oporteret. Ergo haec opinio tota commenticia est.

Denique alio loco, quo recte ait, ab Anaximandro in coelo non solidas sphaeras poni, haec disserit, p. 35: „dagegen wird die ganze Anschauung gleich verständlich, wenn man die Sphären bloss geometrisch fasst. Die Weltkugel lässt sich in beliebige concentrische Sphären zerlegen. — Nehmen wir in dieser (die Erde umgebenden Luft) bei einem bestimmten Radius eine Sphäre und wieder in der Sphäre einen Kreis an und denken uns an bestimmten Stellen des Kreises die eigenthümlichen Poren, aus denen die Sternflammen hervorschiessen, so müssen natürlich diese Flammen, von der Luftsphäre getragen, mit umherkreisen, ohne an ein festes Gewölbe angenagelt zu sein. Ihr Platz ist bestimmt durch die dort stattfindende Ausathmung und dreht sich mit dem drehenden Luftringe.“ Haec verbis certe ab iis, quae antea disputata sunt, omnino dissentiunt. Num Teichmuellerus id solum egerit, ut sententiam priorem alio modo explicaret, an novam opinionem proponere voluerit, dicere non ausim. Atque haec de Teichmuelleri sententia satis sunto.

1) Facile patet, talem quandam opinionem non potuisse ante existere, quam cognitum esset, stellas non omnes in eadem sphaera defixas esse, id est, non ante quam planetae distinguerentur a stellis fixis.

2) Plat. Rep. X, 616, C sq.

infixam, illi autem annuli cavi ubique igne, in quo ipsa stella consistit, repleti sunt eiusque flammas eo loco, quo Platonis vorticelli stellam continent, per rotundum foramen emittunt. Num Pythagorei etiam annulos Platonis vorticellorum similes an sphaeras posuerint, incertum est. Nam etsi Alexander et Theo, qui soli de hac re loquuntur[1]), sphaerarum vocabulo utuntur, tamen propter illam Platonis opinionem conicere licet, illos scriptores in adhibendo hoc vocabulo neglegentiores fuisse[2]).

Certe autem huc pertinent eae quae a Parmenide ponuntur coronae (*στεφάναι*). Nam coronas illas sibi implicatas (*στεφάνας περιπεπλεγμένας ἐπαλλήλους*) non intellegi posse sphaeras sese amplectentes, ut putant, pluribus rationibus ostenditur. Primum enim cum corona proprie dicta formam habeat annuli sive circuli, qui cingat quidem caput, nec vero totum tegat atque circumcludat, prorsus incredibile est, Parmenidem, si sphaeras intellegi voluisset, coronae vocabulo usurum fuisse, praesertim cum ipsum sphaerae vocabulum in promptu esset. Deinde Cicero id, quod a Parmenide appellatur *στεφάνη*, aperto dicit quiddam coronae simile, dicens: „Parmenides commenticium quiddam coronae similitudine efficit (*στεφάνην* appellat) continentem ordore lucis orbem, qui cingat coelum, quem appellat deum“[3]). Cicero igitur coronam propria

1) Alex. Aristot. Metaph. p. 29, 5. ed. Bonitz; Theo, Astrom. p. 212.

2) Cf. Zeller, I, p. 397 et not. 1.

3) Cic. N. D. I, 11, 28. Qui locus quamquam paullo obscurior est, mihi tamen e cognitione satis accurata fluxisse videtur. Quod ad lectionem attinet, pro 'continente', quod Davisio debetur, cum libris scripsi continentem'. 'Continens ardore lucis orbis' est orbis, qui ardore lucis continens est ('ardore' est ablat. caussae) idque idem est atque 'orbis, qui e continenti ardore lucis constat'. Id autem propter loci sententiam postulatur. Ipsa corona, quae h. l. a Cicerone describitur, ea est, quam ipse Parmenides deam (*δαί-*

sua, non sphaerae significatione accipit. Tum eo Stobaei loco, quo uno Parmenides coronae accuratius memorantur, eae mundi partes, quae revera sphaerae sunt, ipso vocabulorum usu satis aperte a coronis distinguuntur[1]). Nam

---

μονα) appellat omnis motus et generationis effectricem, quamque inter omnes coronas volt mediam esse. Quod Cicero ait, hanc coronam cingere coelum, Parmenides coelum, quod 'τὸ πυρῶδες' appellat, inferius esse statuit quam sphaeram aetheris, in qua luna et sol et lucifer circa mundi axem circumferuntur. Quare si Ciceronis narratio ex ipsa Parmenidis doctrina fluxit, quod equidem puto, non parvi momenti est ad cognoscendum ordinem, quo Parmenides coronas voluerit dispositas esse. De qua re postea nonnulla dicentur.

1) Locus Stobaei I, 22 p. 482, est hicce: „Παρμενίδης στεφάνας εἶναι περιπεπλεγμένας ἐπαλλήλους, τὴν μὲν ἐκ τοῦ ἀραιοῦ τὴν δὲ ἐκ τοῦ πυκνοῦ, μικτὰς δὲ ἄλλας ἐκ φωτὸς καὶ σκότους μεταξὺ τούτων. καὶ τὸ περιέχον δὲ πάσας τείχους δίκην στερεὸν ὑπάρχειν, ὑφ' ᾧ πυρώδης στεφάνη, καὶ τὸ μεσαίτατον πασῶν [sc. στερεὸν ὑπάρχειν], περὶ ὃ [vel ᾧ; libri habent ὃν et ὧν] πάλιν πυρώδης.* τῶν δὲ συμμιγῶν τὴν μεσαιτάτην ἁπάσαις τοκέα πάσης κινήσεως καὶ γενέσεως ὑπάρχειν, ἥντινα καὶ δαίμονα . . . ἐπονομάζει . . . . . περιστάντος δὲ ἀνωτάτω πάντων τοῦ αἰθέρος, ὑπ' αὐτὸ τὸ πυρῶδες ὑποταγῆναι, τοῦθ' ὅπερ κεκλήκαμεν οὐρανόν, ὑφ' οὗ ἤδη τὰ περίγεια". De hoc loco, qui propter nimiam brevitatem valde imperspicuus est, duo solum moneo ad sententiam intellegendam omnino necessaria. Primum in altera loci parte: 'καὶ τὸ περιέχον δὲ — καὶ τὸ μεσαίτατον πασῶν' ad nomen 'τὸ μεσαίτατον πασῶν' praedicatum supplendum est 'στερεὸν ὑπάρχειν'. Facile enim patet, hanc verborum esse sententiam: „τὸ περιέχον πάσας καὶ τὸ μεσαίτατον πασῶν στερεὰ ὑπάρχειν', id est sphaeram extimam, quae omnes coronas amplectatur, et terram, quae totius mundi partem mediam occupet, corpora solida esse. Deinde, quod attinet ad verba statim sequentia: 'περὶ ὃν (vel περὶ ὧν) πάλιν πυρώδης' statim apparet, 'περὶ ὃ' vel 'περὶ ᾧ' legendum esse. Sed etiam vocabulum πυρώδης maximo opere suspectum est. Nam sine dubio de ea agitur mundi parte, quae terram eique circumfusum aerem circumcludat; haec autem cum, ut e loci fine apparet, a Parmenide

postquam coronae appellatae sunt, sphaera illa solida, quae muri instar omnes coronas extrinsecus circumcludat, dicitur 'τὸ περιέχον πάσας', nec vero 'ἡ περιέχουσα', et terra dicitur 'τὸ μεσαίτατον πασῶν', non 'ἡ μεσαιτάτη'. Haec igitur ipsis appellationibus a coronis distinguuntur. Pariter coelum, in quo stellae creduntur defixae esse, appellatur 'τὸ πυρῶδες', et sphaera aetheris 'ὁ αἰθὴρ ἀνωτάτω πάντων περιστάς', non 'στεφάνη τοῦ αἰθέρος'. Atque idem vocabulorum usus cernitur etiam in ipsius Parmenidis fragmentis[1]). Denique, quod coronae dicuntur 'περιπεπλεγμέναι', etiam duo circuli sive annuli, quorum alter alteri oblique inseritur, recte dici possunt περιπλεγμένοι. Itaque Parmenidis coronae non sunt sphaerae, sed significant et naturaliter possunt solum significare tales orbes, quales sunt Platonis vorticelli et Anaximandri annuli.

Ipsa Parmenidis doctrina hoc loco non ita exponi potest, ut singula quaeque rationibus idoneis comprobentur, quoniam ad hanc rem disputatione opus est longiore, quam ut eam hoc loco liceat inserere. Quare breviter tantum, quid mihi videatur, proponam. Itaque si Stobaei locos et tria ipsius Parmenidis fragmenta inter se comparamus[2]), efficitur, ut Parmenidis conceptio universa haec fere sit: Universi mundi quattuor potissimum partes vel potius sphae-

---

appelletur 'τὸ πυρῶδες', non poteris non suspicari, pro πυρώδης legendum esse πυρῶδες. Iam vero cum libri exhibeant περὶ ὃν vel περὶ ὧν, cum verisimile sit, etiam litterae ν aliquid veri subesse, non absonum videtur conicere, ν ortum, esse e τὸ, 'πάλιν' autem e 'καλούμενον' per compendium scripto, ita ut legendum sit: 'περὶ ὃ τὸ καλούμενον πυρῶδες' — id quod ad universi loci sententiam aptissimum est. Si hoc non conceditur, legi possit 'πυρώδεις'. Res postea magis apparebit.

1) Parmen. Fragm. ed. Mullach v. 133 sq.; 140 sq.; coll. v. 126.

2) Stobaei loci sunt maxime Ecl. I, 22, p 482; 24, p. 510 et 518; 25, p. 532. Parmenidis fragm. v. 133; 140; 126, ed. Mullach.

rae sunt. Mediam mundi partem occupat terra solida eique circumfusus aer, quae e materia crassa et opaca constant. Aerem ab omnibus partibus amplectitur coeli sphaera, in qua sidera putantur infixa esse, quae Parmenidis sententia ex opaca et lucida materia mixta est et ab eo *τὸ πυρῶδες* vocatur. Coeli sphaerae circumfusa est sphaera aetheris, e pura constans materia lucida. Denique in extremo circuitu est sphaera solida e crassa materia confecta, totum mundum muri instar amplectens, quae *Ὄλυμπος* appellatur. Ex hac mundi descriptione primum apparet, a Parmenide duo solum poni corpora solida, terram et sphaeram ultimam; deinde, tres mundi sphaeras (nam sphaera ultima non nisi mundi terminus est) eo maxime differre, quod sphaera media sive infima, id est, terra cum aere ipsi circumfuso, per se tota crassa et opaca, sphaera summa, quae est aetheris, tota subtilis et lucida, sphaera denique coeli inter duas illas media ex utraque natura mixta sit.

In coeli sphaera et aetheris stellae sunt. Harum Parmenides eas, quae in coelo (*τῷ πυριώδει*) sint, omnium statuit infimas esse; supra coelum in aetheris sphaera infimam ponit lunam, hac superiorem solem, summam denique Veneris stellam sive luciferum[1]). Hae tres stellae cum diversis circulis diversisque

---

1) Stob. Ecl. I, 24, p. 518: „*Παρμενίδης πρῶτον τάττει τὸν ἑῷον, τὸν αὐτὸν δὲ ὑπ' αὐτοῦ νομιζόμενον καὶ ἕσπερον, ἐν τῷ αἰθέρι, μεθ' ὃν τὸν ἥλιον, ὑφ' ᾧ τοὺς ἐν τῷ πυρώδει ἀστέρας, ὅπερ οὐρανὸν καλεῖ*". Hoc Stobaei loco luna non nominatur; sed eam in aethere infra solem poni, colligitur e duobus ipsius Parmenidis fragmentis v. 133 sq. et v. 144, quibus stellae certo quodam ordine enumerantur; e quibus fragmentis apparet etiam, omnes stellas a Parmenide in aetheris et coeli sphaera poni. Priore loco haec leguntur:

„*εἴσῃ δ' αἰθερίην τε φύσιν τά τ' ἐν αἰθέρι πάντα*
σήματα, καὶ καθαρᾶς εὐαγέος ἠελίοιο
λάμπαδος ἔργ' ἀΐδηλα . . . .

a centro distantiis circa mundi axem moveantur, sine dubio habent, quo ferantur. Iam Parmenides, de coronis loquens easque partim latiores partim angustiores, id est, partim superiores partim inferiores esse dicens, eam earum, quae inter omnes media sit, deam (*δαίμονα*) appellat omnis motus et generationes effectricem[1]); hancque eandem coronam Cicero orbem appellat e continenti ardore lucis constantem, qui orbis cingat coelum (*τὸ πυρῶδες*)[2]). Cum igitur haec corona locum teneat inter omnes medium et Ciceronis testimonio coelum cingat (quoniam effectrix dicitur omnis motus, non veridissimile est, eam coelum in circulo aequinoctiali cingere), eas coronas, quae hac superiores sunt, ipsi sine dubio omnino similes, in aethere esse oportet. Hae autem quid possunt esse nisi orbes annulorum similes, quibus stellae, luna, sol, lucifer sustineantur et ferantur? Eodem autem modo eas coronas, quae media illa ac coelum cingenti inferiores et idcirco in ipso coelo (*τῷ πυρώδει*) sunt, se habere oportet

---

ἔργα τε κύκλωπος πεύσῃ περίφοιτα σελήνης
καὶ φύσιν· εἰδήσεις δὲ καὶ οὐρανὸν ἀμφὶς ἔχοντα.“

Alteró haec:

„(*εἰδήσεις*) *πῶς γαῖα καὶ ἥλιος ἠδὲ σελήνη*
αἰθήρ τε ξυνὸς (id est, soli et lunae communis) *γάλα τ' οὐράνιον καὶ Ὄλυμπος κτλ.*“

Cf. Stob. I, 25, p. 532.

1) Stob. I, 22, p. 482; vid. supra p. 385 not. 1 et Parm. fragm. v. 126.

2) Quod hanc, quam diximus, deam putant a Parmenide in medio poni mundo (cf. Zeller I, p. 485 et not. 1), id et omnino pugnat cum Stobaei, Ciceronis, ipsius Parmenidis verbis, nec consociari potest cum universa Parmenidis ratione. Huius enim sententia divinum atque optimum non in medio mundo, id est in terra, e crassa et opaca materia constanti, sed non nisi in circuitu, id est, in aetheris sphaera esse potest. Pythagoreorum *ἑστία* a Parmenidis mundi centro tota sua natura diversa est.

ad stellas quasdam in ipso coelo positas. Si cui mirum videatur, quod dicimus in coelo stellas poni, quarum suae quaeque coronae sive orbi infixa sit, reputandum est, coelum Parmenidis sententia non esse corpus solidum, et, cum e crassa et subtili materia mixtum sit, sine dubio magis etiam quam aerem pervium esse. Quae illae in coelo stellae putandae sint, omnino non traditur. Partim certe reliqui planetae esse videntur, aut omnes aus aliqui eorum; nam planetas Parmenidi cognitos fuisse, inde coniciendum est, quod cogniti erant Pythagoreis; verum nihil etiam impedit, quominus Parmenides ipsum coelum in plures orbes diviserit, quorum quisque aut unam stellam aut etiam plures in eodem circulo positas circumferret. Sed hanc rem omitto, quia de ea propter testimoniorum inopiam nihil certi cognosci potest, id tantum addens, idem de Anaximandro quoque quaerendum esse.

Est vero alia quaestio, quam non licet silentio praetermittere. Etenim Parmenides ipsas stellas voluit coagmentationes ignis (*πυρὸς πιλήματα*) esse[1]), hac autem ignis coagmentationes num voluerit globosas esse nec ne, nullis, quod sciam, veterum testimoniis compertum est. Quare quaerendum est, utrum coronas illas putaverit suam quamque stellam uno quodam loco infixam habere tamquam coronae gemmam, an eas cum Anaximandro statuerit annulos cavos esse, qui ubique stellarum igne repleti essent eumque per foramina quaedam effunderent. Illud verisimilius videri potest cum propter Pythagoreorum doctrinam et volgarem hominum opinionem, tum propterea, quod lunam statuit lumen a sole accipere[2]); hoc eo commendatur, quod corona illa media Cicerone teste est orbis e continenti lucis ardore constans. Quare utra Parmenidis sententia sit, equidem diiudicare non ausim.

---

1) Stob. I, 24. p. 510.

2) Stob. I, 26, p. 550; Plut. Plac. II, 26; Parm. fragm. v. 144.

Si Parmenidis coronae sunt orbes annulorum similes, haec res non parvi momenti est ad confirmanda ea, quae de ipsius Anaximandri doctrina disputavimus, propterea, quod inter Parmeniden et Anaximandrum aliqua necessitudo videtur intercedere. Etenim D. Laertius refert, Parmenidem a Theophrasto dici Anaximandrum audivisse (*ἀκοῦσαι*)[1]. Quamquam audire quidem Anaximandrum non potuit, utpote iam mortuum, antequam ipse natus esset, tamen Diogenis verbis arbitror aliquid veri subesse; ac mihi quidem non improbabile videtur, Diogenem, cum legisset '*ἀκολουθῆσαι*', pro hoc verbo memoriae errore scripsisse '*ἀκοῦσαι*'[2]. Nam Parmenides in sua de mundo opinabili doctrina pluribus partibus cum Anaximandro mirifice consentit. Primum enim, quae a Parmenide ponuntur mundi opinabilis elementa, materia crassa frigida opaca et materia rara calida lucida, a duabus illis Anaximandri naturis contrariis re vix diversa sunt[3]. Deinde, ut alias similitudines praeteream, in ea re omnino cum Anaximandro consentit, quod stellis, quae putari solent in coelo defixae esse, huicque coelo ipsi non summum adsignat locum, sed pariter atque ille (de hac re paullo post agemus) has stellas omnium infimas esse putat, supra hasce autem lunam et superiorem etiam solem ponit. Haec autem res eo gravior est, quod haec stellarum descriptio omnino contraria est Pythagoreorum rationi, quae certe ei non erat ignota. Quare non improbabile videtur,

---

1) D. L. IX, 20: „*Θεόφραστος ἐν τῇ ἐπιτομῇ Ἀναξιμάνδρου φησὶν ἀκοῦσαι*".

2) Sagaciter Usenerus (Anal. Theophrast. p. 42) ad Diogenis verba animadvertit, Hippolytum, in cuius primo libro plurima vestigia Theophrasteae doctrinae cernantur, Parmenidem a Xenophane (cap. 11 et 14) seiungere. Si revera Hippolytus in hac re Theophrastum sequitur, consequens est, ut is Parmenidem cum aliis philosophis arctius coniunxerit.

3) Vid. supra p. 257.

eum in hac stellarum dispositione Anaximandrum secutum esse. Quod si ponimus, non sine caussa videmur statuere, eum etiam coronarum illarum opinionem primum ex Anaximandri annulis suscepisse.

Inter philosophos Ionicos primus Anaximenes similem sententiam videtur secutus esse. Quamquam enim universa eius sententia propter testimoniorum paucitatem vix primis lineamentis concipi potest, tamen id, quod volumus, sic fere patebit. Anaximenes stellarum originem inde repetit, quod a terra, quae prima aeris condensatione orta sit, eiusdem rarefactione humores exstiterint, qui, cum ad circuitum pervenissent, circumactione celerrima magis etiam rarefacti eoque in ignem conversi sint[1]. Qua ratione hunc ignem putaverit ad conficiendas stellas in unum locum congregari, ne levissimo quidem vestigio indicatur, quamquam dubitari non potest, quin certas huius rei caussas posuerit. Verum traditur docuisse, una cum stellis circumferri (circa mundi axem, ut alio loco ostendetur) corpora quaedam crystallina et id-

---

1) Hippol. Refutt. I, 7: „*γεγονέναι δὲ τὰ ἄστρα ἐκ γῆς διὰ τὸ τὴν ἐκμάδα ἐκ ταύτης ἀνίστασθαι, ἧς ἀραιουμένης τὸ πῦρ γίνεσθαι, ἐκ δὲ τοῦ πυρὸς μετεωριζομένου τοὺς ἀστέρας συνίστασθαι.*“ Plut. ap. Euseb. Praep. Ev. I, 8, 3: „*τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην καὶ τὰ λοιπὰ ἄστρα τὴν ἀρχὴν τῆς γενέσεως ἔχειν ἐκ γῆς. ἀποφαίνεται γοῦν τὸν ἥλιον γῆν, διὰ δὲ τὴν ὀξεῖαν κίνησιν * καὶ μαλ' ἱκανῶς θερμοτάτην κίνησιν λαβεῖν.*“ Ultima verba '*καὶ μαλ' ἱκανῶς κτλ.*' absurda sunt. Legendum videtur aut '*καὶ πάλιν ἀραίωσιν*', aut, quod melius videtur, '*καὶ μᾶλλον ἀραίωσιν θερμότητα γένεσιν λαβεῖν*'. Hoc ipsi in disputatione expressimus. Stellas ex igne constare, narrat etiam Stob. I, 24, p. 510 et 25, p. 524; Theodoret. Gr. aff. cur. 4, p. 798 ed. Hal. Unde Anaximenes celerem illum motum, quo humores in ignem converti vidimus, repetierit, nullo modo traditur. Sed cum putaret humores e terra ortos ad mundi circuitum ferri, hos oportebat, simulatque ad aerem pervenerunt omnia cingentem (Anaximenis enim sententia aer infinitus mundum ab omnibus partibus amplectitur), cum eum non possent perrumpere, in orbem circumagi. Hanc fortasse illius conversionis caussam posuit.

circo invisibilia, in quibus stellae tamquam umbones sive bullae (*ἥλων δίκην*) infixae essent[1]). Haec igitur corpora invisibilia, quae stellas dicuntur tamquam bullas infixas habere et una cum iis circumferri, quid possunt intellegi nisi orbes annulorum similes, praesertim si reputamus, Anaximenem esse Anaximandri discipulum, sphaerarum autem opinionem nondum inventam fuisse?

Haec si probabiliter videntur disputata esse, similis sententia Anaxagorae quoque tribuenda erit. Nam is quoque traditur docuisse, una cum sole et luna circumferri quaedam corpora nobis invisibilia[2]). Sed haec utut se habent — non enim possunt certis argumentis probari — quae de Anaximandri sententia diximus, etiam sine his similitudinibus satis certa sunt.

7. Anaximander, ut antea iam significavimus, stellas docet diversis intervallis a terra sive a mundi centro distare, in dispositione autem eorum ab opinione volgari omnino recedit. Nam non iis stellis, quae in coelo videntur defixae esse et hanc ob caussam inerrantes vocabantur,

---

1) Hippol. l. l. statim post verba in adnot. proxima allata: ‘*εἶναι δὲ καὶ γεώδεις φύσεις ἐν τῷ τόπῳ τῶν ἀστέρων συμφερομένας ἐκείνοις.*“ Idem accuratius refertur a Stobaeo, I, 24, p. 510: „*Ἀναξιμένης πυρίνην μὲν τὴν φύσιν τῶν ἀστέρων, παρέχειν* (lege *ὑπάρχειν*) *δέ τινα καὶ γεώδη σώματα συμπεριφερόμενα τούτοις, ἀόρατα· ἥλων δὲ δίκην καταπεπηγέναι τὰ ἄστρα τῷ κρυσταλλοειδεῖ.*“ *Τὸ κρυσταλλοειδὲς* idem est atque illa *γεώδη σώματα ἀόρατα* antea nominata; nam posterior loci pars aperte prioris explicatio est. Quod illic dicuntur una cum stellis corpora quaedam invisibilia circumferri, id hoc loco eo explicatur, quod stellae in corpore crystallino et hanc ob caussam perlucido dicuntur infixae esse. *Ἧλοι* hoc loco non sunt clavi, quibus aliquid defigitur, sed potius umbones sive bullae, quales in poculis, sceptris, gladiorum vaginis cernuntur, qui est vocis usus frequentissimus.

2) Hippol. Refutt. I, 8: „*εἶναι δ' ὑποκάτω τῶν ἄστρων ἥλιον καὶ σελήνην, καὶ σώματά τινα συμπεριφερόμενα ἡμῖν ἀόρατα.*“

summum locum adsignat, sed omnium summum ponit solem, multo inferiorem lunam, infimos reliquos, quos forte cognoscebat, planetas et eas stellas, quae in coelo videntur defixae esse[1]). Quibus rationibus ad ad hanc opinionem adductus sit, nullis historiae testimoniis compertum est, et inutile est, coniecturas proponere, quoniam, quamvis per se non improbabiles sint, tamen non possunt certis argumentis probari.

Nec tamen propterea dubitandum est, num Anaximander hanc opinionem habuerit, quemadmodum Roethio videtur[2]), iam eam unam ob caussam, quod in ea referenda omnes scriptores consentiunt. Difficile enim est, plures in eodem consentire errore, praesertim si is error sententiam continet propter ipsam eius singularitatem suspectam. Praeterea autem haec opinio non unius Anaximandri est, sed eandem vidimus a Parmenide propositam esse. Ac mihi quidem verisimile videtur, Anaximenem quoque eam a magistro susceptam retinuisse[3]). A Placitorum autem

---

1) Hippol. Refutt. I, 6: „*καὶ ἀνωτάτω μὲν εἶναι τὸν ἡλίου, κατωτάτω δὲ τοὺς τῶν ἀπλανῶν ἀστέρων κύκλους.*“ Plut. Plac. II, 15: „*Ἀναξίμ. καὶ Μητρόδωρος ὁ Χιὸς καὶ Κράτης ἀνωτάτω τὸν ἥλιον τετάχθαι, μετ' αὐτὸν δὲ τὴν σελήνην, ὑπὸ δὲ αὐτοὺς τὰ ἀπλανῆ τῶν ἄστρων καὶ τοὺς πλανήτας.*“ Eodem modo Galen. 13; Euseb. Praep. Ev. XV, 46; Stob. I, 24, p. 510, praeterquam quod is Metrodorum et Cratem omittit.

2) E. Roeth, Gesch. der Abendl. Philos. II, 1, p. 256 et 2, p. 15, f.

3) Stobaeus I, 23, p. 500, in capite de coeli natura, haec refert: „*Ἀναξιμένης καὶ Παρμενίδης τὴν περιφορὰν τὴν ἐξωτάτω* * *τῆς γῆς εἶναι τὸν οὐρανόν.*“ Stobaeus igitur Anaximeni eandem atque Parmenidi de coelo sententiam tribuit. Iam vero ipse paullo ante, p. 482, rettulit, a Parmenide sphaeram terrae proximam, quam *τὸ πυρῶδες* appellaret, nec vero sphaeram mundi ultimam, quam solidam esse vellet, coelum vocari. Ergo Anaximenem quoque dicit coelum, in quo stellae videantur defixae esse, non ultimam quandam mundi sphaeram solidam, sed sphaeram infimam terrae-

scriptoribus in iis, qui hanc opinionem sequantur, praeter Anaximandrum Metrodorus etiam Chius et Crates adferuntur[1]). Adferri etiam potest, quod Hippolytus, postquam brevi ante illam Anaximandri opinionem rettulit, de Anaxagora loquens, hunc diserte memorat solem et lunam infra stellas inerrantes ponere[2]), propterea scilicet, ut eum hac re ab Anaximandro et, ut ego quidem opinor, ab Anaximene, de quo proxime disputavit, differre significet. Sed etsi nescimus, quibus rationibus Anaximander primum ad statuendam hanc stellarum dispositionem adductus sit,

---

que proximam putare. Reliqui quidem Placitorum scriptores Parmenidem omittunt. Namque ille Stobaei locus apud Plut. Plac. II, 11 et Galen. Hist. Phil. c. 12 sic legitur: „Ἀναξιμένης τὴν περιφορὰν τὴν ἐξωτάτω γηΐνην", apud Euseb. Praep. Ev. XV, 42 hoc modo: „Ἀναξιμένης τὴν περιφορὰν τῆς ἔξωθεν (ἔξω) ζώνης εἶναι." Sed Parmenidis nomen multo facilius, si in fontibus scriptum erat, ab hisce scriptoribus omitti, quam, si in illis non erat scriptum, a Stobaeo addi poterat. Praeterea autem Anaximenis sententia ipse infinitus aer mundum ab omnibus partibus amplectitur, ita ut sphaera solida omnia cingenti non videatur opus esse. Iam vero si sumimus, illo Stobaei loco recte Anaximeni eandem atque Parmenidi sententiam tribui, verba 'περιφορὰν τὴν ἐξωτάτω τῆς γῆς' non possunt vera esse. E mira autem varietate, qua haec sententiae pars a Placitorum scriptoribus traditur, colligendum est, iam in eorum fonte lectionem fuisse turbatam. Quare e diversis lectionibus ea erit eligenda, quae cum Parmenidis doctrina, quippe quae hac parte omnino nota sit, maxime consentire videatur. Cum hac autem minus etiam consentit illud Plutarchi et Galeni 'περιφορὰν τὴν ἐξωτάτω γηΐνην', quoniam Parmenidis coelum (τὸ πυρῶδες) non apte dici potest 'γηΐνον'. Plane autem cum ea consentit, si in Stobaei loco pro 'ἐξωτάτω' ex Eusebio ponimus 'ἔξωθεν', totumque locum sic scribimus: 'τὴν περιφορὰν τὴν ἔξωθεν τῆς γῆς'. Ita igitur locum existimo scribendum esse.

1) Vid. supra p. 393 not. 1.

2) Hippol. Refutt. I, 8: „εἶναι δ' ὑποκάτω τῶν ἄστρων ἥλιον καὶ σελήνην".

tamen, ad quam caussam efficientem eam rettulerit, satis certe videtur cognosci posse; de qua re infra dicetur.

Num praeter solem et lunam alios etiam planetas a reliquis stellis distinxerit nec ne, et si distinxit, utrum eos stellis inerrantibus superiores an inferiores esse voluerit, e locis allatis non certo apparet Praeterea id quoque dubitari potest, num omnes stellas inerrantes (inerrantes dico, ut rem, non ut Anaximandri sententiam significem) in una continenti coeli sphaera infixas esse voluerit, an coelum ipsum putaverit ex innumeris annulis aeriis constare, quorum suam quisque stellam, id est, solidum annulum igneum includeret. Cum ipsis veterum testimoniis posterius solum consentit. His enim sine ulla planetarum et stellarum inerrantium distinctione Anaximandri stellae dicuntur orbes esse annulorum similes, qui repleti sint igne[1]; et Hippolytus aperte ʻ*τοὺς τῶν ἀπλανῶν ἀστέρων κύκλους*ʼ appellat[2]. Quod si accipimus, ad explicandam eam rem, quod in eodem coeli circulo plures stellae cernuntur, sumi possit, eundem annulum non uno tantum, sed pluribus foraminibus uti, per quae ignis inclusus effulgeat. Sed haec res propter summam testimoniorum paucitatem in incerto relinquenda est. Si cui autem mirum videatur, Anaximandrum non unam continentem stellarum inerrantium sphaeram posuisse, si volgarem hominum opinionem omittimus, cuius in Anaximandro non magna vis est, illa unius stellarum sphaerae opinio in Graecia certe Pythagoreis videtur originem debere; facile autem fieri potest, ut Anaximander stellas, quae inerrantes dicuntur, non in eiusdem sphaerae circuitu, sed alias superiores, alias inferiores esse putaverit.

Denique, ut tota mundi descriptio cogitatione absolvatur, propter ea, quae diximus, conicere licebit, Anaximan-

---

1) Vid. supra p. 358 sq. cum notis.

2) Hippol. Refutt. I, 6. Vid. supra p. 393 not. 1.

dri sententia mundum non aliqua sphaera solida, sed statim ab ipsa infinita substantia circumcludi. Atque id significari videtur eo, quod a Tatio refertur coelum dixisse 'volucre (πτηνὸν) ignis particeps'[1]; tamquam si avem dixerit, quae nulla re sustenta libro volatu spatia emetiretur. Deinde, cum inter stellarum orbes non possent non quaedam intercedere intervalla, Anaximander existimandus erit credidisse, haec intervalla aere rariore repleta esse, pariterque id spatium, quod inter solis annulum et mundi polos esset, ita aere expleri, ut unius globi figura perficeretur.

Eudemus Simplicio teste in Astrologiae historia rettulerat, Anaximandrum primum rationem invenisse stellarum magnitudines et distantias dimetiendi[2]. Ac profecto is antiquiorum philosophorum primus est, et, si Pythagoreos omiseris, unus etiam, cuius aliqui magnitudinum numeri referantur. Ipsi numeri memoriae proditi sunt hi: Terrae latitudo triplo maior est altitudine[3]. Lunae annulus undeviginti partibus maior est quam terra. Solis annulus viginti septem partibus maior est quam annulus lunae (haec Hippolyti narratio est, quam ipsi probavimus)[4], vel (ut Placitorum scriptores referunt) viginti septem vel viginti octo partibus maior quam terra[5].

1) Achill. Tat. Isag. 5: „*Ἀναξίμ. δὲ (τὸν οὐρανὸν) πτηνὸν πυρὸς μετέχοντα.*“

2) Simplic. Comment. in Aristot. Coel. II, 10. 291ª 29 sq., ubi is de ordine et distantiis stellarum ad libros astrologicos relegat, haec adnotat (schol. Aristot. 497ª 8): „*καὶ γὰρ ἐκεῖ περὶ τῆς τάξεως τῶν πλανωμένων καὶ περὶ μεγεθῶν καὶ ἀποστημάτων ἀποδέδεικται, Ἀναξιμάνδρου πρώτου τὸν περὶ μεγεθῶν καὶ ἀποστημάτων λόγον εὑρηκότος, ὡς Εὔδημος ἱστορεῖ, τὴν τῆς θέσεως τάξιν εἰς τοὺς Πυθαγορείους πρώτους ἀναφέρων.*“ Librum Eudemi '*ἀστρολογικὴ ἱστορία*' ibid. p. 498ª 46 memorat.

3) Plut. apud Euseb. Praep. Ev. I, 8, 2. Vid. supra p. 348 not. 2.

4) Vide locum supra p. 370 not. 1.

5) Vide locos supra p. 369, not. 3, et de luna p. 373, 1.

Hos numeros ab eo non temere acceptos sed ratione ac via inventos esse, ex iis patet, quae a veteribus de hac re traduntur. Nam praeterquam quod Eudemus ab eo inventam esse dicit rationem (*τὸν λόγον*) magnitudinum et distantiarum dimetiendarum, alii eum narrant gnomonem invenisse eoque ad solstitium brumamque et aequinoctia cognoscenda usum esse[1]). Et quamquam verum esse videtur, quod Herodotus narrat, gnomonem a Babyloniis inventum esse[2]), tamen non dubitari potest, quin Anaximander eum in Graeciam invexerit et ad res coelestes cognoscendas adhibuerit. Immo etiam sphaerae excogitatio ei tribuitur[3]).

Sed quonam gnomonis usu solis lunaeque et harum stellarum annulorum magnitudines invenire potuit? Sine dubio annulorum magnitudines e stellarum distantiis ratiocinando effecit. In qua re, quod ad lunae distantiam pertinet, monendum est, Anaximandrum solis defectum nondum ab umbra subvenientis lunae repetiisse, ergoque oportere alias fuisse caussas, cur lunam sole putaret inferiorem esse. Sed qua ratione gnomonis ope solis et lunae distantias cognoscere potuit? Num forte cognoverat, eodem tempore eiusdem gnomonis umbram aut maiorem aut minorem esse, prout aut in regione magis septentrionali aut magis meri-

---

1) D. Laert. II, 1: „*εὗρε δὲ καὶ γνώμονα πρῶτος καὶ ἔστησε ἐπὶ τῶν σκιοθήρων ἐν Λακεδαίμονι, καθά φησι Φαβορῖνος ἐν παντοδαπῇ ἱστορίᾳ, τροπάς τε καὶ ἰσημερίας σημαίνοντα*". Euseb. Praep. Ev. X, 14, 11: „*οὗτος (ὁ Ἀναξίμ.) γνώμονας κατεσκεύασε πρὸς διάγνωσιν τροπῶν τε ἡλίου καὶ χρόνων καὶ ὡρῶν καὶ ἰσημερίας*". Eadem inveniuntur apud Suidam s. v. *Ἀναξίμανδρος, γνώμων, ἡλιοτρόπιον*. Plinius, qui II, 76, quae Diogenes de Anaximandro refert, de Anaximene dicit, sine dubio errat.

2) Herod. II, 109: „*πόλον μὲν γὰρ καὶ γνώμονα . . . . παρὰ Βαβυλωνίων ἔμαθον οἱ Ἕλληνες.*"

3) Plin. VII, 16: „Sphaeram in ea (astrologia) Milesius Anaximander (invenit)." Idem II, 2 init. sphaerae inventionem Atlanti tribuit.

dionali constitutus esset, hacque re aliquo modo usus est ad inveniendam solis distantiam? Nam profecto illa cognitio ultro quasi menti se offerebat, si sibi persuaserat, gnomonis umbra circulum zodiacum cognosci; et cum Lacedaemone gnomonem in solariis statuisse tradatur[1]), nihil impedit, quominus illam umbrae rationem ipsa experientia cognoverit. Quamquam, num hac cognitione potuerit uti, ab eius scientia mathematica pendet[2]). Verum fieri etiam possit, ut illam umbrae rationem a Babyloniis didicerit, vel etiam ab Aegyptiis, qui primi dicuntur ea ad cognoscendam solis distantiam usi esse[3]). Nec vero praetereundum est, in illis Anaximandri numeris quiddam inesse, e quo conici possit, eum in constituendis magnitudinum et distantiarum rationibus quendam ipsorum numerorum ordinem ac legem secutum esse; quod quid intellegam, ex adnotatatione patebit[4]). Denique non inutile videtur, aliquem

---

1) D. Laert. l. l.

2) Suid. s. v. *Ἀναξίμανδρος: „γνώμονά τε εἰσήγαγε καὶ ὅλως γεωμετρίας ὑποτύπωσιν ἔδειξεν."*

3) Vid Incerti auctoris excerptum mathematicum in Iani Macrob. I, 17.

4) Antea vidimus, solis annulum ab Hippolyto dici XXVII partibus maiorem esse quam annulum lunae, a Placitorum autem scriptoribus XXVII vel XXVIII partibus maiorem quam terram. Omittimus hoc loco, quod solis annulus ab illo cum annulo lunae, ab his cum terra comparatur. Sed hoc mirum videtur, quod de eiusdem rei magnitudine ex iisdem sine dubio fontibus hi duo numeri, XXVII et XXVIII referuntur. In ipsa disputatione monuimus, Anaximandrum magnitudinem solis annuli sine dubio invenisse e solis a terra distantia. Iam si sumimus, stellae alicuius a terra distantiam intellegi id intervallum, quo stella a terrae circuitu sive margine absit, si exempli caussa ponimus, stellam aliquam V terrae radiis a terrae margine distare, huius stellae a terrae centro distantia non V sed VI partibus maior est quam terrae radius, quoniam hic ipse radius adsumendus est; et idcirco etiam stellae annulus non V sed VI partibus maior est quam terrae cir-

Ciceronis locum[1]) adponere, quo is de Ionicis philosophis in universum ita loquitur; „Ab antiqua philosophia usque ad Socratem, qui Archelaum, Anaxagorae discipulum, audierat, numeri motusque tractabantur et unde omnia orirentur quove reciderent; studioseque ab his siderum magnitudines, intervalla, cursus anquirebantur, et cuncta coelestia.

8. Quod ad stellarum motum attinet, Anaximander omnibus stellis motum circa mundi axem, soli et lunae autem praeterea conversionem per circulum zodiacum tribuit.

---

cuitus. Haec res videtur adhiberi posse ad explicandam numerorum illorum discrepantiam. Nam si ponimus, Anaximandrum putavisse, solem a terrae margine XXVII terrae radiis abesse (quamquam hoc absurdum est), solis annulus non XXVII sed XXVIII partibus maiorem esse oportet quam terrae circuitum. Atque inde patet, illam numerorum discrepantiam fortasse eo explicari posse, quod solis a terrae margine distantia et eiusdem a terrae centro distantia, a qua annuli magnitudo pendet, non distincta sint. Cum lunae annulus XIX partibus maior esse dicatur quam terra, in hac quoque re suspicari licet, Anaximandrum lunam putavisse XVIII terrae radiis a terrae margine distare et hanc ob caussam lunae annulum XIX partibus terrae circuitu maiorem posuisse. His disputatis si consideramus, terrae latitudinem triplo maiorem esse quam altitudinem, et ab hac re profecti distantiarum numeros sumimus, sed ita, ut cum Hippolyto ponamus solis annulum cum annulo lunae comparari, hos accipimus numeros:

terrae latitudo continet **3** terrae altitudines;
lunae a terra distantia 6. 3 terrae latitudines;
solis a terra distantia 9. 3 lunae distantias;

qui numeri sic positi videri possint quandam indicare seriem a numero ternario proficiscentem. Num verisimile sit, Anaximandrum tali quadam serie usum esse, id rursus pendet ab eius scientia mathematica. Sed totam hanc disputationem addidi, non quod in ea aliquid certi inesse putarem, sed ne quid omisisse viderer.

1) Tusc. V, 4.

Quod primum diximus, Anaximandri sententia omnes stellas circa mundi axem moveri, id non apertis quidem verbis traditur, verum ex iis, quae tradita sunt, necessario sequitur. Argumenta bipartita sunt. Primum Placitorum scriptores eo capite, quo de stellarum motu referunt, Anaximandri sententia stellas dicunt orbibus, in quibus insint, moveri (ὑπὸ τῶν κύκλων, ἐφ᾿ ὧν ἕκαστος βέβηκε, φέρεσθαι)[1]). Quamquam his verbis stellae non aperte dicuntur orbibus suis motu circulari moveri, tamen hunc motum intellegi propterea sumendum est, quod eo capite, e quo haec verba sumpta sunt, non nisi de motu circulari agitur. Accedit, quod, cum illos orbes viderimus annulos esse per totum mundi ambitum circumeuntes, alius eorum motus ne cogitari quidem potest. Eo autem loco, quo solis annuli magnitudinem referunt, alii quidem hunc appellant orbem, quo sol feratur (φέρεται), Stobaeus autem orbem, quo sol circumferatur (περιφέρεται), ipso vocabulo motum significans circularem[2]). Alterum argumentum, quo solo tota caussa absolvitur, in eo positum est, quod Anaximander ipso Aristotele teste coelum putabat ubique eodem intervallo a terra distare[3]); hoc enim simulatque positum est, stellarum motus iam omnino non potest nisi conversio circa mundi axem putari.

In universum autem equidem nullum esse opinor phi-

---

1) Plut. Plac. II, 16: „᾿Αναξίμ. ὑπὸ τῶν κύκλων καὶ τῶν σφαιρῶν, ἐφ᾿ ὧν ἕκαστος βέβηκεν, φέρεσθαι". Idem legitur apud Galen. c. 13 et Euseb. XV, 47. Quod his locis stellae dicuntur ὑπὸ τῶν κύκλων καὶ τῶν σφαιρῶν moveri, ita videtur explicandum esse, quod, ut supra nobis visum est, unusquisque annulus in aeris sphaera est, quae sine dubio una circumfertur.

2) Plut. Plac. II, 21: „τὸν δὲ κύκλον . . . ἐφ᾿ οὗ φέρεται." Sic etiam Galen. c. 14. Euseb. XV, 24 habet „ὑφ᾿ οὗ φέρεται." Stob. I, 25, p. 524: „τὸν δὲ κύκλον, ὑφ᾿ οὗ περιφέρεται."

3) Vid. supra p. 352.

losophorum Ionicorum, qui stellis non motum circularem tribuerit. De posterioribus, velut de Anaxagora et Democrito, res nota est. De Anaximene postea breviter docebitur. De Thalete dubitari quidem potest; sed si solis defectum praedixit, etsi huius rei cognitionem sine dubio e temporibus notatis acceperat, tamen, ut vir rerum coelestium studiosissimus et magno ingenio praeditus, non potuit non quaerere, quae tantae constantiae condicio ac caussa esset. Hoc autem quaerens vix potuit non de motu circulari cogitare huncque sentire eum esse, qui solus et rationi et rerum explicationi sufficeret. Nec id eo refellitur, quod terrae putabat aquam subiectam esse; siquidem Anaxagoras etiam et Democritus, etiamsi terrae subiciebant aerem, nihilo secius stellas circa mundi axem movebant.

Cum igitur stellarum orbes Anaximandri sententia circa mundi axem convertantur, quaeritur, quomodo haec conversio circa mundi axem se habeat ad cylindrum terrae. Cum terra ubique aequali intervallo a circuitu distet, sequitur, ut mundi axem oporteat per medium terrae cylindrum pertentum esse. Cum autem visibilis polus eius axis, circa quem stellas moveri apparet, non in coeli vortice sed septentrionem versus positus sit, patet, mundi axem ad terrae planitiem septentrionem versus inclinatum esse, ut in tabula in huius libri fine addita cernitur[1]). Non dubitari potest, quin Anaximander hanc rem cognoverit. Si autem cognoscebat, sequitur, ut non nisi aliquam stellarum partem putare posset subter terram circumire; de qua re postea dicetur.

Quam eius motus, quem descripsimus, originem ac caussam statuerit, adhuc incompertum est. Nam Teichmuelleri sententiam, qui mundi motum circularem putat aeternum motum ipsius principii esse, satis reprobavimus.

---

1) Vid. tabulam in libri fine adiectam, fig. I et II.

Quod Zellerus[1]) e nonnullis Aristotelis et Theophrasti locis concludit, Anaximandri sententia orbes coelestes ventorum impulsu moveri, his locis non de stellarum motu circa mundi axem, sed de solis et lunae conversione per circulum eclipticum agitur. De hac igitur conversione nunc tractandum est.

Aristoteles duobus Meteorologicorum locis, quos saepius laudavimus quibusque Anaximandrum etiam intellegi demonstravimus, quorundam refert sententiam, qui dicant, initio totam circa terram regionem humidam fuisse ex hacque natura humida solis effectu aerem exstitisse; aerem autem praebere ventos, hosque 'τροπὰς ἡλίου καὶ σελήνης' efficere. Ac priore quidem loco[2]) — necesse est enim locos accuratius considerare — illorum sententiam hoc modo refert: „εἶναι τὸ πρῶτον ὑγρὸν τὸν περὶ γῆν τόπον, ὑπὸ δὲ τοῦ ἡλίου ξηραινόμενον τὸ μὲν διατμίσαν πνεύματα καὶ τροπὰς ἡλίου καὶ σελήνης φασὶ ποιεῖν". Altero autem loco[3]) hoc modo: „τὸ πρῶτον ὑγρᾶς οὔσης καὶ τῆς γῆς καὶ τοῦ κόσμου τοῦ περὶ τὴν γῆν ὑπὸ τοῦ ἡλίου θερμαινομένου ἀέρα γενέσθαι καὶ τὸν ὅλον οὐρανὸν αὐξηθῆναι· καὶ τοῦτον πνεύματά τε παρέχεσθαι καὶ τὰς τροπὰς αὐτοῦ ποιεῖν." Priusquam progrediamur, duo praemonenda sunt. Primum in posterioris loci verbis postremis 'τὰς τροπὰς αὐτοῦ' pronomen 'αὐτοῦ' grammatice ad duo vocabula antegressa referri potest, ad οὐρανὸν et ad ἥλιον. Cum autem priore loco αἱ τροπαὶ aperte dicantur solis et lunae, omnino referendum est ad ἥλιον[4]). Deinde observandum est, utriusque loci parte priore agi de re, quae non nisi ad mundi initium pertineat, posteriore autem parte

1) Gesch. I, p. 196 et not. 2.

2) Meteor. II, 1. 353ᵇ 6.

3) Ibid. II, 2. 355 a 22.

4) Si quis nihilo minus putaverit, αὐτοῦ ad οὐρανὸν pertinere, ei existimandum erit, neglegentius totum pro parte dictum esse.

de re, quae perpetuo fiat; id quod etiam e forma verborum *ποεῖν* et *παρέχεσθαι* apparet. Perpetuo enim solis effectu e mari vapores exsurgunt ventosque efficiunt.

His igitur duobus locis Anaximander refertur docere, ventos e natura humida ortos solis et lunae '*τροπὰς*' efficere. Iam vero *τροπαὶ* non significant stellarum conversiones in universum, sed sunt vocabulum proprium earum conversionum, quae a solstitio ad brumam a brumaque ad solstitium fiunt, quaeque solis et lunae, et, ut postea cognitum est, omnium planetarum propriae sunt. Quare apud Placitorum etiam scriptores duo sunt capita, quorum altero '*περὶ ἀστέρων φορᾶς καὶ κινήσεως*'[1]) altero '*περὶ ἡλίου τροπῶν*' agitur[2]). Atque has ipsas conversiones ab Aristotele intellegi, inde etiam patet, quod non simpliciter '*τὰς τροπάς*', sed, *τὰς τροπὰς ἡλίου καὶ σελήνης*' dicit[3]). Ergo ex his Aristotelis locis duo apparent, primum, Anaximandrum soli et lunae conversionem per circulum eclipticum tribuere, deinde, eum hanc conversionem effici putare ventis solis effectu e natura humida ortis.

Sed res omnino perficitur iis, quae Alexander ad illos Aristotelis locos explicandos e Theophrasto adfert[4]). Quae quatenus ad nostram quaestionem pertinent, haec sunt: „*οἱ μὲν γὰρ αὐτῶν* (*τῶν φυσιολόγων*) . . *λέγουσιν* . . *γίνεσθαι τὰ πνεύματα ἐξ αὐτῆς* (*τῆς ὑγρότητος*) *καὶ τροπὰς ἡλίου καὶ σελήνης, ὡς διὰ τὰς ἀτμίδας ταύτας καὶ ἀναθυμιάσεις κἀκείνων τὰς τροπὰς ποιουμένων, ἔνθα ἡ ταύτης* (*τῆς*

---

1) Plut. Plac. II, 16; Galen. c. 13; Euseb. XV, 47; Stob. I, 24.

2) Plut. Plac. II, 23; Galen. 14; Stob. I, 25.

3) Quomodo Idelerus, Aristot. Meleor. I, p. 497, hoc loco *τροπὰς* intellegat, ex eius verbis non patet; dicit enim simpliciter 'conversiones'.

4) Alex. in Aristot. Meteor. p. 91, a, p. inf.; Wimmer, Theophr. frgm. 39; Usener, Anal. Theophr. p. 42.

ὑγρότητος) αὐτοῖς χορηγία γίνεται, περὶ ταῦτα τρεπομένων"[1]). Hic igitur locus, qui propter nimiam brevitatem paullo obscurior et hucusque, quod sciam, non explicatus est, duas continet partes; priore ipsa Anaximandri[2]), ut iam de hoc solo loquar, opinio proponitur de caussa, qua αἱ τροπαὶ efficiantur; altera (inde ab ὡς) additur ratio, qua Anaximander ad illam suam opinionem adductus sit, qua quidem re omnium maxime ipsa Anaximandri mens aperitur. Tota loci sententia sic reddi potest: „Quidam physici dicunt, e natura humida ventos oriri hisque solis et lunae conversiones per circulum eclipticum (τὰς τροπὰς) effici, ea utentes ratione (ὡς[3])), quod quoniam illae stellae conversiones faciant circa ea ipsa loca,

---

1) Sequuntur apud Alexandrum: „τὸ δέ τι αὐτῆς (τῆς πρώτης ὑγρότητος) ὑπολειφθὲν ἐν τοῖς κοίλοις τόποις θάλατταν εἶναι . . . „et denique: „ταύτης τῆς δόξης ἐγένοντο, ὡς ἱστορεῖ Θεόφραστος, Ἀναξίμανδρος καὶ Διογένης", quae verba alio loco attutimus. Zellerus (Gesch. I, p. 196, 2) putat, dubitari posse, num, quod Alexander dicat hanc sententiam a Theophrasto Anaximandro et Diogeni tribui, ad totum locum an forte ad postremam tantum eius partem, quae de mari agit, referendum sit. At totus locus unam tantum continet sententiam ipsa etiam ratione grammatica continuam, ita ut αὕτη ἡ δόξα necessario fere ad totum locum referenda sit. Praeterea, quae priore loci parte de illa sententia, quatenus ea ad τὰς τροπὰς pertinet, dicuntur, tam accuratam ac subtilem huius sententiae cognitionem produnt, ut non possint nisi a scriptore doctissimo sumpta esse; id quod ex ipsa explicatione patebit. Quare rectissime Usenerus (l. l.) totius loci sententiam Theophrasto tribuit, pariterque Idelerus, Aristot. Meteor. I, p. 268. Imprudenter autem Wimmerus verba 'ὡς — τρεπομένων' omittit, quippe quae cum proribus arctissime cohaereant et omnium maxime sententiam aperiant.

2) Vid. not. praec.

3) In oratione, qua quaedam alicuius sententia sive actio narratur, ὡς cum participio eam huius sententiae sive actionis rationem significat, quam ille ipse aut pronuntiet aut certe cogitatione conceptam habeat.

ubi maxima naturae humidae copia sit (περὶ ταῦτα τρεπομένων, ἔνθα . .[1]), propter ipsos huius naturae vapores putandae sint conversiones facere.“ Hanc autem posteriorem loci partem si in elementa resolvimus, haec efficitur sententia: „illos physicos, ac primum quidem Anaximandrum, animadvertisse, solis et lunae conversiones a solstitio ad brumam a brumaque ad solstitium circa ea coeli loca fieri, quae e regione essent eorum terrae locorum, quae omnium maxime aquosa, id est mari repleta essent, et inde conclusisse, illas solis et lunae conversiones effici ventis, qui solis effectu e maris vaporibus orirentur“.

Iam igitur ex hoc loco primum clarissime apparet, τροπὰς intellegendas esse solis et lunae conversiones a solstitio ad brumam a brumaque ad solstitium. Nam conversiones stellarum ipsiusque coeli circa mundi axem sive circa terram non fiunt circa loca prae ceteris aquosa. Deinde ex eo non solum intellegitur, Anaximandrum soli et lunae conversionem per circulum eclipticum tribuisse et a qua caussa hanc conversionem repetierit, verum etiam, qua ratione ad hanc caussam statuendam inductus sit. Sed ex eodem loco etiam tota Anaximandri sententia ita potest cogitatione informari, ut ipsis sensibus videatur subici posse, si antea unam etiam rem explicaverimus.

Vidimus, Anaximandri sententia solis et lunae conversiones a solstitio ad brumam a brumaque ad solstitium talibus fieri coeli locis, e quorum regione in terra essent loca mari repleta. Iam illarum conversionum duo sunt termini, circulus solstitialis et circulus brumalis. Num igitur utrique circulo respondere voluit terrae loca

---

1) Ἔνθα saepius pronominis relativi modo ad substantivum refertur. Usenerus suspicatur legendum esse ‘ἔνθεν’, sed hac mutatione non opus est. ‘Περὶ ταῦτα’ est ‘circa ea loca’ vel ‘e regione eorum locorum’.

mari repleta, an forte solstitiali tantum? Ac solstitiali quidem circulo ea parte, de qua nunc agitur, satis respondet mare mediterraneum cum ponto Euxino, nec dubium videtur, quin Anaximander haec maria omnium notissima intellexerit. Sed num in meridiana etiam terrae parte putabat maria esse, quae e regione circuli brumalis essent? Reminiscimur, Anaximandri sententia terram esse planum cylindrum, materia lapidea, et in locis eius cavis, in superiore sine dubio planitie, mare esse. Si hanc eius sententiam contemplamur, nihil certe obstat, quominus in meridianis etiam terrae partibus ultra Africae et Asiae terras continentes putaverit maria esse; atque id solum inde, quod maria non nisi in cavis terrae locis esse credebat, sequitur, ut illa maria, si esse putabat, putare deberet in ultimis litoribus altiore terrae margine solido circumclusa esse. Atque marginem quidem terrae altiorem esse, quam partes medias, Anaximenes quoque docuit[1]) et Archelaus[2]) et Democritus[3]), et omnes videntur docuisse, qui terram vellent disci formam habere. Nec quidquam obstat sumere, eum iam notitiam satis certam habuisse alicuius maris australis, quod ultra Africae et Arabiae oras situm esset[4]). Eum accuratam terrae tum notae imaginem cogitatione informatam habuisse, inde patet, quod traditur primus terram in tabula depinxisse[5]). Sed quoniam eius sententia terra non globus sed planus cylindrus mundique axis ad huius cylindri planitiem septentrionem versus inclinatus erat, revera

1) Hippol. Refutt. I, 7. p. 18, 86 ed. Gotting.

2) Hippol. ibid. 9, p. 24, 72.

3) Plut. Plac. III, 10.

4) Mare Arabicum ipse facile poterat cognoscere. Praeterea florentissima eius aetas paullo tantum posterior est eo tempore, quo nautae Phoenices Neconis regis iussu Africam navibus circumvexi erant (Herod. IV, 42); quorum narrationinem facile a Phoenicibus aut a nautis Milesiis audire poterat.

5) Strab. I, 1, 11. Strabo Eratosthenem adfert testem.

in meridiana terrae parte omnino non poterat locus esse, qui ad circulum brumalem ita se haberet, ut mare mediterraneum ad circulum solstitialem. Res protinus patet e tabula in libri fine adiecta[1]). Quare non verisimile est, Anaximandrum in meridiana etiam terrae parte mare posuisse, quod e regione circuli brumalis esset.

His praemissis tota Anaximandri sententia sic fere adumbrari potest. Solis annulus est orbis per totum coeli ambitum circumiens, cuius centrum est idem atque mundi et terrae centrum, quique pariter atque reliquorum stellarum annuli quotidie circa mundi axem circumfertur. Praeterea unoquoque anno semel a solstitio ad brumam a brumaque ad solstitium movetur. Cuius motus caussa est haecce. E regione circuli solstitialis in terra loca sunt mari repleta, mediterraneum dico cum ponto Euxino. Iam si solis annulus, a bruma revertens, circulo solstitiali appropinquat (ab hac enim re perspicuitatis caussa proficisci volumus), solis ardore ex illo mari humores et ex hisce vehementes oriuntur venti, qui usque ad ultimum coeli circuitum adsurgentes solis annulum non patiuntur ultro circulum solstitialem progredi, sed eum, ipsius pressu quam maxime condensati, magna vi meridiem versus usque ad circulum brumalem repellunt. Qud ad reversionem a bruma ad solstitium attinet, Anaximander videtur statuisse, solis annulum, simulatque ventorum illorum pulsus omnino desineret, sua sponte nullaque alia caussa movente ad solstitium reverti; cuius quidem motus in rerum natura plurima observare poterat exempla. Simillima Anaxagorae sententia est, et iam ante eum Anaximenis[2]). Qui unde eam acce-

---

1) Vid. tab. fig. I.

2) Plut. Plac. II, 23 (ʽπερὶ τροπῶν ἡλίουʼ): „Ἀναξιμένης ὑπὸ πεπυκνωμένου ἀέρος καὶ ἀντιτύπου ἐξωθεῖσθαι τὰ ἄστρα.“ Ibid.: „Ἀναξαγόρας, ἀνταπώσει τοῦ πρὸς ταῖς ἄρκτοις ἀέρος, ὃν αὐτὸς συνωθῶν ἐκ τῆς πυκνώσεως ἰσχυροπποιεῖ.“ Hippol. Re-

perint, iam non poterit dubium esse. Ipse solis annuli motus inter circulum solstitialem et brumalem est quaedam eius inter duos terminos osciliatio. Totam rei rationem oculis subicere conati sumus in tabula, quam in libri fine adiecimus[1]).

Quae de solis annulo diximus, facile ad lunae annulum transferuntur. Cum luna tempore multo breviore conversionem illam perficiat, non veridissimile videtur, huius rei caussam ab Anaximandro in eo positam esse, quod luna tanto intervallo sole inferior esset.

Plinius[3]), de circulo signifero loquens, „obliquitatem eius", iquit, „intellexisse, id est, rerum foras aperuisse, Anaximander Milesius traditur primus". Quod qua ratione verum sit, ex iis, quae disputavimus, satis apparet. Addi potest, quod Stobaeus ipsis verbis dicit, Anaximandri sententia lunam esse orbem ‘κείμενον λοξόν’[4]). Si Plinius eum dicit ‘foras aperuisse’ eius scientiae, quae est de circulo signifero, haud scio an recte dici possit foras aperuisse ipsius astrologiae. Maximo, opinor, impedimento ei erat, quod terram non globum sed planum cylindrum putabat; in qua quidem re omnes Ionici cum eo consentiebant, ob eandem sine dubio caussam, de qua mox dicetur.

9. Qua ratione Anaximandro solis et lunae defectus explicandi fuerint, ultro quasi sequitur ex ea sen-

---

futt. I, 8. p. 22, 37 (de Anaxagora): „τροπὰς δὲ ποιεῖσθαι καὶ ἥλιον καὶ σελήνην ἀπωθουμένους ὑπὸ τοῦ ἀέρος."

1) Vide tab. in libri fine, fig. II.

2) Nonne fieri possit, ut Anaximander eo, quod illam conversionem a luna sciebat tam brevi tempore confici, primum adductus sit, ut eam tanto intervallo putaret sole inferiorem esse?

3) H. Nat. II, 8.

4) Stob. I, 26, p. 550. Quod ab aliis haec inventio Pythagorae tribuitur, Plut. Plac. II, 12; Stob. I, 23, p. 505, eo fortasse explicatur, quod a Pythagora ille circulus ipse clarius definitus est.

tentia, quam de solis et lunae natura habebat. Solis igitur defectum eo explicat, quod annuli aerii foramen, per quod ignis inclusus ad nos effulgeat, obstruatur. Atque ad eandem caussam lunae quoque, quippe quam putet proprio uti lumine, defectum refert[1]). Luminis autem lunae tum diminutionem tum accretionem inde repetit, quod illud annuli foramen deinceps tum obstruatur tum recludatur[2]). Unde hanc ipsam obsructionem et reclusionem repetierit, non traditur.

10. Vidimus, Anaximandrum terrae figuram plani cylindri, stellis diveras a terra distantias atque maximam quidem soli, denique omnibus stellis conversionem circa mundi axem tribuere; sed quam harum rerum esse statuerit caussam, nondum diximus. De hac igitur caussa nunc iam quaerendum est.

Aristoteles in secundo de Coelo libro cap. XIII, postquam recensuit eorum sententias, qui caussam, cur terra non deorsum ferretur sed in sua sede maneret, in eo ponerent, quod aliqua re subiecta, velut aqua aut aere, sustineretur[3]), ut hos omnino refellat, disputationem ab his ipsis ad universi generis quaestionem traducit, in hunc fere mo-

---

1) Hippol. Refutt. I, 6: „*ἐκπνοὰς δέ τινας ὑπάρξαι . . . διὸ καὶ ἐπιφρασσομένων τῶν ἐκπνοῶν τὰς ἐκλείψεις γίνεσθαι.*“ Plut. Plac. II, 24 (Stob. I, 24, p. 524): „*᾿Αναξίμ. (τὸν ἥλιον ἐκλείπειν) τοῦ στομίου τῆς τοῦ πυρὸς διεκπνοῆς ἀποκλειομένου.*“ Plut. Plac. II, 25, coll. 29 (Euseb. XV, 51; Galen. 15; Stob. I, 26, p. 556): „*᾿Αναξίμ. . . . ἐκλείπειν (τὴν σελήνην) κατὰ τὰς ἐπιστροφὰς* (Stob. *στροφὰς*) *τοῦ τροχοῦ.*“ Quod apud Plut. pariterque apud Euseb. dicitur '*κατὰ τὰς ἐπιστροφὰς τοῦ τροχοῦ*', sine dubio falsum est; scribendum videri '*ἐπιφράξεις*' antea iam diximus. Cf. Plut. Plac. II, 29. Lunam proprio uti lumine, aperte legitur apud. Plut. Plac. II, 28: „*᾿Αναξίμ.. ἴδιον αὐτὴν ἔχειν φῶς, ἀραιότερον δέ πως.*“ Cf. Stob. I, 26, p. 556.

2) Hippol. Refutt. l. l., statim post verba antea laudata: „*τὴν δὲ σελήνην ποτὲ μὲν πληρουμένην φαίνεσθαι, ποτὲ δὲ μειουμένην κατὰ τὴν τῶν πόρων ἐπίφραξιν ἢ ἄνοιξιν.*“

3) Aristot. Coel. II, 13. 294a 28 sq.

dum ratiocinans[1]): „Omne corpus naturaliter movetur in aliquem locum et naturaliter in aliquo loco quiescit, atque in eodem quidem, in quem naturaliter movetur; atque si quod corpus vi, id est, caussa externa in aliquem locum movetur in eoque vi quiescit, idem corpus naturaliter in alium locum movetur in eoque quiescit. Iam vero et illi philosophi, de quibus diximus, et in universum omnes, qui mundum generatum esse volunt, terram statuunt et vi in medio mundi loco manere et vi initio in hunc locum congestam esse. Nam caussam quidem, qua efficiente terra in medium mundi locum congesta sit, omnes dicunt vorticem (*δίνην*) esse, ea ducti ratione, quod in iis, quae vortice circumagantur, velut in aqua et aere, maxima quaeque et gravissima in vorticis partem mediam conveniant. De caussa autem, cur terra in hac sua sede maneat, dissentiunt. Plerique enim eam in eo ponunt, quod propter figuram planam aqua sustineatur aut aere, velut Thales, Anaximenes, Anaxagoras, Democritus; aliqui, quemadmodum Empedocles, in eo, quod celeri coeli conversione in suo loco retineatur; nonnulli denique, quemadmodum in antiquis Anaximander, in eo, quod ubique eodem intervallo a circuitu distet“ [2]).

---

1) Ibid. 294 b 30 sq.

2) Ex usu est, gravissimas ipsius loci partes huc transscribere. Postquam igitur Aristoteles (inde a 294 b 30) exposuit, omne corpus naturaliter in aliquem locum moveri et in hoc eodem loco naturaliter quiescere, nec fieri posse, ut corpus aliquod vi solum moveatur et quiescat, ita pergit (295 a 7): „*ἀλλὰ μὴν εἴ γέ ἐστι κίνησίς τις κατὰ φύσιν, οὐκ ἂν ἡ βίαιος εἴη φορὰ μόνον οὐδ' [ἡ βίαιος μόνον] ἠρέμησις· ὥστ' εἰ βίᾳ νῦν ἡ γῆ μένει, καὶ συνῆλθεν ἐπὶ τὸ μέσον [βίᾳ], φερομένη διὰ τὴν δίνησιν· ταύτην γὰρ τὴν αἰτίαν πάντες λέγουσιν ἐκ τῶν ἐν τοῖς ὑγροῖς καὶ περὶ τὸν ἀέρα συμβαινόντων· ἐν τούτοις γὰρ φέρεται τὰ μείζω καὶ τὰ βαρύτερα πρὸς τὸ μέσον τῆς δίνης. διὸ δὴ καὶ τὴν γῆν πάντες, ὅσοι τὸν οὐρανὸν γεννῶσιν, ἐπὶ τὸ μέσον συνελθεῖν φασίν* (sententia est haec: omnes,

Ex hac igitur Aristotelis disputatione apparet, Anaximandrum in generando mundo usum esse vortice hancque putavisse caussam, qua efficiente terra in medio mundo constitisset. Nam primum Aristoteles verbis apertissimis dicit, omnes, qui mundum generent, caussam, qua terra in medium mundi locum congesta sit, vorticem ponere. Iam ipse, ut autea satis vidimus, Anaximandrum in iis numerat, qui mundum generatum esse velint. Ergo Anaximandrum quoque intellegit in iis, qui vorticem ponant caussam, qua efficiente terra in medium mundi locum congesta sit. Si quis autem forte opinetur, Aristotelem omnes quidem dicere, sed non nisi plurimos intellegere, id refellitur altera eiusdem disputationis parte. Cum enim priore parte, de qua proxime egimus, dicat, omnes, qui mundum generent, eo consentire, quod caussam, qua efficiente terra in medium mundi locum congesta sit, in vortice ponant, eosdem altera parte ab ea caussa, qua efficiente quisque eorum terram statuat in media sua sede manere, trifariam dividit, huiusque divisionis tertiam partem ponit Anaximandrum[1]). Inde autem, quod Anaximandrum nominatim in eius generis, quod communi quadam nota definivit, partibus numerat, sequitur, ut eum in hoc ipso genere ponat, eique communem illam generis notam, id est, ut ei in generando mundo vorticis usum tribuat. Maxime autem Aristotelis testi-

---

qui mundum generant, hanc ipsam ob caussam, quod ea vorticis vis sit, ut maxima quaeque et gravissima in medium vorticem congerantur, terram dicunt in medium mundum congestam esse; inde, quod omnes hunc terrae locum a vortice repetunt, per se sequitur, ut omnes in mundo generando vortice usi sint), *ὅτι δὲ μένει, ζητοῦσι τὴν αἰτίαν καὶ λέγουσιν οἱ μὲν τοῦτον τὸν τρόπον* (ib. v. 15) . . . *τινὲς δὲ ὥσπερ Ἐμπεδοκλῆς* (ib. v. 17) . . . *εἰσὶ δέ τινες — ὥσπερ* . . *Ἀναξίμανδρος* . . . (295 b 10).

1) Vid. not. praeced.

monium confirmatur eo, quod hanc rem inveniemus caussam esse idoneam, qua, quae huius capitis initio de Anaximandri doctrina quaesivimus, tamquam ex uno principio explicentur.

Iam vero si dubitari non potest, quin Anaximander in generando mundo vortice usus sit, tamen qualem hunc vorticem esse voluerit, nusquam traditur. Quare ad hanc rem cognoscendam ab eorum proficiscendum erit opinionibus, quos Aristoteles illo loco pariter atque Anaximandrum dicit vortice usos esse. Incipiendum autem ab Anaxagora est, et quia huius de hac re opinio satis nota et quia tota eius doctrina cum antiquiorum Ionicorum philosophia coniunctissima est.

Itaque Anaxagorae doctrina, quatenus ad nostram quaestionem pertinet, haec fere est. „Aliquo infinitae homoeomeriarum mixtionis loco mentis infinitae vi conversionem rotundam sive verticem (*περιχώρησιν*, *δίνην*) excitatum esse. Hoc vortice ex homoeomeriarum mixtione altera parte gravia ac frigida, quae uno aeris nomine comprehenduntur, altera levia ac calida, quibus aetheris nomen tribuitur, ita secreta esse, ut illa medium locum occuparent, haec in circuitum concederent. Deinceps ex illo aere seorsum aquam, terram, saxa secreta esse; concitata autem aetheris conversione magnas saxorum partes a terra avulsas esse, in hisque ab aethere incensis cum reliquas stellas tum solem constare. Iam vero illum ipsum vorticem initio a latere circumactum esse, ita ut nascentis mundi axis in terrae planitie directus superiorque mundi polus, is, qui semper nobis appareret, in ipso coeli vortice esset, ut igitur stellae in formam tholi (*θολοειδῶς*) circumagerentur. Postea autem, cum mundus iam esset perfectus et animalia e terra nasci coepissent, mundi axem sua sponte, id est, nulla naturali caussa movente septentrionem versus ad terrae planitiem

inclinatum esse eoque australes mundi partes altius supra terram ascendisse"[1]).

In hac Anaxagorae doctrina omnia ita inter se apta et colligata sunt, ut uno aliquo posito reliqua necessario sequantur. Primum enim quod primi vorticis axem statuebat in terrae planitie directum fuisse, sine dubio pendet ab ea re, quod, quemadmodum omnes Ionici, terrae tribuebat figuram disci sive tympani plani, in medio mundo ad libram locati; nam hanc figuram situmque ut terra accipere posset, revera vorticis illius axem in terrae planitie oportebat directum esse. Iam vero mundus illo vortice factus ab eo mundo, quem videmus, maximo opere diversus erat. Namque primum huius mundi axis non in terrae planitie directus sed ad eam septentrionem versus inclinatus est; quare necesse erat ponere, primum illum mundum aliquando septentrionem versus inclinatum esse. Verum haec inclinatio propterea necessaria erat, ut in terra animalium plantarumque vita existere posset. Nam profecto in illo primo

---

1) Quae in disputatione de primo vortice et subsequenti mundi inclinatione diximus, sumpta sunt ex hisce locis: D. L. II, 9: „τὰ δ' ἄστρα κατ' ἀρχὰς μὲν θολοειδῶς ἐνεχθῆναι, ὥστε κατὰ κορυφὴν τῆς γῆς τὸν ἀεὶ φαινόμενον εἶναι πόλον, ὕστερον δὲ τὴν ἔγκλισιν λαβεῖν." Plut. Plac. II, 8 (Stob. I, 15, 358; Galen. c. 11; Euseb. XV, 39) „Διογένης, Ἀναξαγόρας μετὰ τὸ συστῆναι τὸν κόσμον καὶ τὰ ζῶα ἐκ τῆς γῆς ἐξαγαγεῖν ἐγκλιθῆναί (κλιθῆναι, Gal) πως τὸν κόσμον, ἐκ τοῦ αὐτομάτου εἰς τὸ μεσεμβρινὸν αὐτοῦ μέρος, ἴσως ὑπὸ προνοίας, ἵνα ἃ μέν τινα ἀοίκητα γένηται, ἃ δὲ οἰκητὰ μέρη τοῦ κόσμου κατὰ ψύξιν καὶ ἐκπύρωσιν καὶ εὐκρασίαν." Quod dicitur 'ἐγκλιθῆναι εἰς τὸ μεσεμβρινὸν μέρος' significat, mundum ita esse inclinatum, ut australis eius pars quasi augeretur, eatenus scilicet, quatenus ad terram referretur, id est, ut maior australis mundi pars supra terram ascenderet. Quod D. L. dicit θολοειδῶς φέρεσθαι, si antiquam molarum formam respicimus, idem videtur esse, quod Theoret. Gr. aff. Cur. 4; IV p. 796 ed. Hal. dicit μυλοειδῶς φέρεσθαι.

mundo terra sorte longe miserrima utebatur. Cum enim propter ipsam vorticis naturam in regione eius circuli, qui inter utrumque polum medius est, id est, *circuli aequinoctialis*, in cuius planitie terra est, conversio incitatissima sit, Anaxagoras sine dubio putabat, in regione huius circuli a terra solem avulsum esse et in eiusdem circuli regione circa terram circumferri. Hoc autem si ita se habebat, terra non nisi in exteriore margine solis radiis collustrabatur, superficies autem eius densa caligine involuta erat. Atque hanc ipsius Anaxagorae opinionem fuisse, ut per se probabile est, ita confirmatur eo, quod Archelaus, Anaxagorae discipulus, refertur dixisse, 'tum primum, cum mundus inclinatus esset, solem terrae lucem offudisse aeremque fecisse perlucidum et terram aridam'[1]. Ergo Anaxagoras ea re, quod mundi axis aliquando septentrionem versus inclinatus esset eoque australes mundi partes altius supra circuli horizontis planitiem ascendissent, factum putabat esse, ut sol radiis suis terrae superficiem collustraret et plantarum animaliumque generationes efficeret.

Eandem de primo vortice et de mundi inclinatione sententiam praeter Archelaum, quem iam nominavimus, secutus est Diogenes Apolloniates[2]. Cum incredibile sit, duos philosophos fortuito in sententia tam singulari convenire, praesertim cum illo tempore diversa Pythagoreorum ratio vix posset incognita esse, sumendum est, *aut alterum ab altero aut utrumque ab alio* hanc sententiam accepisse. At alterum ab altero accepisse nulla ratione probabile est; nam et universa doctrina quam maxime dissentiunt, et omnino ignoratur, num ulla inter eos intercesserit necessitudo. Ergo statuendum est, utrumque sen-

---

1) Hippol. Refutt. I, 9, p. 24, 69: „*ἐπικλιθῆναι δὲ τὸν οὐρανόν φησι, καὶ οὕτως τὸν ἥλιον ἐπὶ γῆς ποιῆσαι φῶς καὶ τὸν ἀέρα ποιῆσαι διαφανῆ καὶ τὴν γῆν ξηράν.*“

2) Is una cum Anaxagora a Placitorum scriptoribus nominatur Vid. p. 413 not. 1.

tentiam ab alio accepisse. Quaerentibus autem, quis hic possit esse, nullus invenitur praeter unum Anaximenem. Primum enim cum hoc uterque sententiarum communione coniunctus fuit. Nam Anaxagoras, etsi non recte dicitur ab Anaximene disciplinam accepisse, tamen, ut ipsius doctrina ostendit, Anaximenis doctrinam et cognovit et in multis secutus est; Diogenes Apolloniates autem totum sese ad Anaximenem applicavit. Deinde, quod maximum est, mihi quidem videtur probari posse, Anaximenem eandem fere atque Anaxagoram et Diogenem de vortice et mundi inclinatione sententiam habuisse.

Atque primum quidem Anaximenem omnino in mundo generando vortice usum esse, ex eodem intellegitur Aristotelis loco, quo antea in Anaximandro usi sumus[1]). Deinde a veteribus quaedam eius sententia refertur, qua probari videatur, eius de illa re opionem eandem fere fuisse atque eam, quam paullo ante rettulimus. Etenim ab Hippolyto et partim etiam a Diogene Laertio et Placitorum scriptoribus traditur docere, ʽstellarum motum eiusmodi esse, ut non subter terram sed circa terram (*οὐχ ὑπὸ γῆν ἀλλὰ περὶ γῆν*) circumferatur, similiter atque circa nostrum caput pileus vertatur, solemque non occultari eo, quod supter terram circumierit, sed eo quod altioribus terrae locis abscondatur, et eo, quod maior eius facta sit a nobis distantiaʼ[2]). Hanc quidem narrationem

---

1) Vid. supra p. 410 not. 2.

2) Hippol. Refutt. I, 7. p. 18, 84: „*οὐ κινεῖσθαι δὲ ὑπὸ γῆν τὰ ἄστρα λέγει, καθὼς ἕτεροι ὑπειλήφασιν, ἀλλὰ περὶ γῆν, ὡσπερεὶ περὶ τὴν ἡμετέραν κεφαλὴν στρέφεται τὸ πίλιον, κρύπτεσθαί τε τὸν ἥλιον οὐχ ὑπὸ γῆν γενόμενον, ἀλλ' ὑπὸ τῶν τῆς γῆς ὑψηλοτέρων μερῶν σκεπόμενον, καὶ διὰ τὴν πλείονα ἡμῶν αὐτοῦ γενομένην ἀπόστασιν.*“ D. Laert. II, 3: „*κινεῖσθαι δὲ τὰ ἄστρα οὐχ ὑπὸ γῆν, ἀλλὰ περὶ γῆν.*“ Stob. I, 24, 510 et Euseb. XV, 47 cum Laertio consentiunt, dicentes: „*Ἀν. οὐχ ὑπὸ γῆν, ἀλλὰ περὶ αὐτὴν στρέφεσθαι τοὺς ἀστέρας.*“ Apud Plat. Plac. II, 16 et Galen. c. 13 legitur, „*Ἀναξίμ.*

cum alii tum Zellerus[1]) ita putant intellegendam esse, ut ab Anaxemene stellae dicantur, postquam in coelo motum ab artu ad occasum perfecerint, a latere ita deflecti, ut circa terrae marginem ad ortum revertantur, similiter atque veteres poetae solem putabant oceano circumvehi; et Zellerus pro insigni, qua utitur, doctrina adfert etiam locum Aristotelis, quo is eandem sententiam multis meteorologis antiquis tribuat[2]). At num versimile est (nam fieri potuisse concedo), Anaximenem, postquam Anaximander aperte stellarum motum circa mundi axem docuerat, ad antiquam poetarum opinionem revertisse tot tantisque difficultatibus implicatam? Et a quanam caussa putandus est illos motus tam multiplices repetiisse? Nam quod Zellerus stellas putat aeris pulsu circumflecti, antea iam vidimus, Anaximenem ab aeris pulsu non nisi solis et lunae *τροπάς*, id est, conversiones a solstitio ad brumam repetere. Et, quod maximum est, illa narratione non solum sol et luna, verum stellae in universum (*τὰ ἄστρα, οἱ ἀστέρες*) non supter terram sed circa terram circumferri dicuntur. At Anaximenem certe non fugere poterat, stellas polo vicinas in coelo circa hunc ipsum polum converti; hos igitur non credere poterat circa terrae marginem ab occasu ad ortum redire. Denique quod ad illum Aristotelis locum

῾μοίως ἐπὶ τὴν γῆν καὶ περὶ αὐτὴν στρέφεσθαι τοὺς ἀστέρας." Sed, *ἐπὶ τὴν γῆν*' propter sententiam insolitam videtur additum esse, nisi forte legendum est '*ὑπὸ τὴν γῆν*'.

1) Gesch. I, 211 c. not. 384.

2) Aristot. Meteor. II, 1. 351 a 27, postquam dixit, septentrionem versus terram altiorem esse, ait: „*περὶ δὲ τοῦ τὰ πρὸς ἄρκτον εἶναι τῆς γῆς ὑψηλὰ σημεῖόν τι τὸ πολλοὺς πεισθῆναι τῶν ἀρχαίων μετεορολόγων, τὸν ἥλιον μὴ φέρεσθαι ὑπὸ γῆν ἀλλὰ περὶ τὴν γῆν καὶ τὸν τόπον τοῦτον, ἀφανίζεσθαι δὲ καὶ ποιεῖν νύκτα διὰ τὸ ὑψηλὴν εἶναι πρὸς ἄρκτον τὴν γῆν.*" Statim animadvertendum puto, Alexandrum hunc locum solum circumscribere, nullis nominibus additis; unde colligendum est, eum e philosophorum numero nullum cognovisse, qui illam sententiam proposuisset.

attinet, nihil impedit, quominus Aristoteles multos illos veteres meteorologos poetas intellexerit cosmogoniarumque scriptores, cum qua re optime consentit, quod Alexander in huius loci explicatione nullum philosophum nominat, cuius haec sententia sit.

Omnes difficultates tolluntur simulque Anaximenes opinione liberatur, quae eius ingenio minus videtur digna esse, si eum ponimus omnibus stellis conversionem circa mundi axem tribuisse et ad hanc rem explicandam similiter atque Anaxagoram in mundo generando vortice usum esse, cuius axis initio in terrae planitie directus, postea autem ad eam septentrionem versus inclinatus esset. Nam in mundo, qui ipso illo vortice ortus est, stellarum motus necessario ita se habent, ut non subter terram sed circa terram circumferantur; et quamvis eae stellae, quae in superiore mundi sphaera sunt, non ita circa terram moveantur, ut planities circulorum, quibus moventur, terram a latere secent, tamen horum motuum ratio recte eodem modo significatur. Verum etiam post mundi inclinationem Anaximenes, si stellas volebat circa mundi axem moveri, ad huius motus rationem significandam eadem dicendi ratione uti poterat, etiam tum, si haec dicendi ratio non in omnibus stellis ad verbum vera erat. In qua re animadverto, eam minus etiam veram esse, si stellae putentur circa terrae marginem circumflecti. Sed nihil impedit, quominus in stellis gravissimis, sole et luna, ad verbum vera sit; id enim pendet ab ea sententia, quam Anaximenes forte de terrae amplitudine habebat. Nam si ponimus, eius sententia terram, quippe quae non globus sed planus discus sit, amplitudine esse mediocri, solem autem et lunam magna a terra distantia in coelo circumferri, facile fieri potest, ut ipsa re nunquam nec supra terram sint nec infra terram, id est, ut nulla linea directa a sole demissa ipsius terrae planitiem attingat, sed praeter eam praetereat, ut igitur solis radii nunquam nec in superiore nec in infe-

riore terrae planitie directi sint; id quod inspecta tabula, quam in libri fine adiecimus, facile concipitur[1]). Non certe quidem adfirmari potest, hanc ipsam sententiam ab Anaximene esse propositam; sed eam patet talem esse, quae cum illa veterum narratione optime consentiat[2]).

His expositis restat quidem quaedam difficultas in iis Hippolyti verbis, quibus solem dicit occultari non eo, quod subter terram circumierit, sed eo, quod altioribus terrae locis obtegatur et quod maior facta sit eius a nobis distantia. De quibus verbis quid mihi videretur iudicandum esse, in adnotatione exposui[3]).

---

1) Vid. tab. fig. 1.

2) Herodotus cum refert, nautas Phoenices narravisse, se, cum navibus Africam circumveherentur, solem septentrionem versus vidisse, addit, se ipsum huic narrationi nullam habere fidem.

3) Vide locum ipsum supra p. 415 not. 2. Si sol occultari dicitur eo, quod altioribus terrae partibus obtegatur, et eo, quod maior facta sit eius a nobis distantia, id non ita intellegendum est, ut hae duae res coniunctae, sed ut utraque per se sola illud efficere dicatur. Iam si ponimus, solem circa terrae marginem circumflecti, certe, si altiores terrae partes intercedunt, hisce occultatur. Sed idem accidit etiam, si sol ea ratione circa terram convertitur, quam ipsi in disputatione indicavimus. Quod autem sol dicitur etiam propter maiorem a nobis distantiam occultari, id, si per se consideratur, — nam cum re priore coniungere absurdum est — putandum erit de talibus locis intellegi, quae plana sint nullisque altioribus partibus terminata, velut cum sol in mari videtur occidere. Sed hoc ipsum, quod sol propter maiorem distantiam e conspectu auferri dicitur, eiusmodi est, ut cum Xenophanis quidem opinione plane conveniat (cf. Plut. Plac. II, 24, fin. Stob. I, p. 534), ad Anaximenem autem videatur omnino non pertinere posse. Namque primum num verisimile est, Anaximenem putavisse, solem maiore distantia a nobis abesse, cum ad terrae marginem pervenisset quam cum supra terram in coelo versaretur? Atque si quis forte opinetur fieri posse, ut solis altitudinem non admodum magnam esse (cf. p. 393) terrae autem marginem usque ad coelum pertinere crediderit, num probabile est, eum credidisse, huius mar-

Cum igitur probabile visum sit, Anaximenem de primo quodam vortice et subsequenti mundi inclinatione eandem fere atque Anaxagoram et Diogenem Apolloniatem sententiam habuisse, hosque hanc sententiam ab illo accepisse, certe per se non veridissimile est, ante Anaximenem eandem sententiam iam ab Anaximandro propositam esse. Quaeritur igitur, num haec res argumentis idoneis confirmari possit. Ex Aristotele ostendimus quidem, Anaximandrum in mundo generando vorticem adhibuisse; sed qualem hunc vorticem voluerit esse, ex Aristotele non patet. Quare videndum est, num, si ei eandem fere atque Anaximeni et Anaxagorae sententiam tribuimus, ea in eius doctrina, quorum explicationem desideravimus, plane explicentur. Quod ut appareat, illa sententia ad eius doctrinam adhibenda est.

---

ginis tantam esse a nobis distantiam, ut solis radii inde non possent oculos nostros attingere? Xenophanes quidem distantiam poterat caussam putare, propter quam solis radii e conspectu evanesceret, quoniam terrae superficiem et supra hanc coelum infinite extendi putabat; Anaximenes meo quidem iudicio non poterat. Deinde Aristoteles Coel. II, 13. 293^{b} 33 sq. ait, eos, qui terram planam et tympani similem esse velint, ad hanc sententiam probandam eo etiam argumento uti, quod sol occidens *recta linea sub maris marginem descendere videatur.* Hoc si ad Anaximenem quoque pertinet — id quod statuendum est, si Aristotelis verba ita accipimus, ut dicta sunt —, sequitur, ut solem putaverit non eo e conspectu evanescere, quod longius a nobis distaret, sed eo, quod ipso terrae margine obtegeretur. Quare equidem putaverim, illam Hippolyti sententiam '*κρύπτεσθαί τε τὸν ἥλιον κτλ.*', quae apud hunc solum invenitur, ab Hippolyto aut ab eo, quem sequebatur, per errorem a Xenophane vel etiam a quodam eorum, quos Aristot. Meteor. II, 1. 354^{a} 27 memorat (vid. p. 416, 2) ad Anaximenem translatam esse. Quod si non conceditur, in ipsa verborum lectione grave quoddam vitium inesse putandum est; nam ut nunc leguntur, ad Anaximenem sine absurditate non possunt adhiberi, sive putabat sive non putabat, solem circa terrae marginem circumflecti.

Itaque si ponimus, eum illa sententia usum esse, totam eius doctrinam, quatenus ad nostram quaestionem pertinet, hanc fere fuisse oportet. ' Cum natura humida sphaerae igneae effectu partim in aerem mutata esset, in toto naturae humidae et aeris globo vortex exortus est, cuius centrum in medio illo globo, axis autem directus esset in planitie per hoc centrum ad libram locata, quam quidem planitiem patet non diversam esse a planitie circuli aequinoctialis (quae huius vorticis videatur caussa esse, paullo post dicetur). Hoc vortice cum aer magna celeritate circumageretur et vi semper crescenti sphaerae igneae instaret, denique eam in annulos parallelos dirupit, singulisque annulis ab omnibus partibus ita se circumvolvit, ut eos annulis aeriis iucluderet, et simul eos plus minusve longe a centro abstulit, ita fere, ut aquarum unda, cum in corpus quoddam velut saxum vel lignum incidit, id ab omnibus partibus circumcludit, et, si vehementius incitata est, secum abripit. Cum autem propter vorticis naturam in regione circuli aequinoctialis aeris impetus maximus esset, in hac regione maxima quaedam quasi aeris unda ingentem sphaerae igneae annulum abripuit, eumque annulo aerio circumcludens omnium longissime abstulit in eum locum, quo nunc etiam circa mundi axem eodem vortice circumagitur. Hic annulus igneum annulum includens est sol, qui Anaximandri sententia omnium stellarum extimus est. Paullo propius a polo aut superiore aut inferiore is sphaerae igneae annulus avulsus est, qui factus est luna, minore a centro distantia, et simili modo reliquarum stellarum annuli, propter vorticis naturam minus etiam a centro distantes. Eodem vortice, cum reliqua natura humida solis effectu partim in aerem partim in terram verteretur, terra in medium locum congerebatur et formam rotundam ac planam accipiebat[1]. His omnibus perfectis mundus septen-

1) Alexander apud Simpl. Coel. (Schol. Aristot. 507^b 26) eum

trionem versus inclinatus est eoque eam, quam nunc habet formam accepit'.

Ex hisce opinor patere, ea omnia in Anaximandri doctrina, quae explicatione egere vidimus, terrae figuram rotundam ac planam, diversas illas stellarum a terra distantias, stellarum circa mundi axem conversiones, immo totam mundi comparationem ac descriptionem plane tamquam ex uno principio explicari, si ei illam de vortice et mundi inclinatione sententiam tribuimus. Inde autem non sine caussa concludimus, eum revera hac sententia usum esse. Sed num hoc satis probabile est? nonne nimis coniecturae indulsimus? Commoneamus breviter, quibus argumentis usi simus. Initio ex Aristotele ostendimus, Anaximandrum in generando mundo vorticem adhibuisse; et ab hac re omnino profecti sumus. Num id recte ostendimus nec ne? Si negatur, rationes propositae refellendae sunt; si conceditur, reliqua necessario fere sequuntur. Nam si omnino vorticem adhibuit, eius de hoc vortice sententia putanda est talis fuisse, ut ex eo, quae de mundi comparatione et dispositione docuit, explicari possint; id quod in sententiam illam propositam cadere vidimus. Quare non temerarium videtur, Anaximandrum putare ipsum huius sententiae auctorem esse et ab hoc eam ad posteriores Ionicos pervenisse; quae quidem sententia, quod ad ingenii vim perspicaciam audaciam attinet, nulla earum, quae postea usque ad nostram aetatem de rerum origine inventae sunt, inferior habenda est.

Aristotelis locum explicans, quo is dicit, Anaximandri sententia terram in sua sede manere propter eandem undique distantiam, ait, ex Aristoteles verbis non patere, „πότερον καὶ ἠρεμεῖ ἐν τῷ μέσῳ, ἢ μένει μὲν ἐν τῷ μέσῳ διά τε τὴν ἰσορροπίαν . . . μένουσα δὲ ἴλλεται καὶ κινεῖται περὶ τὸν διὰ παντὸς τεταμένον πόλον." E quo loco certe non colligi potest, Anaximandrum terrae motum circa mundi axem tribuere; sed facile fieri possit, ut terram putaverit initio vortice circumferri, quam Democriti etiam sententiam fuisse scimus.

Sed quamnam illius vorticis caussam statuisse putandus est? De qua re duae possunt opiniones esse. Primum enim fieri potest, ut putaverit, aerem e natura humida ortum, cum primum magna vi se extendens sphaeram igneam premeret, hunc initio non potuisse dirumpere sed eius repercussu in vorticem actum esse. Haec caussa nullam quidem continet necessitatem, ob quam vorticis axis in terrae planitie directus sit; sed etiam nullam continet, ob quam non sit directus. Sed antea vidimus, Anaximandrum infinitum principium dicere 'περιέχειν ἅπαντα καὶ πάντα κυβερνᾶν', κυβερνᾶν autem naturaliter de regendo navium cursu dici, et probabile esse, Anaximandrum hoc verbum propria sua significatione intellegere. Quod si ita se habet, iure conicimus, Anaximandrum omnis motus, nisi ipsam primam caussam, tamen moderationem et gubernationem ipsi principio tribuisse[1]).

11) De iis rebus, quae meteora vocantur, paucae tantum Anaximandri sententiae memoriae proditae sunt. Quae sententiae propterea memoratu dignissimae sunt, quod ostendunt, Anaximandrum ad has etiam res explicandas insigni cogitationis perpetuitate et constantia eadem duo principia adhibuisse, quibus totum mundum generat, naturam humidam ac frigidam dico et naturam igneam ac calidam.

Ac ventos quidem ita explicat: ventum esse fluxum aeris, qui eo efficiatur, quod, quae in aere partes sint humidissimae et tenuissimae, a sole cogantur et dissolvantur eoque moveantur[2]). Efficitur igitur ventus eo, quod aeris

---

1) Augustinus quidem C. D. VIII, 2 ait „Anaximander . . . rerum principia singularum esse credidit infinita et innumerabiles mundos gignere et quaecunque in iis oriuntur . . nec ipse aliquid divinae menti in his rerum operibus tribuens.“ Sed hac Augustini narratione non refelli potest id, quod ipsius Anamandri verbis continetur, praesertim cum Augustinus aperte de mente loquatur a mundo separata.

2) Quae diximus, ex hisce efficiunter locis. Plut. Plac. III, 7

partes humidae, quae sine dubio solis, id est ignis, vi ex aqua ortae sunt, eadem solis vi magis etiam extenuantur. Quod ad nubes et pluviam pertinet, pluviam fieri ait, si a sole e terra nubes attollantur[1]); in qua explicatione simplicissima eorundem principiorum vis cernitur. Tonitrus denique et fulgura repetit a ventorum vi nubibus inclusorum, in hunc modum: si ventus densa nube involutus ex hacce propter eam, qua utatur, partium tenuitatem et levitatem vi erumpat, nubis diruptione sonitum edi, simul autem partium divulsione iuxta nubis nigredinem fulgorem existere[2]). Qua ratione nubis divulsione fulgor effici possit, obscurum est. Etenim Anaximandri sententia, ut antea vidimus, ipsa nubes et ipse ventus, quoniam e natura humida sunt, nullo modo in ignem verti possunt[3]). Nec cum verbis consentit putare, per fissuram nubis divulsione factam clariorem coeli lucem perlucere. Sed per Anaxi-

(Galen. c. 20) „Ἀναξίμ. ἄνεμον εἶναι ῥύσιν ἀέρος, τῶν λεπτοτάτων ἐν αὐτῷ καὶ ὑγροτάτων ὑπὸ τοῦ ἡλίου κινουμένων ἢ τηκομένων". Hippol. Refutt. I, 6: „ἀνέμους δὲ γίνεσθαι τῶν λεπτοτάτων ἀτμῶν τοῦ ἀέρος [id est, qui sunt in aere] ἀποκρινομένων καὶ ὅταν ἀθροισθῶσι, κινουμένων." Teichmuellerus non recte explicat, ventum esse tenuissimam aeris exhalationem (die feinste Verdampfung der Luft) Stud. p. 10.

1) Hippol. l. l.: „ὑετὸν δὲ (γίνεσθαι) ἐκ γῆς ἀναδιδομένης ἐκ τῶν ὑφ' ἥλιον'. Quo loco corruptissimo in verbis 'τῶν ὑφ' ἥλιον' non puto, ut Dunckerus arbitatur, latere 'τῶν νεφελῶν', sed hanc vocem post ὑφ' ἥλιον omissam esse; nam sententia postulante sic puto legendum esse: „ἐκ γῆς ἀναδιδομένων ὑφ' ἡλίου νεφελῶν."

2) Plut. Plac. III, 3 (Galen. c. 19; Stob. I, 29, 590) „Ἀν. ἐκ τοῦ πνεύματος· ὅταν γὰρ περιληφθὲν νέφει παχεῖ βιασάμενον ἐκπέσῃ τῇ λεπτομερείᾳ καὶ κουφότητι, τότε ἡ μὲν ῥῆξις τὸν ψόφον, ἡ δὲ διαστολὴ παρὰ τὴν μελανίαν τοῦ νέφους τὸν διαυγασμὸν ἀποτελεῖ." Hippol. l. l. „ἀστραπὰς δὲ (γίνεσθαι), ὅταν ἄνεμος ἐμπίπτων διϊστᾷ τὰς νεφέλας."

3) Aliter sentit Teichmuellerus; is enim (Stud. p. 10 et 11) opinatur, tenuem venti materiam per se esse igneam, immo ignem e vento oriri.

mandri sententiam aperte licet hoc sumere, in nube et vento esse quasdam ignis particulas a sole susceptas hasque illa divulsione subito prosilire, similiter atque lapidum tritu ignis elicitur[1]).

Quid Anaximander de plantarum generatione senserit, omnino non traditur. Quod ad animalium generationem attinet, haec eius refertur sententia satis memorabilis: prima animalia solis effectu in humore nata esse, corticibus spinosis circumclusa, adultiore autem aetate in loca sicciora decessissse ibique corticibus ruptis in lucem prodiisse, sed non multum temporis supervixisse'[2]). Ac praeterea de hominum origine haecce: 'primos homines in piscibus natos esse, eam ob caussam, quod non, quemadmodum reliqua animalia, statim per se ipsi victum quaererent, sed longa nutricis cura indigerent, et adultos demum ab illis eicctos esse et in terram exiisse'[3]). Ab

1) Stobaeus l. l., postquam Anaximandri opinionem rettulit, Anaximenem ait eandem opinionem sequi hancque eo collustrare, quod, si mare remis findatur, corruscatio appareat. Magis autem, quod coniecimus, his verbis Senecae, *Quaest. nat.* II, 19 confirmatur: „Anaximandrus ait omnia ista sic fieri, ut ex aethere aliqua vis in inferiora descendit, ita ignis impactus nubibus frigidis sonat; at, cum illas interscindit, fulget.“

2) Plut. Plac. V, 19 (Galen. c. 35): „*Ἀν. ἐν ὑγρῷ γεννηθῆναι τὰ πρῶτα ζῶα, φλοιοῖς περιεχόμενα ἀκανθώδεσι· προβαινούσης δὲ τῆς ἡλικίας ἐπιβαίνειν ἐπὶ τὸ ξηρότερον, καὶ περιρρηγνυμένου τοῦ φλοιοῦ, ἐπ' ὀλίγον χρόνον μεταβιῶναι.*“ Hippol. l. l. „*τὰ δὲ ζῶα γίνεσθαι ἐξατμιζόμενα ὑπὸ τοῦ ἡλίου*“.

3) Plut. Strom. apud Euseb. Praep. Ev. I, 8, 2: „*ἔτι φησίν, ὅτι κατ' 'ρχὰς ἐξ ἀλλοειδῶν ζώων ὁ ἄνθρωπος ἐγεννήθη· ἐκ τοῦ τὰ μὲν ἄλλα δι' ἑαυτῶν ταχὺ νέμεσθαι, μόνον δὲ τὸν ἄνθρωπον πολυχρονίου δεῖσθαι τιθηνήσεως· διὸ καὶ κατ' ἀρχὰς οὐκ ἄν ποτε τοιοῦτον ὄντα διασωθῆναι.*“ Plut. Symp. VIII, 8, 4: „*(Ἀναξίμανδρος) ἐν ἰχθύσιν ἐγγενέσθαι τὸ πρῶτον ἀνθρώπους ἀποφαίνεται, καὶ τραφέντας ὥσπερ οἱ παλαιοὶ* (pro hac voce, quae non intellegi potest, Wittenb. scribi iubet *ὡσπερεὶ παιδείᾳ*), *καὶ γενομένους ἱκανοὺς ἑαυτοῖς βοηθεῖν, ἐκβληθῆναι τηνικαῦτα καὶ γῆς λαβέσθαι.*“

hac narratione, quae Plutarchi est, Hippolytus eo differt, quod hominem non dicit in pisce natum esse, sed initio similem pisci formam habuisse[1]). Utrius narratio vera sit, dubitari potest; sed meo quidem iudicio Plutarchi narratio ipsa singularitate commendatur. Si propositam Anaximandri sententiam contemplamur, apparet, eum quandam generationis progressionem ab imperfectioribus animalibus ad perfectiora statuisse. Cum in hominis generatione quasi quaedam providentia cernatur, quaeri possit, num hanc rem a quadam summi principii designatione et efficientia repetierit.

12. Pauca supersunt. Animam Anaximander a Theodoreto refertur aeriam dixisse[2]); sed haec Theodoreti narratio iam eam ob caussam valde suspecta videri debet, quod eandem sententiam Anaxagorae et Archelao tribuit. Equidem facilius crediderim, Anaximandrum animam putavisse partem esse ipsius substantiae infinitae, cum alias ob caussas tum propterea, quod Aristoteles aperte dicit, eos, qui unum solum principium ponant, etiam animam aliquid unum putare, eadem natura atque ipsum principium[3]).

Denique traditur stellas, vel potius, quod plurimi dicunt quodque ad Anaximandri rationem multo aptius est, ipsos illos, quos posuit, innumerabiles mundos deos dixisse[4]).

---

1) Hippol. l. l. „*τὸν δὲ ἄνθρωπον ἑτέρῳ ζώῳ γεγονέναι, τουτέστιν ἰχθύϊ, παραπλήσιον κατ' ἀρχάς.*“

2) Theodoret. Gr. Aff. Cur. 5. IV p. 822 ed. Hal.: „*Ἀναξιμένης δὲ καὶ Ἀναξίμανδρος καὶ Ἀναξαγόρας καὶ Ἀρχέλαος ἀερώδη τῆς ψυχῆς τὴν φύσιν εἰρήκασιν.*“

3) Aristot. An. I, 2. 405 b 17.

4) Plut. Plac. I, 7 (Euseb. Praep. Ev. XIV. 16, 6): „*Ἀν. τοὺς ἀστέρας οὐρανίους θεούς.*“ Stobaeus autem I, 2, 56, pariterque Galenus c. 8 (cum Heerenio enim in Stob. l. l. pro *νοῦς οὐρανοὺς* legendum est) habent: „*Ἀν. ἀπεφήνατο τοὺς ἀπείρους οὐρανοὺς θεούς.*“ Atque ex hisce potius Plutarchus emendandus est, quam

Qua quidem appellatione significare videtur, unumquemque mundum aliquid unum atque per se constans esse, vita quadam sua ac propria utens, quod simili ratione suas amplectatur partes, atque summa et infinita substantia mundorum universitatem. Sed ipsum unum numen divinum (*τὸ θεῖον*) Anaximandro est ipsa substantia infinita, quae '*περιέχει ἅπαντα καὶ πάντα κυβερνᾷ*', e qua omnia oriuntur in eamque tempore statuto peracto revertuntur.

---

ipsi ex Plutarcho. Cum Stobaeo enim plane consentit hic Ciceronis locus N. D. I, 10: „Anaximandri sententia est, nativos esse deos, longis intervallis orientes occidentesque, eosque innumerabiles esse mundos."

EXPLICATIO TABVLAE AD P. 401; 407; 408; 418.

Fig. 1.

Sit HPAP'	circulus meridianus;
TT	discus sive cylindrus terrae;
HhH'	circulus horizon;
PP'	axis mundi;
AA'	circulus aequinoctialis;
SS'	circulus solis tempore solstitiali;
BB'	circulus solis tempore brumali;
Ba } B'a'	lineae a solis circulo brumali in horizontis planitie directae.

Fig. 2.

HPAP'	circulus meridianus;
TT	cylindrus terrae;
HhH'	circulus horizon;
PP'	axis mundi;
AA'	circulus aequinoctialis;
SS'	solis annulus tempore solstitiali;
BB'	solis annulus tempore brumali.

Ad. p. 401, 407, 408, 418.

Fig. 1.





Fig. 2.



Lith. v. A. Henry, Bonn.

POTISSIMI QVIDAM VETERVM LOCI QVI IN HOC LIBRO AVT CORRECTI AVT PRIMVM EXPLICATI SVNT.

BONNAE TYPIS CAROLI GEORGI TYPOGR. ACAD.